COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS II PARS I.

LIPSIAE
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH,
venduntur etiam
AMSTELODAMI apud PETRVM MORTIER.
M DCC LIII.

Jos: Banks



I.

Commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Gottingenſis, Tomus I. ad annum 1751. Gotting. apud viduam Abrami Vandenhoeckii, 1752. 4. 2 alph. 2½ pl. praef. et hiſtoria. pl. II. tab. aen. XVI.

INdulgentiſſimi regis magnae Britanniae GEORGII SECVNDI nutu ſtabilita, variisque priuilegiis munita haecce ſocietas, cuius etiam mentionem magna fecimus cum voluptate, * ſuſceptorum ſuorum laborum primos nunc edere coepit fructus, eo magis elegantes atque maturos, quo celebriora ea ſunt, quae unitis viribus in elaborandis variarum doctrinarum capitibus occupantur, membra. Eum vero illa praeſixum cum habeant ſcopum, ut non ab humanitate dictas ſolum, ſed phyſicas etiam, uniuerſam conſiderantes naturam, et mathematicas illuſtrare annitantur doctrinas, in tres diuiduntur ſocii claſſes, in hiſtoricò philologicam ſcilicet, phyſicam et mathematicam, quibus praeter ordinarios, alii honorarii dicti, inter exteros etiam verſantes, adiuncti fuerunt. Horum

* Commentar. Vol. I. P. I. pag. 149.

omnium veneranda maximam partem atque colenda nomina, ſimul cum iis, quibus adſtricti ſunt, legibus priuilegiisque, accurata ſuppeditat, quae primo loco occurrit, ſocietatis hiſtoria. Pro ea tamen, quam in referendis eius modi ſocietatum commentariis huc usque ſequuti ſumus, conſuetudine ex permultis optimeque exaſciatis profundae ſcientiae ſpeciminibus ea tantum ſumus paullo accuratius propoſituri, quae in medicis ſcientiaeque naturalis momentis declarandis verſantur. Priuatim antea conueniens ſocietas, die 10. Nouembris praeteriti demum anni prima publice comparuit vice, ipſo Regis ſereniſſimi natali die, quo illam Illuſtris eius praeſes ALBERTVS V. HALLER ſingulari inaugurauit oratione, quam ipſis adhuc commentariis praemiſſam eſſe deprehendimus. Praeterimus ea, quae de ſingularibus Gottingenſis academiae praerogatiuis abunde teſtatur Cl. Orator, diſcrimen potiſſimum, quo ſocietas erudita, a ſtudiorum ſic dicta uniuerſitate diſtet, demonſtraturus. Non eſt, cur negemus, antiquioribus temporibus parum in promouendis augendisque ſcientiis fuiſſe laboratum, noſtroque demum ſeculo illam reſeruatam felicitatem, qua ad perfectiorem ſtudia fuerint euecta gradum. Non tamen per academicorum doctorum indagationem multum accedere potuit emolumenti, quippe qui pro ſuorum ratione officiorum ſtudioſae exponentes iuuentuti ea, quae ſcitu ſunt neceſſaria, diſcentium vero viribus ingeniisque apta, in promouendis expoliendisque doctrinis tempus terere impediuntur. FELIX namque PLATERVS, dimidio ſeculo, in trecentis cadaueribus anatomen demonſtrans, vix tantillum noui propoſuit, potuitque proponere. Societatum potius ſcopus, non docendi quidem, ſed inueniendi noua perficiendique cognita, ad ſummum tandem perducere poteſt doctrinas culmen, et ex tenebris protrahere obſcura maximeque abſcon-

abſcondita, decerpendo ea, quae unicuique ſociorum vel maxime placent, vel pro tanta ingeniorum varietate a ſingulis optime poſſunt declarari, non coactis, quo vaſto ſeſe ſcientiarum immergant gurgiti. Et haec praecipua ſane ſocietatum ſingularium felicitas tanta etiam eſt, ut reliquas, ex amicorum conuerſatione, doctrinarum diuerſitate, aemulationisque incitamento enatas, et pro more concinne ſtudioſeque a Cl. Auctore propoſitas, tacere queamus. Prius vero ad ipſorum commentariorum, quam accedamus recenſionem, non poſſumus non, quin moneamus, a IOANNE DAVID MICHAELIS, Phil. Prof. Ordin. et Societ. Secretar. laudando admodum, et ab aliis huc usque ſeruato modo, breuem omnium, qui in iis continentur, commentationum praemiſſam fuiſſe delineationem. Ad nos autem ex iis pertinet:

ALBERTI V. HALLER *commentatio de hermaphroditis et an dentur?* * Copioſiſſima ab auctoribus variis recenſentur hermaphroditorum inter animalia reperiunda exempla, pluribus etiam opinionibus fouendis inde natae ſunt occaſiones. In iis conquirendis dilucidandisque, ſine quarum cognitione firmi nihil et indubitati ſtatui poſſe optime praeuidebat perſpicaciſſimus HALLERVS, ita ſuam de iis expoſuit mentem, ut completam hanc de hermaphroditis commentationem ſummo appellare liceat iure. Ita vero in perficiendo ſuo themate verſatus eſt Ill. Auctor, ut occaſionem ſcriptionis primo indicet, deinde vero, aliorum excitatis exemplis, claſſes hermaphroditorum conſtituat, tandemque, num veri quidam dentur, ex his conficiat. Offerebatur nempe ipſi aries, cui praeter ſcrotum, vuluae quidquam ſimile in perinaeo erat, et in quem alii arietes libidine ferebantur, quare factum eſt, ut pro her- p. 1.

 maphro-

* Lecta d. 19 April. 1751.

p. 2. maphrodito haberetur. Sectio demum veritatem rei reuelauit, qua teſtes in ſcroto deprehendebantur optime conſtituti, penis in praeputio fixo atque praelongo, urethra tamen deſtitutus, ſulco, per inferiorem partem penis decurrente, inſtructo. In perinaeo longa rima rubra, cruenta, tenera, ab imo pene ad anum deducta conſpiciebatur, ibi in profundiorem ſinum terminata, cum vagina muliebri quodam modo conuenientem. Aperto vero abdomine reliquis genitalibus partibus omnibus integris, urethra inter duo corpora cauernoſa tranſiens, in dictum illum ſinum inſerta detegebatur. Quem quidem in perinaeo ſinum non raro deprehendi, varia praeter hoc Cl. Auctorem edocuere exempla, et hominum et brutorum animantium, haeduli praecipue, in quo praeter ea penis admodum breuis, teſticulorumque accedebat defectus, qui vero, ſua epididymide inſtructi intus in abdomine eo haerebant in lo-
p. 5. co, ubi mulierum poſita ſunt ouaria; aliique iam ante eum, quos liberaliter recenſet, viderunt viri. Omnia autem haec ſubiecta pro feminis habebantur, marium ſimul officio defungentes. Et haec prima hermaphroditorum claſſis eſt, omni dote mares ſub ſe comprehendens, femininis deſtitutos ad generan-
p. 12. dum partibus. Altera claſſis verarum eſt mulierum, quorum longior clitoris aliquam virilis ſexus ſpeciem refert, quae tamen in foetu omni, prae adultioribus, magis eminet, nec non in calidioribus regionibus frequentiſſime ad nimiam molem intumeſcit. Huius etiam claſſis numeroſa dantur, ab auctoribus annota-
p. 16. ta, exempla, ſtudioſe ab Ill. Auctore congeſta. Incitatus tamen tam copioſis, ab aliis adſumtis, hermaphroditorum exemplis, ad eam fuit diſquiſitionem deductus, num veri exiſtere queant hermaphroditi? Summam vero bene intelligens difficultatem, quae eſt in uniendo utroque in uno corpore ſexu, conuenientiam partium, generationi deſtinatarum, utriusque

ſexus

ſexus primo rimatur, deinde feminae corpus virilis urethrae fabricam ſitumque non admittere, acceleratorem, ad emittendum ſperma maxime neceſſarium, muſculum ob vaginae poſitum applicari non poſſe, penemque ipſum, ob eiusdem vaginae praeſentiam debito modo dirigi nequire oſtendit, iisque, quae in haedulo factae ſunt, obſeruationibus confirmat. Interim non repugnare plane aſſerit, dari forte de- p. 18.
bili pene et arcta vagina ſimul inſtructos homines, in primis, quod omnes fere gentes ſemi virorum claſſem eſſe autumarunt. Licet negandum non ſit, eam ipſam ſententiam confirmatam fuiſſe exemplis non accurate ſatis diſquiſitis, quaedam tamen ex iis ſunt, quae, niſi fidem hiſtoricam negemus, aut errorem inſignem anatomici ſubeſſe, aſſumamus, utrumque ſexum et in homine fuiſſe coniunctum, probabile reddunt. De piſcibus enim nonnullis et inſectorum quibusdam claſſibus explorata res eſt, de hominibus idem adducta FABRI, COLVMBI, PETITI exempla p. 22.
euincunt. Sin igitur veri quandoque dantur hermaphroditi, num illi a ſpuriis per certa quaedam ſigna diſtingui queant, ultimo Cl. Auctor diſpicit loco, in adultis euidentiora, in recens natis difficillima ea eſſe ſtatuens. Virum eſſe illum, qui hermaphroditus habetur, produnt *facies hirſuta*, *robuſta barba*, *ani piloſus ambitus*, *ſemen*, *veneris cupido alterius generis*, *teſtes*, *teſtium vaſa ſpermatica ſuis per cutem nodulis conſpicua*, *menſura humerorum latior*, *femorum anguſtior*. Feminam vero arguunt, *glabritas*, *mollities corporis*, *leues genae*, *leuisque ani ambitus*. *menſes*, *defectus vaſorum ſpermaticorum teſtiumque*, *cupido veneris*, *quae feminam decet*, *femora latiora*, *quam humeri*. In diſcernendis praeter ea illis p. 24.
ſignis, quae manifeſtant, ad quamnam hermaphroditorum claſſem illud pertineat ſubiectum, de quo quaeſtio mouetur, anatome conſulenda eſt. Penis itaque, corporibus cauernoſis maioribus inſtructus,

eandem ac penis virilis directionem habentibus, praeputio tectus, frenulo infra adhaerente, marem esse declarat, licet rima in perinaeo sit, dummodo in ea hymen non detegatur, neque osculum uteri, neque sub urethra asperitas columnarum uteri. Feminam vero esse diiudicamus ex iis, quae sectio corporum de clitoride eiusque situ docuit, nympharum, hymenis vaginaeque exploratione. Ex quibus signis etiam, de coniugio ineundo soluendoque desumi debent iudicia. Dissectione haeduli, supra adducti, simul etiam Cl. Auctor reperit, nullum esse illum, quem ab Highmoro vocant, testiculi ductum, sed cellulosam, vascula epididymidis circumeuntem, substantiam.

p. 41. *De exiguo, qui adhuc appareat, obseruationum meteorologicarum usu* disseruit Cl. HOLLMANNVS, eo dignior, qui audiatur, quod eum sedulo obseruationibus meteorologicis incubuisse, nec infeliciter, constat. Barometra minus recte, ut tempestatum praenuncios, considerari monet, cum in Transf. phil. n. 492. ostenderit, inter grauitatem aeris, quam fida baroscopia indicant, et tempestates, nexum, unde praedici hae a nobis possint, intercedere nullum. Ita notauit ipse, vix mutatis thermometris insignes tempestatum mutationes contigisse, alio tempore tales non apparuisse, cum barometra fere per duas tertias scalae variata fuerint. Caloris et frigoris gradus, thermoscopiis adnotati, usui nulli sunt, nec ad futuros praenoscendos aut effectus illorum nocuos praecauendos, nec ad damna, quae inde nata sunt, dum memoria illorum seruatur, lenienda. Idem de ventorum obseruationibus et similibus iudicat. Aquae vero pluuialis, de coelo dato tempore v. g. annuo spatio cadentis mensuram, cum MARIOTTVS ad fontium origines explicandos traxerit, quae huic ratiocinio desint, fusius explicat. Inter usus tamen harum obseruationum numerat, quae in dato loco constans reperitur,

reperitur, altitudinem mediam barometri et adeo pondus medium atmoſphaerae, minores altitudinum barometricarum verſus aequatorem, quam verſus polum variationes; generalia, quae de calore et frigore in diuerſis regionibus ex obſeruatis deduci poſſunt, ubi v. g. conſtet, Goettingenſi regioni coelum adeo aſperum non eſſe, ut exteri queruntur, cum eodem tempore in aliis Germaniae regionibus, Galliae auſtralioris, ipſius Italiae ſuperioris partibus, multo maior tempeſtatum inclementia fuerit obſeruata. Iubet igitur obſeruationes meteorologicas quam plurimas inſtituere, cum inter has paucae magni momenti exiſtere poſſint, aliter, niſi ex tanta multitudine ſeligi poſſint, non obtinendae. Addimus nos hac occaſione inter praecipuas exigui obſeruationum meteorologicarum uſus cauſas hanc eſſe, quod nulla ſit inter obſeruatores ſocietas, neque ſoleant eodem tempore in pluribus locis obſeruata comparari. Ad commercium eiusmodi obſeruationum inſtituendum diu inuitauerat IVRINVS, cuius ſcriptum exhibet LEVTMANNVS in tr. *de inſtrumentis meteorognoſiae inſeruientibus*, recentiſſime vero idem monuit KRAFTIVS in *Comm. Petrop.* T. XI. pag. 264. ſqq. Videmusque non infelici omnino ſucceſſu haec tentata fuiſſe *in den Breslauiſchen Sammlungen*, etſi obſeruatores non ſemper fuerint, qui eſſe debebant.

IO. MATTHIAE GESNERI *de animabus* HERACLITI p. 67. *et* HIPPOCRATIS *ex huius libro I. de diaeta, diſputatio.* Quam anno iam trigeſimo huius ſeculi ſeptimo de hoc argumento publici iuris fecerat Cl. Auctor academicam ſcriptionem, et illuſtratam deinde Berolinenſis academiae commentariis * commiſerat, eam nunc

* Confer. hiſtoir. de l'acad. Royale des ſciences de Berlin. T. I. a Berlin 1746. 4. Hiſt. pag. 81. Memoir. p. 101. ſeq.

confirmatam et ab obiectionibus, a Cl. BRVCKERO cum eo communicatis, liberatam proponit. In limine ſtatim praemonet, ſibi videri, ac ſi HIPPOCRATIS ſit primus, de quo nunc agitur, de diaeta liber, ex eo, quod quatuor illa elementa eorumque qualitates, aeque ac aliae Heracliticae ſententiae, in aliis etiam ipſi non abnegatis libris inveniantur, et ſtilus ac dictio reliquis Hippocraticis ſimilis ſit. HERACLITVM deinde cum HIPPOCRATE quoad hoc argumentum idem ſenſiſſe in ipſa tractatione videre eſt, in qua tamen non philoſophum, ſed hiſtorici tantum atque
p. 75. philologi perſonam acturum ſe eſſe monet. Sequitur haec *ſyſtema animarum Hippocraticarum ex collectis* HERACLITI *ſententiis ſuppletum et Pythagoreis placitis ſubſerviens*, cuius, ſupra iam indicatae diſſertationi olim annexi, nunc vero commentario illuſtrati et aucti, ſumma haec eſt. Anima eſt id, quod motus ſui in ſe habet principium, ſeu mediante quo homines et animantia viuunt, ſiue illud cum corpore coniunctum cogitetur, ſiue iam ante corpus extiterit, vel poſt illud adhuc ſuperſit. Harum animarum omnia plena ſunt. Humanae itaque animae, ignis et aquae mixtione et ipſae temperatae et oberrantes, omnia futuri hominis membra iam habent, euoluenda atque augenda. Intrant in viros aeque ac feminas, ut et in reliqua animalia, non ſentientibus ipſis, cum ſpiritu; ad genitalia deinde vaſa delata, in iis, ut loco opportuno, creſcunt, corpus acquirunt et ſexus diſcernentia membra, quoad prima ſtamina et conformationem generalem eadem, a vario deinde victus et nutritionis genere diuerſimode euoluta et explicata: In congreſſu maris cum femina, ex utriusque vaſis excernuntur et proſiliunt plures eiusmodi animae, auctae, maturae atque ſexu diſcretae, ſeu animalcula proprie ſic dicta plura, ex quorum copia corporis etiam robur pendet. Harum animarum duae ſibi occurrentes et probe temperatae, uniuntur in

unam

unam, et unicum animal conſtituunt, quod, ſi in ſiecum uteri locum deuenit, in eo alimentis matris nutritur, et, pro diuerſa illius diaeta, diuerſam naturam accipit, tandemque naſcitur. Cum porro in nihilum quicquam non redigatur, ſeparatae per mortem animae a corporea mole, in eum iterum ſtatum rediguntur, quo ſenſus noſtros fugiunt, et nouam ſortem expectant. Elegantem omnino huius, quod Loewenhoeckiano adeo diſſimile non eſt, ſyſtematis, ex eius auctoribus depromtum, quae dicta confirmet, hiſce lemmatibus apponit Cl. Auctor ex- p. 109.
plicationem, et, ea perfecta, illam Hippocratici libri de diaeta primi ſubnectit partem, quam, propria olim interpretatione variisque, ut dicunt, lectionibus, hinc illinc auctis, illuſtratam, in diſſertatione propoſuerat, utpote ex qua ipſa Coi, huc usque indicata, de animabus ſententia, clare ſatis perſpici poteſt. His tandem nouum additum eſt *corol-* p. 145.
larium de repraeſentatione animarum ſub imagine papilionis. In eo is eſt Cl. Auctoris animus, ut, quasdam eruditorum obiectiones refellens, mirabilem erucarum in papiliones transmutationem, ut veteribus iam cognitam, optimis ARISTOTELIS verbis confirmet, papiliones vero ψυχὰς iam tum vocatos fuiſſe oſtendat, ita, ut inde omnino, nominis ſocietatem et ipſam illam, quam HIPPOCRATES fouet ſententiam explicare queamus, papilio praeter ea, vel puella eius alis praedita, Pſyches Cupidini amatae ſymbolum ſit. Ex reliquis autem, quae animarum Hippocraticarum naturam explicant, monumentis illud, figura appoſita, illuſtrandum ſibi ſumit, quod in *admirandis Romanorum antiquitatum ac veteris ſculpturae veſtigiis* aeque ac in *Sandrartiana Deorum iconologia* habetur, et arcae ſepulcralis circuitum haud dubie impleuit. Illud primo ortum hominis, partim ex fabula Promethei, partim ex quatuor illis elementis HERACLITI, partim ex originibus Moſaicis,

vitam

itam deinde, imagine Promethei, caucaſo affixi, ab Hercule liberandi; mortem tandem cum conſequentia, ſymbolo conſueto, tum philoſophorum, tum iudaico Eliae, expreſſa ſiſtit. Nos, cum nec figuram, neque ipſam eius eruditam explicationem, hic exhibere poſſimus, papilionem, capiti ſtatuae, a Prometheo formatae, impoſitum et eam inde animantem Mineruam, Pſychen deinde papilionum alis inſtructam, ipſum denique, ad inuerſam et cadaueri recens demortuo impoſitam extinctam facem, applicatum papilionem, ut praecipua, quae ad rei de-
p. 385. monſtrationem pertinent, notamus momenta. Ad finem primi huius commentariorum voluminis quod poſitum eſt, ad hanc diſſertationem referendum auctuarium, varia, eaque non contemnenda eruditae huius diſquiſitionis continet additamenta.

p. 201. ALBERTI V. HALLER *obſeruationes botanicae* * *ex horto et agro gottingenſi.* Stirpes nouas aut minus notas deſcribere & delineatas exhibere primarius obſeruationum ſcopus eſt, et ad nouas quidem ſtirpes plures cyani ſpecies pertinent, quae ex ſeminibus a GERBERO olim miſſis, in horto prouenerunt. Harum eſt:

1) *Cyanus calycis plumulis reflexis, foliis lingulatis ſubhirſutis*: Caules contorti, in ceſpite naſcuntur, cubitales, erecti, ramoſi, hirſuti; folia ſeſſilia, ad caulem utrinque appendice breui, retrorſum eunte nata, producuntur ſenſimque decreſcunt, ſine neruo medio conſpicuo, pilo vero molli obducta ſunt. Flos ex minoribus in hac gente eſt, cuius radiales floſculi purpurei, interiores albidi. Calycis foliola imbricata, viridia, triangularia, linea alba diuiſa, quae exit in plumulam fuſcam, in ſemicirculum flexam, quae ex capillari neruo capillares pariter fuſcas pennas emittit.

2) *Cyanus*

* Lectae ſunt die 7 Auguſti an. 1751.

2) *Cyanus calycis plumulis reflexis, foliis pinnatis.* p. 202.
Huius plantae, a GERBERO *iaceae laciniatae, calycibus minimis, flore purpureo,* nomine insignitae, elegans hic datur delineatio. Caulis quodam modo durus et asper, angulosus, ad quinque pedes adsurgit, et in summitate ramosus euadit; folia radicalia palmaria, neruo ora foliacea aucto, pinnarum paribus quatuor vel quinque, ouato lanceolatis, dentatis, subhirsutis cum aliqua duritie, extrema pinna maxima bis saepe incisa, ad neruum non nunquam trifida est; superiora folia pinnas habent simplices, neruumque latissimum, suprema denique simplicia sunt et lingulata, Flores priori speciei fere similes, in quauis vero calycis squama nigrum est spatium, pinnis capillaribus nigris ornatum, et fine reflexo spadiceo.

3) Non multum dissimilis alia est planta, cuius ne- p. 203.
que ortum nouit, neque nomen detegere potuit Ill. Auctor. Differt vero foliis laciniatis et summis lanceolatis serratis, mollitter per oram spinosis; squamis calycinis rectis, non ramosis, rigidis, semine non papposo. Dicitur *rhaponticum calycis spinulis mollibus longissimis.*

4) *Cyanus foliis pinnatis, tomentosis, pinnis, subrotundis, flore heluulo.* Cum *iacea capitata laciniata* multa haec planta habet communia; folia pinnas ad decem saepe habent, plerumque obtusas, aliquando lingulatas, iuniora tomentosa sunt, et in adultis eorum modo nerui. Caput grande squamas habet imas tomentosas, ora et pilis lateralibus fuscis, superiores additamentum squalens, fuscum, ciliatum ostendunt. Icon apposita bene plantam refert.

5) *Cyanus foliis tomentosis petiolatis integris et pin-* p. 204.
natis. A Cl. GMELINO planta nomine *centaureae foliis integris et diuisis lanuginosis caule procumbente* missa fuit. Caulis pedulis, inclinatus, ramosus; folia radicalia alia petiolata, lanceolata, molli tomento obsita, dentata, alia pinnata sunt, pinnis tribus

vel

vel quatuor parium lanceolatis, cauli adhaerent ſimplicia ouato lanceolata. Squamae calycinae maxima pars ſicca eſt appendix, ciliata, ſubfuſca, ſplendens. Floſculi exteriores quinquifidi, purpuraſcentes, et ſemen abortiuum habent, et filamenta inutilia. Qui enim in hac plantarum claſſe ſteriles floſculi dicuntur, ſunt fere ſemper androgyni abortiui, quod contra LINNAEVM in primis Ill. Auctor monet.

p. 205. 6) *Cyanus foliis glabris, radicalibus integris et pinnatis, bracteis calycis ſiccis, ſplendentibus.* Quam plantam ipſe Ill. HALLERVS in Tranſactionibus philoſophicis no. 472. p. 94. et deſcriptam et delineatam dedit.

p. 206. 7) *Rhaponticum foliis pinnatis, pinnis ſerratis, ſquamis calycis rotundis.* Folia habet glabra, virentia, pinnata, ora vix folioſa, pinnarum paribus quinque aut ſex anguſtis, ſerratis; caulem pedalem, florem grandem ochroleucum, calycis ſquamas imas ſimplices, ſuperiores appendice foliacea, fuſca, ſimplici ornatas; flores ſteriles in tres vel quatuor lacinias fiſſos, filamentis aliquot abortiuis donatos.

8) *Cirſium elatius polycephalum, foliis imis integris, ſuperioribus latis, profunde laciniatis.* Hoc nomine notatam plantam in ſtirpium Helueticarum Enum. p. 682. recenſuit Ill. Auctor, atque ibi ſuſpicionem fouet, eandem eſſe cum alia, ibid. p. 681, *cirſium inerme glabrum foliis ciliatis dentatis* nominata. Quod nunc certo affirmat atque ideo nouum nomen fecit, dixitque *cirſium foliis ciliatis imis ouatis, ſuperioribus ſemipinnatis;* cuius etiam icon hic exhibetur.

p. 207. 9) *Valerianella tetraſtemon, ſemine foliolo innato.* Dedit aliquam, aſt, ut Ill. Auctori videtur, erroneam deſcriptionem AMMANNVS ſtirp. Ruthen. no. 26, nomine *valerianellae procerae, folio varie ſecto, ſemine galericulato.* Iconem, quae naturalem plantae magnitudinem refert, nitide ſculptam HALLERVS nunc ſiſtit. Radix perennis eſt, habitus plantae durus;

gluma lata ſemen continet, cuius inuolucrum duabus faciebus, totidemque ſulcis diſtinguitur, huic inſiſtit flos irregularis flauus; ſtamina duo longiora, minora duo, quorum ima filamenta barbata ſunt; ſtylus verſus minora floris ſegmenta flexus, fine fungoſo; ſemini maturo folium pallidum ouatum ſubſternitur, cui cum ſuo inuolucro ipſum inſidet. Cum itaque haec valerianellae ſpecies quatuor habeat ſtamina, aliae vero modo unum, aliae bina, plurimae tria, et cum porro aliae florem imperfectum et relatiuum gerant, docet per exempla Ill. Auctor, ſtamina a natura non pro maximi momenti ſignis haberi.

10) Noui generis, ab Ill. Auctore in actis Upſal. 1742. p. 51. conſtituti, et *Amethyſtinae* nomine inſigniti, delineatio. Quam una cum verbena in didynamiis relinquendam, non vero a claſſe, cui toto habitu conſentit, revellendam eſſe monet. Ratio quoque Ill. Virum latet, cur a didynamiis ſuis verbenam LINNAEVS ſeparet, et diandriis accenſere pergat, cum omnes verbenae ipſi notae tetrandriae ſint. Saluiam praeter ea ad eandem claſſem referendam eſſe oſtendit, cum in illa ſpecie, quae aurita et non aurita dicitur, in poſteriori ſtaminis parte ſubrotunda purpurea, albo polline conſpicua anthera adſit. p. 208.

11. 12) *Saluia caule nudo, ſpica florente pendula.* Icon hic data melius certe florem exprimit, quam illa, quam nuper KRASCHENINNIKOWIVS * exhibuit. Accurata quoque eſt, quae nunc hic traditur, totius plantae deſcriptio. p. 210.

13) *Phlomis foliis cordiformibus, galea lacera.* Quae ab AMMANNO no. 48. minus accurate deſcripta et *phlomis fruticoſa urticae foliis floribus purpuraſcentibus* dicta p. 211.

* Vid. nov. comment. acad. Petrop. tab. 14. conf. noſtros comment. Vol. I. Part. 2. p. 235.

dicta fuit, et minuta et naturali magnitudine nitide delineatur, atque accurate describitur. Notamus modo: folia esse cordiformia, dodrontalia, inferiora hirsuta parum, superiora glabra rugosa, serrata; caulem bipedalem, purpureum, verticillos ex numerosissimis floribus congestis densissimos, calycem incuruum tubulosum, quinque eminentibus lineis insignitum, dentibus tribus superioribus acutis, inferioribus duobus capillaribus; florem pallide purpureum, superne hirsutum, ora galea barbata, bifida, trifida, et plurimis minoribus dentibus insignita, semina triquetra. A calyce et seminibus sumto charactere ad phlomidem referri debere Ill. Auctor existimat, licet corolla a reliquis speciebus recedat, et neque trifida caua barba, neque medio segmento euidenter lato et emarginato sit.

p. 213. 14) Ex papilionacea plantarum classe *Trigonellam* LINNAEI Hort. Cliff. 378. sculptam et descriptione illustratam Ill. Auctor proponit. Haec autem cum reliquis trigonellae speciebus, quas LINNAEVS* huic associat, nihil commune habet. Neque enim fructus consentit, cuius merito magna in papilionaceis dignitas est, in hac enim ille planus est et membranaceus, in *foenugraeco* longus, gracilis et incuruus. Neque flos idem est, cuius partes in *foenugraeco* strictae, et sibi proximae, alae vero in plerisque carina breuiores. Hancce trigonellam nomine *meliloti supinae latifoliae, siliqua lata membranacea compressa* AMMANNVS ** sculptam dedit. Et iure forte cum meliloto coniungi posse, Ill. HALLERVS monet.

p. 215. 15) Planta, quae nunc sequitur, licet noua non sit, a nullo tamen descripta est, neque data figura, quae usui esse possit. Utrumque praestitit Ill. Auctor. Radicem

* Vid. Hort. Upsal. p. 229.

** Vid. Act. Petropol. tab. 8. pag. 209. Conf. etiam stirp. Ruthen. pag. 119.

Radicem ea habet teretem, fibris inſtructam, ut orchides ſolent. Singulae radici duo inſident tubera, carnoſa, viridia, et ſingulum horum ſingula foliorum triangularium vagina conica tegit. Singulum etiam ſuum caulem producit, qui duo fere folia ouata, acuminata fert; ſpica breuis, nec denſa eſt, nec foliis diſtincta. Flores petalis diſtantibus nulli orchidi aut helleborine ſatis ſimiles, luteo virideſcente colore ſunt picti. Cuculli petala tria, ouato lanceolata, duo filiformia ſunt, et eorum duo lateralia propendere, et ſexto petalo contigua eſſe, ſolent. Sextum hocce, ſiue labellum, cochleari ſimile, cauum, aequaliter in apicem extenuatur, non diſſimile helleborines. Staminum denique machina huic generi noſtram adſociat, quae cylindrica eſt, una pariter anthera foeta, ſub qua duae quales appendices ſunt. Quare, cum ad orchidem pertineant cuculli duo apices recondentes, helleborines vero bilabiatus cylindrus antheras ferat, plantam noſtram cum helleborine manere poſſe, etſi radice cucullo que nulli alteri ſpeciei ſatis ſimilis eſt, Cl. VON HALLER arbitratur. Hinc etiam ab iis notis dixit *helleborinen bifoliam, radice bulboſa, cucullo ſparſo.* Deſcriptionem plantae nunc excipit hiſtoria, ubi oſtendit, quinam poſt LOBELIVM*, qui primus fuit, et nomine *chamaeorchis aggerum Zeelandiae* hanc delineatam dedit, huius mentionem fecerint, et quaenam vera ſint et genuina eius ſynonyma. Qua in re cum LINNAEO minime conſentit Ill. Auctor, ubi omnino in univerſo orchidum genere plura hic loci contra eundem commemorat, rogatumque cupit Cl. Virum, ne velit porro plantas diverſiſſimas, ut in orchidibus fecit, absque ulla haeſitatione expungere, aliisque ſpeciebus ut varietates addere, a quibus manifeſto differunt.

* Adverſ. Part. II. p. 505. 506.

p. 219. 16) Non nulla noua plantarum genera Ill. HALLERVS diu condidit, quae fere omnia Clariſſimorum Virorum applauſum promeruerunt. Id, quod et nunc optimo forte praeſtat conſilio, dum ex *hieraciorum* amplo valde genere aliquas ſpecies ſeparavit, et genus cum antiquo *Intybi* nomine conſtituit. His *receptaculum*, perinde ut in onopordo, *reticulatum eſt, et elatum areolis polygoniis, in quarum intervallis flores baſi ſedent.* Et ad nouum hoc genus tres nunc reducit ſpecies: 1) *Intybum foliis lingulatis dentatis*, qui vulgo *hieracium fruticoſum anguſtifolium maius C. B.* 2) *Intybum foliis ouato lanceolatis dentatis alias hieracium fruticoſum folio ſubrotundo C. B.* dictum, a quo aegre ſeparatur 3) *hieracium fruticoſum latiſolium hirſutum. C. B.*

p. 220. 17 et 18) *Hieracioidem* cum *crepide* uniri poſſe, nunc fatetur Ill. Auctor. Huic vero generi, pro charactere, adſcribit calycem uno ordine ſegmentorum longorum, in cylindrum conjunctorum, factum, cui ad baſin alia folia, duorum fere ordinum, vaga et ſaepe ſicca adiiciuntur, ſiue ea demum latiora ſint ſiue anguſtiora. Is idem etiam calyx *ſenecionis* characterem efficit. A calycis autem fabrica potius, quam a ſeneſcentium foliorum imorum rigeſcente macula characterem deſumi debere exiſtimat. Solus etiam calyx, non vero ſemifloſculorum numerus characterem praebet, quo *ſolidago* ab *aſtere* diſſidet. *Aſteris* enim *calyci repandae ſquamae, ſolidagini adpreſſae ſunt.*

p. 221. 19) Aliqua nunc addit, ornatius forte alibi repetenda, de methodo, qua plantas diſpoſuit Cl. LINNAEVS. In primis vero oſtendit, illo inſtituto, dum a floribus fertilibus et infoecundis claſſes et genera diſpoſuit, non aliud a natura magis remotum eſſe.

p. 223. 20 et 21) Alias raras aut nouas plantas recenſere nunc pergit Ill. Auctor. Ex ſemine perſico arbuſcula Goettingae floruit ramis numeroſis, foliis ſedi glaucis,

glaucis, punctis viridibus notatis. Flores ex alis foliorum. Calyx pentaphyllus, ſtamina quinque, fructus columnae modo erectus in cuius fundo ſemen lenticulare ſedet, tubae ex apice fructus exeunt tres aut plures ſaepe, purpureae et ſpongioſae. Tubarum ergo numerus et fructus figura plantam ſeparat a chenopodio aliisque apetalis. *Lerchiam foliis obtuſis vocari* poſſe ab Auctore, qui ſemina miſit, noſter monet. Aliud quoque *chenopodium*, ex perſico ſemine natum, eodemque floris charactere inſignitum commemorat, et *lerchiam foliis planis acuminatis* dicit. *Onagrae* nouam ſpeciem, ex americano ſemine natam, nomine *onagrae folio leui flore carneo* breuiter deſcribit, et floris colore ad diſtinguendas ſpecies uti quandoque poſſe affirmat. Sequitur *ſcabioſa capitulo nudo globoſo*, *foliis glabris pinnatis ſolidis*; et *geranium foliis quinquelobis ſerratis*, *petiolis unifloris*; tandem *hypericum pulchrum* TRAGI, ut ſatis nondum definitum, accuratius hic diſtinguit. p. 224. p. 225.

De mercurii in barometris diuerſis eodem tempore, eodemque in loco diuerſa altitudine HOLLMANNVS egit. Tabulas exhibet altitudinum 25. barometrorum diuerſae amplitudinis, quarum vix 2 eaedem ſunt, differentiae vero ad 78 centeſimas digiti londinenſis excurrunt. Oſtendit vero, non poſſe has differentias a mercurii grauitate ſpecifica, vel a calore aut frigore repeti. Vitri vero diuerſitati multum tribuit, praeter ea amplitudini tubi et inaequalitati ſuperficiei. In tubis vero, quorum lumina duas circiter lineas ampla erant, modo aer omnis excluſus eſſet, diuerſitatem nullam obſeruauit, unde peramplos tubos eligi debere cenſet. p. 227.

ALB. V. HALLER *Experimenta de cordis motu, a ſtimulo nato.** Cordis motum, adeo difficilem explicatu, p. 263.

* Lecta d. 16. Nouembr. 1751

plicatu, maximam partem a ſanguine venoſo redeunte deriuari et ſtimulum, contractionem producentem, exercere, alibi iam ab Ill. Auctore demonſtratum eſt. Nouis hancce confirmat ſententiam experimentis, in id potiſſimum intentus, ut a corde anteriori ſeu dextro, in quem venoſi cauarum venarum ſanguinis confluxus eſt, hunc ipſum ſanguinem auerteret, et hoc facto, num cor illud amplius moueatur, cognoſceret, in primis, cum huius cordis motus illum ſiniſtri cordis, quoad durationem, multum ſuperet. Ligauit itaque venas cauas, cum hac ratione cordis motum compeſci poſſe BARTHOLINVS, BERGERVS, HARVEVSque ſcriberent, ſed experimentum non reſpondit expectationi, cum ſanguis in calido animali in aurem dextram receptus, eam aurem ſtimulare pergeret. Quapropter venam cauam utramque incidit, ſanguineque ex illis, nec non ex auricula ventriculoque dextro, ſollicite expreſſo, mox quieſcere dextram aurem obſeruauit. Eo plus roboris adderetur ſententiae, quodſi quieſcente, ob ſanguinis defectum, dextro corde, praeſtari poſſit, ut cor ſiniſtrum, ſanguinis affluxum adhuc percipiens, mortuo iam dextro, pergat moueri. Reſectis ergo venis cauis, apertaque arteria pulmonari, plene euacuabatur cor dextrum, et ligata arteria aorta plenum ſanguine relinquebatur ſiniſtrum, quod a perpetuo ſtimulo alterne contrahebatur, penitus quieſcente oppoſito, vel leuem tantum, a fibrarum muſcularium continuatione oſtendente motum. Motus cauſam ſtimulum eſſe tandem etiam docuit flatus, in quieſcens cor immiſſus, quippe quo reſtituebatur in illo contractio. Notandum autem eſt, experimentum, quo cor ſiniſtrum ſuperuiuit dextrum, nouies a Cl. Auctore inſtitutum fuiſſe, in felibus, haedisque, canes autem ob reſiſtentiam et agitationes nimias ipſi videri ineptos, interim et

hic

hic denuo vidit, internam cordis ſuperficiem externa eſſe irritabiliorem.

De figuris ſuperficierum fluidarum diſputat SEGNERVS examinatque, quas figuras habere debent guttae plano inſidentes vel non graues vel graues, eae praecipue, quarum ſectiones baſi parallelae circuli ſunt. De his vero figuris nec dici poteſt, niſi deſcribendo calculos, quibus ad illas definiendas peruenit, nec omnino diſquiſitio ea, niſi tota legatur, intelligi, ut hic uberius recenſere illam non valeamus. p. 301.

II.

Iconum anatomicarum, quibus aliquae partes corporis humani delineatae continentur, Faſciculus V. Arteriae pedis. Auctore ALBERTO V. HALLER. Gottingae apud viduam Abrami Vandenhoeckii, 1752. fol. mai. pl. 13. tab. aen. 6.

Qui iam ante hos nouem, et quod excurrit, annos anatomicas dare coepit icones Ill. Auctor, accuratioribus explicationibus illuſtratas, in eo tempore in iis conficiendis ſtrenue perrexit, ratus tamen, non niſi exquiſita, ſi utilia eſſe debeant, proponenda eſſe, aliquando tardius eam, quam conceperat, ſpem explere potuit. In iis vero proponendis in id praecipue enitebatur, vt, quantum fieri poſſet, vaſorum hiſtoriae eam perfectiorem redderet partem, quae arterias complectitur. Poſtquam igitur arteriae aortae, ſuperiora verſus procedentis ramos, nec non illius, ad abdomen deſcendentis, ramificationes perſecutus eſt omnes, in deſcribenda verſatur arteria iliaca externa, ipſiusque ramificationes maiores aeque ac minores adeo ſubtiliter expo-

nit, ut et nomina ipſis tribuat diſtincta, & varietates
p. 8. earum ſemper ſubiungat. Inter illos ramos primus eſt arteria *epigaſtrica*, quam non ſolum aliquando obturatricem dediſſe obſeruauit, ſed etiam eius ac mammariae internae anaſtomoſes perpetuas eſſe ſcribit, nec non ad hepar cum vena umbilicali ramum eiusdem proceſſiſſe vidit, qui cum hepaticis et veſicae felleae arteriolis fuerit iunctus. Alterum et externum ramum, quem iliacam circumflexam arteriam olim nominauerat, *abdominalem* vocat, ne ex illius nominis, diuerſis ramis impoſiti, iterata repetitione confuſio enaſcatur. Poſt haec ex abdomine progredientem truncum, quem *femoralem*, alii cruralem, nuncupat, ad femur comitatur, *cutaneos externos*, eorumque muſculares et pudendos explicans ramos, *profundam femoris* arteriam porro adducens, quae WINSLOWIO * medius ramus dicitur, ex qua arteriae *circumflexae*, internae et externae, *perforantes* variae, nec non *nutritiae oſſis femoris*, in ipſam eius penetrantes ſubſtantiam, originem habent.
p. 23. Continuatus hicce truncus *poplitea* arteria fit, quae et *muſculares* et *articulares genu*, alias ſuperiores et medias, alias inferiores ſuppeditat, hasque vel externas vel internas dicendas. Vlterius deſcendens in *tibialem anticam* et *poſticam* diuiditur, quarum plures ramuli ſunt, *anticae* nimirum ramus quidam ad genu partim adſcendit, partim alii in tibiales anticos muſculos et digitorum extenſores abſumuntur,
p. 30. partim ad externum malleolum deſcendunt. Ex maioribus ſunt poſtmodum notandi *tarſea* et plerum-
p. 31. que praeſens *metatarſea* arteriae. Quarum prior interoſſeas, poſterior inter alios, plantam pedis *perforantes*, ramos edit. Ipſe tibialis truncus, ad dorſum pollicis ablegatis ramis, ad plantam demergitur, ibique *arcus plantares* et *plantarem pollicarem* de ſe demittit. *Tibialis* vero *poſtica*, variis, ſollicite deſcriptis,

* Expoſ. anat. Tr. des arteres §. 260

ſcriptis, in muſculós vicinos inſertis, ramis inſtructa, *nutritiam tibiae* exhibet, et tunc demum in *popliteam* abit. De qua, praeter muſculares pariter ramos, et *nutritiam fibulae*, notatur, eam ſaepe in truncum anteriorem poſterioremque diſpeſci, qui et variis in locis, conſpicuas facile, anaſtomoſes alunt et *nutritiam calcis* porrigunt. Cum vero nemo dubitet, ſtudioſiſſime et ſubtiliores, inde deductos, ramulos hic, prout moris eſt Cl. Auctori, declarari, tantum monemus, ultimo loco *plantares internas et externas* ex illa diſpergi, harumque tum inter ſe variam eſſe communicationem, tum ad digitos ſuperiori inferiorique in loco diſtributionem copioſiorem, plantarem autem externam pro tibialis poſticae arteriae continuatione eſſe aſſumendam. Sed praeuidemus haud obſcure, fore non nullos, quae peruerſa et contemnenda eſt alias celebrium etiam virorum hallucinatio, qui nimis ſubtiliter pertractatas has partes, praeter illam, quam diſquirentis in mente excitant, voluptatem, nullam habere utilitatem autumant. Sciant vero illi, Ill. Auctorem ex curatius propoſita arteriarum genu et patellae percontatione, earumque cum tibialibus anaſtomoſi prudenter demonſtraſſe, arteriam popliteam, vel vulneratam, vel aneuriſmate affectam, ob has ipſas, nunc detectas cauſas, cum ſpe reſtitutionis circuli ſanguinis ligari poſſe, amputationemque, alias neceſſariam, praecaueri, eodem ſubſecuturo euentu, quem in brachiali arteria ligata obſeruationes docuere. Idem fere de periculoſo tibialis anticae vulnere tenendum eſt, nec non de tibialis poſticae et peroneae inoſculationibus valet, quippe quae ſatis magnae ſunt, easque ligari deſtruique ſine gangraenae metu poſſe, haud improbabilem faciunt fiduciam. Icones additae nitidae et elegantes omnes ramulos referunt et in lineari, quam vocant, deſcriptione, tabulae ſextae addita, arteriolarum plantae pedis decurſum anaſtomoſesque ſigillatim re- p. 28. p. 39.

praesentant. Efflagitamus ab Ill. Auctore, ut quas beneuole promisit, extremitatum superiorum arterias, quantocyus edat, quibus totius corporis humani, tum anterioris, tum posterioris superficiei, vasa ostendentes, tabulas se additurum esse spondet.

III.

Tabulae anatomicae quatuor uteri duplicis obseruationem rariorem sistentes ex decreto facultatis medicae argentoratensis in lucem editae a GEORG. HENR. EISENMANNO, Phil. et Med. Doct. Anat. et Chirurg. Prof. Publ. Ord. Argentorati, ex offic. lib. Amandi Koenigii, 1752. fol. pl. 6. tab. aen. 4.

Qui partium corporis humani structuram diligentius disquirunt anatomici, non tantum noua varia a praecedentibus dissectoribus praeteruisa, sed et curiosas partium varietates et monstrosas saepius conformationes deprehendunt, quarum accurata descriptio, cum et in theoria et praxi medica varia inde illustrari possint phaenomena, usu suo non destituitur. Et praesens anatomiae curiosioris specimen, quod uterum duplicem nobis sistit, ita quidem comparatum est, ut non nouitate tantum, sed et utilitate sese commendet, et nostram ideo exigat attentionem. Anno 1751 circa finem ianuarii virginis nouendecim annorum, in nosocomio maiori ciuitatis argentoratensis defunctae, cadauer in theatrum anatomicum deferebatur, in quo prosector Cl. IACOBI duo orificia vaginae uteri, quorum utrumque hymene semilunari praetenso instructum erat, deprehendit, licet reliquae partes in exterioribus pudendis conspiciendae simplices tantum inuenirentur. Excitauit hoc phaenomenon dissectoris attentionem, accurato igitur examine

mine partium genitalium internarum inſtituto, duplicem etiam vaginam, duplex orificium uteri internum, duplicem tandem uterum inuenit, ita ut ſepta inter utramque vaginam et inter utrumque uterum deprehenſa, ipſis non fuerint communia, ſed ſingulis propria eodem modo, quo mediaſtinum ex duplici pleura exſurgit et formatur. Margo ſuperior duplicis uteri coniuncti ſinuatus et per angulum obtuſum quaſi diuiſus inueniebatur, praeter ea vero quilibet uterus non niſi unica tuba fallopiana, unico ouario et ligamento lato membranoſo et altero vaſculoſo, quod rotundum dicitur, et unico vaſorum ſpermaticorum funiculo inſtructus conſpiciebatur. Cl. Auctor omnia haec a proſectore demonſtrata accurate iterum examinauit, ad viuum exemplar delineare curauit, et praeter explicationes tabularum annotationes quasdam et conſectaria appoſuit, quibus hiſtoria partium genitalium et in primis uteri duplicis quodam modo illuſtratur. Tabulae primae figura prima iconem uteri bipartiti in theatro anatomico olim examinati exhibet, cuius deſcriptionem Cl. GRAVEL expoſuit, * figura vero altera genitalia huius virginis externa labiis eorum diductis conſpicienda proponit, qua occaſione variae obſeruationes de partibus genitalibus externis duplicibus in utroque ſexu ab auctoribus citatae repetuntur, nec non aliae de figura et ſitu hymenis in theatro potiſſimum anatomico argentoratenſi in variis ſubiectis notatae proponuntur. Tabula ſecunda genitalia externa, vaginas uterosque duplices reliquasque partes generationi inſeruientes annexas, delineatas oſtendit, in cuius explicatione praecipuae uterorum bipartitorum obſeruationes adducuntur, et primo de uteris, ſepto quodam in bina caua aut in bina corpora diuiſis, paulo poſt vero de uteris bicornibus agitur. Tabula tertia vaginas uterosque apertos, ſepto vaginarum ſiniſtrorſum re-

 flexo,

* In diſſert. de ſuperfoetatione Argent. 1738.

flexo, tabula quarta vero vaginas uterosque apertos, ſepto vaginarum dextrorſum reclinato, ſiſtit, ex quibus iconibus declaratur, internam etiam vaginarum et uteri faciem ita fuiſſe comparatam, ut aliis et ſanis conueniat, et unam cauitatem alteri ſimillimam inuentam fuiſſe. In his binis iconibus inciſionem in uterum ad ceruicem uſque productam deſideramus, quo ceruicis aliquo modo productioris viſi interior ſtructura conſiderari potuiſſet. In annotationibus ad has tabulas varia, quae indolem cauitatis uteri et vaginarum declarant, ex veteribus aeque ac recentioribus ſcriptoribus deſumta ſubnectuntur. Ex hactenus pertractatis itaque uteros bipartitos vel bicornes non adeo raros eſſe declaratur, licet vere duplices rariſſime inueniantur. Reliqua conſectaria ſiſtunt coniecturas, quae ſtatum foeminae a Cl. Auctore indicatae concernunt, ſi forte illa vel in uno utero vel in utrisque grauida facta fuiſſet, et hoc quidem vel eodem tempore vel diuerſis temporis interuallis. Inde vero ad ſuperfoetationis conſiderationem deuenit; haec in veram ſeu exquiſitam et in ſpuriam a Cl. Auctore diſtinguitur, in illa uterque foetus in utero vero continetur et creſcit, in hac alter foetuum uterum ſpurium, alter vero uterum verum occupat: Sic v. c. portio tubae fallopianae dilatata uterum ſpurium exhiberet. In caſu uteri ſpurii ſuperfoetatio fieri poteſt, ſi ouulum unum cauum ſpurium occupat et paulo poſt aliud in verum uterum inducitur ibidemque creſcit, in quo caſu tamen vel neuter foetus perficitur, vel ille, qui in utero ſpurio eſt, vitalis in lucem prodire nequit. In utero ſimplici ſuperfoetationem non fieri poſſe, tribus argumentis euincit LITTRIVS, 1) quoniam orificium uteri poſt conceptionem accurate clauditur; 2) quoniam extremitas colli uterini in grauidis magis verſus inteſtinum rectum vertitur, ex quibus binis cauſis ingreſſum noui ſpermatis virilis in uterum fieri haud poſſe appa-

ret;

ret; 3) quoniam si sperma etiam uterum ingrederetur, tamen utero iam impraegnato ad tubas fallopianas et ouaria deriuari, et nouam itaque conceptionem absoluere haud posset. Haec licet certa et inconcussa videantur, tamen Cl. Auctor, ut in oeconomia animali et speciatim in generationis negotio effectus plane singulares et vix explicandi eueniunt, sic et circa conceptionem foetus secundarii obseruationibus aliquid concedendum esse putat, quod ratiociniis non assequimur, concedit tamen hoc in casu utrumque foetum vitalem excludi non posse, sed ad minimum unum tanquam abortum reiici debere. In casu tamen uteri bicornis vel per septum usque ad orificium diuisi, aut, uti ex tradita historia apparet, utero et vagina duplici existente, superfoetatio omnino possibilis esse videtur. An vero, ut Cl. Auctor assumit, felici puerperio duplex foetus viuus diuerso tempore excludi possit, dubium certe nobis videtur, si molimina partus et abortuum causas accurate perpendimus. Sub examen post modum vocatur Cl. PARSON opinio, quod foemina grauida concipere non possit, quoniam tuba in grauido utero figuram non intortam, sed rectam habet, cuius orificium ideo ouario applicari nequit: Sed praeter id, quod foemina grauida in congressu cum viro eandem voluptatem sentiat, qua incuruatio fieri possit, ad sectiones cadauerum grauidarum prouocat Cl. Auctor, in quibus tubae ouariis applicatae inuentae fuerunt. Tandem et curiosam superfoetationis historiam adducere liceat, quam Dn. LERICHE nosocomii militaris argentoratensis chirurgus primarius Cl. Auctori communicauit. Foemina triginta septem annos nata die trigesimo aprilis anni 1748. puerum viuentem maturum adeo facili puerperio enixa est, ut post horam e lecto surgere et domicilium suum repetere potuerit. Lochia, quae in praecedentibus puerperiis largiter fluxerant, nunc mox a partu subsistebant, mammae

nullo

nullo lacte turgeſcebant, motum in utero adhuc ſentiebat, ciborum faſtidium et nauſea ipſi moleſta erant, ita ut, viro in obſtetritia arte verſato uterum explorante, omnia ſigna impraegnationis apparerent. Et euentus eandem rem confirmauit, cum foemina illa die decimo ſeptimo ſeptembris dicti anni, filiolam viuam omnino maturam iudicatam in lucem emitteret, quo facto et lochia fluebant et mammae lactis affluxum oſtendebant. Ex hac igitur ſuperfoetationis hiſtoria, cuius fidem dubiam reddere non poſſumus, apparet, foeminam hanc eo, quo puerum peperit, tempore medium geſtationis filiolae tempus egiſſe.

IV.

De partu gemellorum coalitorum. Diſſ. inaug. GODOFREDI CHRISTELL. Argentorat. 1751. 4. pl. II. tab. aen. I.

Tenellis in utero incluſis corporibus ob innumeras cauſas triſtiſſima fata accidere poſſe, Cl. Auctor, qui ſcientiae illi, quae manu parturientibus medetur, Argentorati operam dedit, ſingulari quodam caſu illuſtrat. Quo autem praeternaturales generationis et partus mutationes rite cognoſci et explicari queant, anatomicam et phyſiologicam partium, huic negotio in corpore foeminino naturaliter dicatarum, conſiderationem praemittendam eſſe, putauit. Conceptionem deinde quod attinet, haec, ſi tantum unicum ouum maturum in uterum defertur, unica fit, ſi vero duo aut plura oua uno eodemque coitu in uterum deſcendunt, gemellis, trigeminis pluribusque foetibus foecundabitur foemina; at, quando alio tempore et praeſente grauiditate per nouum concurſum noua fit impraegnatio, tunc ſuperfoetationem patitur, quod quidem negotium in utero ſimplici vix perfici, ſed in

in duplici commodius fieri posse videtur. Talem uterum duplicem, in duo caua exacte distinctum, duobus orificiis cinctum et vagina qualibet singulari præditum reperit et ostendit EISENMANNVS, anatomicus argentoratensis celeberrimus. Quando foetus per certum determinatumque tempus in utero gestus per solas causas mechanicas a parte tam sui ipsius, quam matris absque alieno auxilio excluditur, *partus* erit *naturalis*; qui vero non amplius a natura sola, sed artis auxilio peragitur, *difficilis*; qui sola tandem obstetricia opera absoluitur partus, *præternaturalis* est iudicandus. Gemellorum statum in primis in utero quod attinet, eorum conceptio, gestatio, nutritio et partus eodem modo, uti in simplici foetu, se habent. Gemelli, licet seiuncti et separati in utero concipiantur, tamen ob varias causas matricem grauiter afficientes, inter se inuicem concrescunt. Sunt vero gemelli coaliti vel *perfecti* vel *imperfecti*. In *perfectis* omnia organa et membra externa completa, duplicia et fere semper rite formata sunt, et solum modo in hac vel illa corporum parte nexu quodam adunati sunt, quamuis in interioribus viscus unum vel alterum confusum et simplex, multa tamen etiam duplicata inveniantur. In *imperfectis* unus quidem foetus ex omnibus membris constat, alter vero mutilus, mancus nec omni corporis sui parte completus alteri quodam in loco adhaeret. Prioris et posterioris generis historias summo studio collectas tradit Auctor. Hi autem gemelli coaliti, et perfecti et imperfecti, quia a communi et consueta mechanica corporum structura recedunt, et ob deformitatem quosuis in admirationem ducunt, ita, ut unus alteri illos monstret, pro monstris habendi sunt. Etsi interim quorundam foetuum coalitorum modus et causa cognosci nequeat, Auctor tamen eam sententiam, qua omnia monstra per accidens et mechanicam quamdam mutationem oriri, asseritur, assumit commotus

motus uno exemplo gemellarum ab umbilico uſque ad ſternum coalitarum, quae anno 1750 Argentorati, Experientiſſimi DN. D. WEIGENII opera feliciter utero extractae fuerunt, et ideo de ipſarum concretione coniecturas proponit. Duo nempe oua uno coitu foecundata et ab initio ſeparata in uterum delata fuerunt; at, acceſſione horum nimia et appreſſione forti, membranae oua componentes in loco ſui acceſſus affrictae, attritae tandemque ruptae ſunt et in unum deinceps amplius et commune inuolucrum, cui uterque foetus includeretur, confluentibus ſimul aquis, coniunctae fuerunt membranarum laciniae. Nuda ſic binarum harum puellarum, aduerſis pectoribus ſibi adiacentium, corpuſcula facili ex cauſa arctiſſime applicari et conglutinari potuerunt. Et quoniam mollibus connectebantur partibus, et ſpatium cohaeſionis manus latitudinem non ſuperabat, cauſam et vim comprimentem non adeo fortiter, nec ita diu, primis tantum temporibus in corpora tenella egiſſe eaque conglutinaſſe, probabile eſt. Huius coalitionis vero cauſa mediata et ſpecialis nulla dari potuit, licet mater accuratiſſime examinata fuerit. Obliuiſcendum hoc loco non eſt phaenomeni cuiusdam, quod nempe ex coalitis gemellis perfectis plures gemellae, quam gemelli, aut etiam puellae cum puerulis magis concreſcant. Num forte in foemellarum molliori et teneriori textura, qua facilius compingi poſſunt, ratio lateat, an, quia plures puellae, quam pueri naſcuntur, frequentiores coalitus in illis quoque obſeruentur. Quomodo vero medicus obſtetricius in eiusmodi foetuum partu ſeſe gerat, ex experientiſſimi WEIGENII operatione in hoc exemplo inſtituta aliquo modo cognoſcere licet. Erat autem foemina, viginti nouem annos nata, per plures horas in partus doloribus occupata, aquae efluxerant, tres pedes infantiles extra orificium uteri exerti fuerant; obſtetrix duobus pedibus comprehen-

ſis

sis unum infantem ad femora usque extraxerat, sed ulterius promouere non potuerat. Aduocatus in auxilium WEIGENIVS foeminam in mortis agone et foetus iam mortuos inuenit, statim tamen exploraturus omnia, eosdem manibus extrahere tentauit, sed, varia opera frustra adhibita, tandem intellexit, hos gemellos coalitos esse. Duo igitur femora unius infantis manu sinistra et pedem alterius dextra prehendit, meditans, quodsi unum infantem admodum profunde et alterum magis alte traheret, caput sic primi infantis ad collum et pectus secundi sese inclinare et alterum caput suum illi prioris imponere posse. Sic eo modo foetus ambos quadrantis horae spatio extraxit feliciter. Infantes extracti gemellae perfectae omnibus partibus expletae, pulchrae et magnitudine et obesitate sibi similes ab infima thoracis et sterni regione usque infra umbilicum coalitae et aduersa facie mutuo amplexu quatuor brachiorum et genubus applicatis coniunctae erant, uti icon illas delineatas sistit. In umbilicum communem ex unica placenta unicus funiculus crassior, una vena capacissima et duabus arteriis amplioribus dotatus, desinebat. Vena tamen haec simplex in introitu suo per umbilicum in duos ramos diuaricabatur, ita, ut quaelibet puella sua vena peculiari gauderet. Mater ipsa harum gemellarum primipara fuit, et durante puerperio etiam optime sese habuisset, nisi ob iram et terrorem in vitae periculum deducta fuisset. Ex his tamen etiam fluctibus salua euasit et denuo grauida facta ob graues rixas abortum passa est. Uti vero litterae publicae annunciarunt, haec eadem mense aprili 1752. felici partu infantem sanum emisit. Interna harum gemellarum fabrica indagari non potuit, quoniam in museum regium parisiense iussu regis delatae fuerunt. Colligit itaque tantum Auctor, has gemellas per integumenta ac musculos abdominales cohaesisse, et ex analogia similium gemellorum et vaso-

rum

rum umbilicalium distributione hepar unicum in ipsis adfuisse, hariolatur. Quaeritur tandem, utrum hae puellae coniunctae, si viuae in lucem editae fuissent, a se inuicem separari potuissent, an, ita unitae permanere debuissent et tamen vitam sanam et longam vixissent? Utrumque saltem non impossibile videtur, sed tamen propter varia incommoda et molestias vix euitandas vita misera ducenda fuisset.

V.

Acta physico medica Academiae Caesareae Leopoldino Carolinae naturae curiosorum, Vol. IX. acced. appendix et tab. aen. 13. Noriberg. impens. B. W. M. Endteri Consortium. 1752. 4. alph. 2. pl. 6. app. alph. 1. pl. 16.

Licet iusto tardius in lucem prodierit nonum hocce actorum volumen, cum anno tamen, proxime elapso, primum effluxerit seculum, ex quo fundatae et ordinatae fuerunt huius academiae rationes, primusque constitutus illius praeses, apud animum constituit Ill. BVCHNERVS, qui nunc academiae praeest, debitam huius felicitatis memoriam recolere et conseruare, ideoque primam voluminum decuriam, proxime edendo decimo volumine, finire atque complere. Quam ob causam academiae huius naturae curiosorum collegae grauiter vehementerque rogantur, ut intra hoc exiguum temporis spatium tanto festinantius studiosiusque obseruationes suas transmittant.

Ex insigni in hac parte contentorum, omni fere physica medicaque eruditione refertorum, capitum numero nonnulla modo prolixius recensere, alia quoad titulum tantum indicare, alia denique silentio plane praeterire constituimus, ne nimis longi simus.

De

De ruptura inteſtini ilei, a violenta corporis ſurſum facta diſtenſione ſingularem, nec ita frequentem caſum deſcripſit ALBRECHTVS. In *herniae inguinalis incarceratae ſectione*, diſſectis integumentis, vidit KALTSCHMIDIVS in ileo denudato nigram maculam, illudque cum muſculis ac rupto peritonaeo firmiter cohaerens, et repoſitionem renuens, quare illam conſulto neglexit, veritus, ne partes ilei gangraenoſae, abdomini immiſſae, anceps vitae periculum cum ſphacelo et morte commutarent. Admota igitur inteſtinis denudatis eſſentia opobalſami et balſami peruuiani, adhibitisque cataplaſmatibus, ilei partes gangraenoſae multum ichoris cum foetore fundebant, faecesque recluſas ruptae dimittebant; applicato poſt ea aperturae ilei balſamo de copaiua pus benignum adparebat, foetorque ſenſim imminutus tandem diſparebat. Apertura haec pollicem admittens, colore nunc rubro erat conſpicua, ſpemque faciebat, ut intra paucos dies vulnus conſolidaretur. Verum aperturam ilei occludere, dolores denuo accedentes prohibebant. Clauſo itaque circum circa vulnere, apertura ilei intacta relinquebatur ſaepius aſſumta immutata emittens. Hic etiam praeſens ſtatus, aegrum domeſticis negotiis commode ſatis intereſſe, patitur. In *cadaueris ſectione*, praeter alia, inuenit Cl. FVRSTENAV, inteſtina inflammata, coeco, appendice vermiformi et valuula, quae a RAVMINO nomen accepit, plane deſtituta, inque ventriculi fundo foramen quoddam pulmonesque ſugillatos lobis eorum mediante diaphragmate, quod perforatum erat, hepati accretis. De *mola ingentis magnitudinis et ponderis* poſt quindecim tandem annos lethali, aliamque de *hydrocephalo* poſt primum aetatis annum lethifero, hiſtoriam recenſuit TREYLINGIVS. De *aſae foetidae anthelmintica virtute* WOLFFIVS diſſeruit. *Hiſtoriae naturalis ſubterraneae agri giengenſis eiusque viciniae* ſpecimen MOHRIVS propoſuit.

p. 8. p. 12. p. 16. p. 20. p. 23. p. 41. p. 120.

p. 184. posuit. *Insolitam nimiamque, a scabie retropulsa or-*
tam, purpuraque rubra efflorescente curatam, sternuta-
p. 187. *tionem* commemorauit Cl. IOERDENS. De *salicum*
rosis fictis, neque bonorum neque malorum nunciis ser-
monem instituit supra nominatus ALBRECHTVS.
En phaenomeni huius causam: vernali tempore prae-
gressas solis blanditias saepe rudior excipit aeris in-
temperies, qua in tenerioribus vegetabilium partibus
copia nutritii succi, solis calore iam in actum moti,
inspissatur et in ulteriori progressu impeditur; hinc
perit elasticitatis vis, fibrillae vasculaque constrin-
guntur, rigida fiunt; hinc surculi et his adnata te-
nera adhuc folia in debitam longitudinem excrescere
haud valent, unde ea minora, crassiora, et copiose
in unum quasi locum per circulos contiguos ita col-
lecta inueniuntur, ut rosae figuram, satis tamen im-
perfectam, referant. Aestiuo vero tempore, prae-
gressa pluuiarum copia et subito orto calore continuo
eadem saepe in vegetabilibus accidit mutatio, quo
minus in iustam longitudinem singulae eorum par-
tes extendantur. Cum autem unius rei plures ali-
quando esse possint causae, ab insectis quoque eun-
dem in plantarum partibus statum produci posse, con-
p. 199. cedit Cl. Auctor. De *pleuritide per institutam sexto*
demum die venaesectionem feliciter curata casum retu-
p. 223. lit Cl. FVRSTENAV, In *anatomicis* hominum *disse-*
ctionibus non nulla singularia inuenit CRELLIVS. v. c.
in *cranio peculiarem ossium canalem* deprehendit; ar-
teria namque carotis, quae prope sellam turcicam, ad
interiora cerebri perrectura, ascendit, canali stri-
ctius inclusa erat; purgatis post ea ossibus, apophy-
ses clinoideas anteriores ossis sphenoidei statim pone
foramen opticum insuetum hocce foramen diametro
magnitudini arteriae carotidis respondens, dimissa
prope extremum marginem ex parte inferiori co-
lumna ossea, lateribus sellae equinae affixa, efforma-
p. 226. re conspexit. Aliam de *appendice vermiformi* inte-

stini

ſtini coeci ſiſtit relationem; coeco enim aperto orificium huius proceſſus ita ampliatum erat, ut minimi digiti apicem commode recipere poſſet, cauumque eius faecibus refertum apparebat. Quo phaenomeno uſum illius, dum in fetu pro receptaculo faecum habetur, confirmari cenſet Cl. Auctor. Porro etiam p. 227.
ſingularia non nulla circa *uterum* et *ouaria* obſeruauit. Vidit enim in dextri ouarii anteriore parte globoſam, piſi minoris magnitudine, excreſcentiam, a tenui paruoque petiolo ſuſpenſam; ac in eodem quoque latere a ligamento uteri lato ſimile corpuſculum dependens, priori ſimile, ſed pellucidum inuenit. Quae utraque, cum ad ouula referre locus, in quibus radicata haeſerunt, non concedat, illa quoque, aliis in ouariis notata, pro ouulis non eſſe reputanda contendit, potiusque ad tumores cyſticos eas excreſcentias referendas eſſe, aſſerit Auctor. In *claudi-* p. 235.
cantis mulieris cadauere praeter alia, hic deſcripta, utriusque oſſis femoris articulatio notari meretur. Haec enim non in acetabulis, utpote quae magis plana erant et porrecta, ſed extra haec fuit; dum capitula horum oſſium iliacis oſſibus ope ligamentorum capſularium iuncta et contigua inueniebantur. Oſſa ilei circa totam mediam partem, in primis verſus os ſacrum, adeo ab attritu tenuia erant, ut omnino pellucida eſſent. Extrorſum in iisdem oſſibus ſupra inciſuram magnam fouea leuis, pollicis fere latitudine deprehendebatur, circa quem locum capita femoris muſculis et ligamentis illis vaginalibus laxe iuncta obſeruabantur, ut in inceſſu ad altiorem iliacorum partem aſcendere potuerint. Sub hac fouea duo proceſſus breues planique, fere quadrati, in conſpectum prodibant, e qua etiam robuſtiſſima ligamenti capſularis pars originem ducebat. Acetabulum in utriusque oſſis anteriore parte erat, ita ut quaſi in ſolo oſſe pubis iſchiique locum ſuum haberet, et loco figurae rotundae trianguli aequi lateralis

figuram oſtenderet. Orae acetabulorum ad modum humiles erant, neque glandula illa Hauerſiana magna, ſed loco huius ſolum tunica adipoſa ibidem reperiebatur. In utroque praeter ea latere robuſtum illud teres ligamentum, et in femoribus fouea, cui illud inſeritur, deficiebat; colla oſſium non ſolum valde breuia, ſed et horizontaliter fere protenſa conſpiciebantur, ita, ut trochanteres maiores aeque alti ac femoris capita fuerint. Ligamentorum capſularium interna tunica incipiebat ab ambitu acetabuli, et cum tunica externa in forma vaginae inter muſculos ad femoris caput pergebat, et dein reflectebatur, ubi firmiter adhaerebat, hinc vero ultra collum femoris progrediebatur. Deinceps vero terminabantur haec ligamenta utrinque in trochanterem maiorem; externa quidem tunica inferiorem comitabatur, ſed ita, ut paulo ultra ambitum deformium horum acetabulorum atque ultra trochanteres maiores lateraliter ſe multum extenderent. Ligamenta itaque haecce vaginam formabant robuſtam a femorum lateribus ad
p.244. acetabula. *Modum, quo cedria eiusque aqua* praeparari ſolet, docuit Cl. WALLERIVS. Ex pini vel abietis reſinoſis pinguibusque partibus, radice praecipue, deſtillatur eliquata reſinoſa materia et oleum. Hanc materiam, quia eandem a cedri arboris reſina olim obtinuerunt, cedriam appellarunt veteres, alii picem vocant. Cedria vero in duritiem coquitur, vel exſiccatur, unde alii priorem picem liquidam, poſteriorem coctam vero, ſolidam picem dixerunt. Duplici modo cedria in Suecia et Norwegia deſtillari ſolet. Venalis atque communis ſequenti praeparatur ratione. Formatur cauitas conica inuerſa, in loco argilloſo, quae interne craſſo corio vel cortice abietis ita obducitur, ut exterior rugoſa corticis pars exterius verſus argillam vertatur. In fundo coni foramen relinquitur apertum, infra quod vas recipiens ponitur. Ex hoc foramine erigitur cylindrus,

de

de iuniori recenti arbore desumtus, qui supra conum eminens, sub ipso opere est mobilis. Frustulis minoribus abietis piniique pinguioribus, per aestatem probe exsiccatis, arcte impletur cauitas, conus dein tegitur mixtura quadam argillacea, vel recenti turfo, ita tamen, ut cylindrus supra emineat et pro lubitu deprimi eleuarique possit. Accenditur ignis in medio, et cedria crassior per foramen exstillat in vas recipiens. Hac ratione praeparatam cedriam examinauit Cl. Auctor, obtinuitque destillatione aquam acidam, oleum album, aliudque obscure rubrum, tandemque caput mortuum. Aquam dein seorsim disquisiuit, et ex variis, quae instituit, experimentis, concluſit, eam acidissimam esse ex regno vegetabili sine fermentatione paratam. Album oleum non semper obtinetur, recens debet esse cedria, hoc vero urentem, cum quadam adstrictione, excitat saporem, ignem alit, cum spiritu nitri GLAVBERI vix calorem excitat, sed ambo placide inter se uniuntur. Rubrum oleum clarum est et tenue, diutius asseruatum spissescit, aquae destillatae innatat, in igne flagrat, in alcohole vini submergitur ac in fundo resinosum fit, non tamen ab eo tingitur spiritus, cum spiritu nitri fumante coagulatur et parcissima diuturnior vero, fit ebullitio. Caput mortuum durum est et fragile, ignem, carbonibus iniectum, concipit, non vero flagrat, nec fumat. Aquae huius cedriatae et purae aquae anaticae partes inter se mistae, digestione praegressa, fortiorem, quam cedria, saporem excitabant. Euaporationi tandem exposita cedriae aqua, unciae duae reliquerunt extracti acidi, instar aceti, sed cum grata quadam amaritie, drachmam unam. Ex his sequentia cogit corollaria WALLERIVS: 1) in aqua cedriata partem adesse gummosam; 2) principium salinum acidum; 3) oleosi quicquam cum gummosa parte aquae acidulae immisceri; 4) medicam aquae cedriatae virtutem et acido

ſalino principio, et oleoſo cum gummoſo tribuendam eſſe; 5) aquam dulcem cedriam, licet coctam, quodam modo tamen ſoluere atque deſtruere poſſe, quod in primis ex nauigiis et ſcaphis picatis patet. Cedria nobilior, quae rariſſime ad exteros exportatur, ſequenti paratur modo. Exſtruiur furnus duplici conſtans fornice, uno intra alterum contento. In fornice anteriore eriguntur ligna pinguia, de pino caeſa, trium fere ulnarum longitudine. Fornix interior bene clauditur, exterior impletur ligno, quod accenſo igne in cineres comburitur, calore hinc proueniente et in interiorem forniçem tranſeunte, expellitur omnis cedria e ligno, in interiori fornice contento, ſimulque et iſta ligna in carbones mutantur. Hoc artificio habemus ſeparatim ea, quae prius, cedriae vulgari confuſim immixta per analyſin obtinuit Cl. Auctor. Nempe 1) ſuperne natat oleum tenue, pellucidum, flauo fuſcum, cui aliud craſſum, albidum, et quaſi coagulatum immixtum eſt, Ex hoc olco deſtillatione acquiritur oleum, *templinum* dictum, quod oleo terebinthinae, de reſina abietis deſtillato, longe eſt praeſtantius; licet enim ſit penetrantiſſimum, minus tamen eſt calidum; 2) ſub oleo reperitur aqua acida, quae fere duplex eſt, alia nigro viridis, alia fuſca, utraque oleoſa; 3) ſub aqua tandem habetur ipſa cedria, quae vulgari longe eſt praeſtantior. Ex his concludit Auctor, aquam cedriatam ex hac nobiliori cedria paratam, ut pote tenuiori oleo et aqua ſalina priuatam, minime eandem habere virtutem, quam aquam cedriatam, de
p. 253. viliori cedria praeparatam. Aliam de *ſtella reguli antimonii* obſeruationem tradidit WALLERIVS. Regulum antimonii martialem baſi horizontaliter diffregit, ac ubique corruſcantes baſi parallelos deprehendit radios, illis ſimiles, qui in huius ſuperficie quoque inueniuntur. Et quo de hac intrinſece apparentis ſtellae figura, cuius exiſtentiam LEMERY aliique

que in dubium vocarunt, certior ad huc fieret, alia iterum ratione rem pertractauit. Ferreo namque cuneo ita eundem diffregit, ut secundum longitudinem per medium radiorum oppositorum quorumcunque ac per axin esset bipartitus; nuncque apparuit quaeuis dimidiata pars coni instar ramosae arboris, a basi ad apicem, eo modo, ut axis truncum rectum, minima quasi cauitate donatum, repraesentaret, cui trunco ita appositae et accretae erant lamellae regulinae, ut radios vel ramulos arboreos, versus apicem coni parum reflexos parumque descendentes accurate referrent. Si vero hanc antimonii arborescentiam obseruare quis velit, sequentia non negligat: 1) parandus est regulus mole maiore, ad aliquot unciarum pondus; 2) eo respiciendum est, ut regulus cum scoriis quam maxime ferueat prius quam in conum fusorium effundatur; 3) obseruandum, ut sectio coni regulini accurate transeat per medium cuiusdam radii stellae et per axin ac centrum. Hanc autem stellam non e scoriis vel nitro, tanquam imprimentibus, deducendam esse Cl. Auctor existimat, tunc enim modo superficialis esset, sed potius a puritatis gradu ipsius reguli, eiusque partium positu ad se inuicem, sulphurea parte nitro consumta atque mixta. Regulus enim antimonii stellatus nunquam cum nitro ulterius detonare solet, quia sulphurea portione destituitur; si vero ille diuturniori igni committitur, stellam amittit; huic si iterum parum antimonii crudi additur, denuo stella restituitur, crassiori sulphure, ex parte antimonii addita, mediante nitro denuo absumto. IOHANNES DE GORTER de vario *sustentaculorum usu* egit. Partibus solidis iisdemque mobilibus inest contractio automatica, estque in iis vitalis actio adcurtans, alterne agens et se dimittens. Hae fibras reddunt breuiores, adiuuanturque externa aeris sustentatione. Interno autem humorum impetu distenduntur, p. 316.

ut inter cauſas adducentes et extendentes habeatur aequilibrium. Quae itaque auxilia hanc nimiam diſtenſionem cohibent, vel factam adducunt, ſuſtentacula ab Auctore dicuntur, quamdiu non omnino impediunt dilatationem per cauſam internam faciendam, nec ſuffocant vitalem motum. Tam valida enim ſuſtentatio potius ad compreſſionem eſt referenda. Suſtentantia ergo adiuuant effectus, qui ex fibrarum contractilitate automatica motuque vitali proueniunt, nimiamque diſtentionem, a cauſa interna inductam, cohibent. Quae autem partes diſtendente elaſtica virtute donatae ſunt, ut nerui, cartilagines, pulmo, a ſuſtentantibus in ſua actione impediuntur. Patet hinc ſuſtentationem non omnibus in partibus eundem praebere uſum, quod plurimis exemplis probat Cl. Auctor. Ita celluloſa tela ſaepiſſime ob ſuſtentaculi defectum vel reditum humoris impeditum ultra modum diſtenditur, humoresque in ſe colligit, quod egregie aequabili et modica externa ſuſtentatione praecauetur. In capitis morbis non multum iuuant ſuſtentantia, ſi autem cranii portio ſublata eſt, omittenda non eſt ſuſtentatio, ne excreſcentia fungi fiat. Sanitati magis conducit, liberum relinquere pectus eiusque automaticam dilatationem nunquam impedire, damnoſis thoracibus. Abdominis autem ſuſtentatio ut in uniuerſum, ita in primis in infantibus utiliſſima habetur, ut et in grauidis,
p. 335. puerperis e. ſ. p. Naturalem *krakatizae* hiſtoriam I. B. DE FISCHER tradidit. Eam, quam BRÜCKMANNVS in commercio Noribergenſi an. 1741. p. 180. dedit figuram et deſcriptionem non mancam modo, ſed omnino falſam eſſe exiſtimans, aliam huius zaphyti cartilaginoſo-coriacei, plani, in octo extremitates reſoluti, iconem exhibuit Auctor, ex qua etiam optime ipſa eius forma atque habitus intelligitur. In addita vero nota monet BÜCHNERVS, krakatizam primam eſſe et ſecundam polyporum ſpeciem,

ciem, quas RONDELETIVS exhibuit. E. P. BLANCHOT singulare *monstrum sine collo et spina dorsi* natum, descripsit atque delineare curauit. Praeter alia curiosa plura notamus modo, in dextra thoracis cauitate cor cum pericardio diaphragmati incubuisse, inclinato eius apice versus mediastinum, ac ventriculo dextro costas, sinistro autem pulmonem attingente; pulmonem omnem, qui dextram cauitatem replebat, sub maxilla inferiori statim incepisse, laryngem per asperam arteriam cum tubulis bronchialibus ita coniunctam fuisse, ut quinque eius cartilagines immediate cum pulmonum substantia cohaererent; unum modo adfuisse pulmonis lobum, inque sinistra thoracis parte ea contenta fuisse viscera, quorum sedem natura abdomen alias esse voluit. Et ventriculo quidem ac intestinis tenuibus, lieni atque hepati per diaphragmatis singularem aperturam cum abdomine fuisse communicationem, inque hoc cauo stupendam hepatis molem ac crassa intestina habitasse. Occipitis os, sine omni intercedente vertebra, firmiter, nulla articulatione praesente, cum sacro osse concreuisse, sacrum vero os suam naturalem habuisse figuram, nisi quod eam magnitudine multum superaret, ac ex utroque latere duodecim costae prodirent. p. 350.

MATERNVS DE CILANO *cor semicartilagineum* vidit, cuius externa lamina carnea erat, subiecta lutei coloris vere cartilaginea, tertia iterum carnea, cum qua concreuit quarta cartilaginea, quinta, internam cordis superficiem inuestiens, tenuis erat atque carnea. p. 357.

Duas felleas vesiculas in infante inuenit IOH. IAC. HVBERVS. Hepatis sulcus pro recipiendis vesiculis simplex erat, latior tamen, quam naturaliter esse solet. In eo magna primum conspiciebatur vesicula, communi membrana obtecta, cum duplici fundo, seiunctim propendente, dum media pars atque collum simplicia adhuc adparebant. Rescissa externa tunica non nisi telae cellulosae ope connecte- p. 383.

nectebantur binae; ſeparando vero deinde omne cellulosum in conſpectum prodibant duae diſtinctae ac integrae veſiculae. Cyſticorum ductuum quiuis ad aliquot lineas ſeiunctus incedebat, mox vero ad angulum confluebant acutiſſimum, et ita demum cyſticus ductus communis iter ſuum abſoluere pergebat, hepaticoque ductui inſertus, cholodochum producere adiuuabat, ut a communi illo ductu cyſtico vel recipi bilis hepatica et ad veſiculas vehi, vel effuſa e duplici conditorio cyſtica, duodeno infundi poſſit. De *ligamento hepatis ſuſpenſorio*, *venaque umbilicali* notauit Cl. Auctor, hancce cum peritonaei expanſione incedere, ſecundum lineae albae directionem et rectiſſima vere via aſcendere, vixque in iunioribus, maxime in fetubus, dextrorſum vergere, nec muſculis abdominalibus eam arcte applicatam eſſe, prout in adultis, ſed quam primum illa umbilicum fetus penetrauerit, recedere cum productione peritonaei a pariete abdominis, et recedendo ab umbilico magis magisque penetrare interiorem abdominis cauitatem, usque dum vena peruenerit ad ſulcum, in hepate exſculptum, dum inter ea peritonaei productio et cum vena umbilicali incedat, et lineae albae et diaphragmati et conuexae hepatis parti et fiſſurae eius accreſcat, ligamenti ſuſpenſorii nomine. Hoc ligamentum non modo ad hepar terminatur, ſed ad umbilicum usque ſe protendit in iunioribus, dum ibi, aliquot linearum latum, prodiens, lateſcendo et cum vena incedendo ad hepar accedit, ſicque fere triangulum acutum format. Per aetatem vero haec omnia mutantur, ut accurate Cl. Auctor deſcripſit. Porro etiam de *ſitu veſiculae felleae*, et quoad fundi eminentiam extra hepatis lobum, et quoad fundi altitudinem ratione ceruicis plura ex cadauerum comparatione adduxit, eamque rem pro diuerſa aetate
p. 388. diuerſo modo ſe habere, oſtendit. *Muſculos gaſtrocnemios*, *ſoleum* atque *plantarem*, albos, nullo rubedinis

nis veſtigio praeſente DELIVS vidit. Idem Cl. Au- p. 390.
ctor *fiſtulae ani completae, in febre quartana ſine ſe-*
ctione curatae hiſtoriam tradidit. Iniectionem deco-
cti nicotianae ſaturati cum oleo ouorum et myrrhae
per deliquium mixti adhibuit, ano interim linteo
obturato, ita, ut liquor iniectus diutius in fiſtulae
ſinubus remanere potuerit; turundula etiam claude-
batur illa, impoſito ſimul emplaſtro ſaponato cam-
phoroto, quod BARBETTE inuenit. Huic liquori
iunxit dein agrimoniae et veronicae decoctum, nec
non myrrhae et ſuccini eſſentiam, atque balſamum
de copaiua. Idem DELIVS de *lapidum gemmarum-* p. 389.
que phoſphoreſcentia diſſeruit. Lapides pretioſos, in
Saxonia Bohemiaque erutos, ut ſmaragdum, hyacin-
thum e. ſ. p. experimentis adhibuit, hosque inui-
cem adfrictos difficillime lucis ſpeciem ſpargere ani-
maduertit. Affricuit autem eos dein in hypocauſto
tenebricoſo fornaci ferreae et calidae, atque tunc
perpulchre apparuit phoſphoreſcentia. Egregie ve-
ro lucem ſparſit ſmaragdus, vel potius fluor ſma-
ragdinus, qui etiam quarzum virideſcens appellatur,
frictione litteras pinxit, quae in calida fornace per
aliquot horae minuta conſtanter phoſphoreſcebant,
indicio, ut Auctor putat, lucis huius cauſam in a-
ctione acidi ſalis communis et phlogiſti tenuioris,
ſulphuris ſpeciem conſtituentis, latitare; forte etiam
ipſius electrici ignis veram cauſam in eo quaerendam
eſſe exiſtimans. *Petrefacta agri ducatus Coburgenſis* p. 401.
deſcripſit ALBRECHTVS.

In appendice continetur 1) *Hiſtoria podagrae Emin.* p. 1.
Cardin. Com. a SINZENDORFF. *conſcripta a* IO. GOD.
DE HAHN. Recuſa modo ea hic eſt, primo enim
prodiit Norib. 1751. 4. Recenſionem dedimus ſu-
perius *.

2) VA-

* Vid. comment. noſtr. Vol. I. Pars. II. p. 203.

p. 33. 2) VALENTINI ERNESTI EVGENII COHAVSEN *meditationes de noxa timiditatis in curatione haemoptyseos.* Non nullos Auctor adducit casus, ubi remedia, quae validiorem adstringendi virtutem habent, in pulmonum haemorrhagia adhibita, noxas attulere. In pulmonalibus enim vesiculis sanguinis relinquuntur grumuli, qui, in corruptionem abeuntes, phthisin hecticamque facillime inferunt. Hinc concludit, pessime agere in haemoptyseos curatione medicum nimis timidum, si purpuream animam mox simul prodituram suspicatur, eamque adstringentibus incarcerare stypticisque ligare incautus tentat. Peccat porro timore nimio medicus, quando ex copiosius reiecto sanguine, vasa admodum depleta et vires plane deiectas fore existimat, ideoque venaesectionem instituere non audet. Sane si post haemoptysin, a quacunque fere causa ortam, pediſſequa phthisis praecaueri debet et potest, nulla aptiori medicina id impetratur, quam prudenti, ea tamen non timide administrata, frequenti phleborotomia. In hac etiam sola quaerenda Cl. Auctori videtur prophylaxis eorum, qui iure haereditario a natiuitate ad phthisin sunt dispositi.

p. 59. 3) PHILIPPI ADOLPHI BOEHMERI *obseruatio de sarcomate uteri, subiuncta disquisitione, qua praestantia forcipis Chamberlaynianae in paragomphosi capitis foetus in partu confirmatur, et quid de recentissimis Levreti ferramentis atque forcipe Bingiana sentiendum sit, indicatur.* Quatuor filiorum mater in quarto puerperio an. 1742. incipientem in dextro latere, et per interualla redeuntem, fixum dolorem, cum successiuo abdominis augmento pondereque sentiebat, post ea quam imperita obstetrix violentam placentae, praeter naturaliter ipsius utero adhaerentis, extractionem frustatim peregerit. Lochiorum fluxus eo tempore ex parte defecit, inde factum, ut aliquot annis

annis propter menſium obſtructionem, impeditasque alias naturales excretiones, ſpaſmis inferiorum partium agitata et ophthalmia vera excitata fuerit, quae ſuffuſioni anſam praebuit. Ipſe nunc Cl. Auctor accerſitur, ſua medendi methodo obtinuit, ut fluxus menſtruus rediret, et diſcuſſa oculorum inflammatione incipiens ſuffuſio ſenſim imminueretur. Sterilis huc usque mulier an. 1746. rurſus concepit, et appropinquante partu, qui unico ſaltem niſu, ruptura membranarum ſtatim contingebat, obſtetrix, facta exploratione, caput foetus intra oſſa pubis iam illapſum ſentiens, partum mox ſubſequuturum promittebat. Verum permanſit caput fetus hoc in poſitu ultra diem noctemue, nullis amplius ad excluſionem fetus ſuccedentibus conatibus. Vocatus tandem Cl. Auctor, vidit abdomen ita propendulum, ut umbilicus parturientis dextram attingeret patellam, foetumque iam mortuum eſſe, ex ſignis collegit, capitisque paragomphoſin deprehendit. Tentauit pluribus remediis motus uteri abiectos reuocare, ſed ſine omni effectu. Inter ea a muliere intellexit, eam per quinque annos ſucceſſiuum incrementum, et in hypogaſtrica dextra regione corpus ponderoſum atque mobile percepiſſe, indeque coactam fuiſſe, tempore in primis grauiditatis propendulum ac inaequalem ventrem faſcia ſuſpenſum tenere. Huius itaque excedentis expanſionis occultam cauſam in utero adhuc latitare ſuſpicatus eſt Cl. Auctor. Interim fruſtra adhibitis remediis, fruſtraque tentatis encheiriſibus, quibus caput foetus immobile e loco mouere conatus fuit, ob increſcentem virium proſtrationem, omne praeſidium in ferramentis collocauit, extractionem capitis ſuſcepit, applicatisque duabus feneſtratis forcipis lamellis illud feliciter peregit. Praeternaturalis vero remanebat abdominis expanſio, eiusque nodoſa durities vel alium adhuc in utero fetum, vel corpus quoddam molare ſubeſſe, indi-

indicabat. Dextram itaque in uterum immisit, qua circa limbum orificii uterini dextrorsum corpus carnosum, tactui resistens, superiori latissima parte fundum uteri attingens, detexit. Hanc autem excrescentiam intactam reliquit, et modo situm corporis quietum commendauit, lataque fascia abdomen leuiter comprimere iussit. Loco fluxus vero lochialis serum sanguinolentum, putridumque effluxit, inflammatoria accessit febris, pustulaeque albicantes miliares quarto die erupuerunt; tandemque superueniens diarrhoea foetida, vires penitus exhauriens, medicamentisque obedire nescia, atque maculis retrocessis; sequebantur die nono deliria et motus conuulsiui, ipsaque puerperae mors. Instituto post mortem scrutinio, uterus nimis adhuc extensus, hinc inde nigricans, foetensque, et in loco, cui sarcoma incumbebat gangraenosus visus fuit. Sarcoma erat caro compacta, octo circiter librarum ponderis ciuilis dextrorsum prope uteri ostium ex eius substantia enatum, firmaque membrana cum uteri membrana continua, tectum. Huic historiae epicrisin subiunxit Cl. Auctor, in qua ea perpendit, quae tam ad laborem operosum, quam genesin sarcomatis et lethalem euentum spectant. Sermonem dein de forcipe anglicana, in nunc notata paragomphosi adhibita, instituit, qua ratione LEVRETVS eam emendare voluerit, describit, et quo praerogatiuas instrumenti leuretiani examinare posset, vitiosas prius recensuit, quas gallicis anglicisque forcipibus adscripsit LEVRETVS conditiones, hasque obiectiones soluit et ita optimas eas esse asserit. His praemissis tandem ex ipso compositionis modo instrumenti levretiani vitia demonstrare annititur, dum facillime et vesicae et perinaei laesio ab ipso inferri possit, simulque probare studet, LEVRETVM ad commodam firmamque inclusionem tantum respexisse, haud habito respectu ad imminutionem capitis voluminis, quae tamen extractio-

tractionem debet praecedere. Vltimo tandem disserit de forcipe, quam BINGIVS correxit, quamque descripsit ac aeri incidendam curauit Cl. IANCKIVS, ex cuius etiam epistola varia momenta examinat, quae de praestantia huius forcipis adduxit. De his vero instrumentis eorumque praestantia agitatam litem nunc fusius recensere ideo nolumus, quod Cl. LEVRET ad hasce, a BOEHMERO hic factas obiectiones, responsiones iam dederit. Vti enim ex praefatione, quam LEVRETVS alteri parti, a se editae obstetriciae artis, praemisit, cognouimus, Cl. BÜCHNERVS hoc BOEHMERI manuscriptum LEVRETO misit, qui etiam sine mora suas animaduersiones contra Cl. BOEHMERI obiectiones calamo exarauit et dein typis mandauit. Hinc itaque factum est, ut refutatio prius prodierit, quam ipsa BOEHMERI tractatio. Alio ergo tempore forsan omnem litem ad ductnm levretiani libri (suite des Accouchements) recensebimus.

4) CHRISTIANI ANDREAE COTHENII *triga* p. 101. *observationum de lue bouina in circulo prignicensi an. 1746. notata.* Omnes, quotquot dissectae fuerunt, vaccae pectoris cauum aqua repletum, pulmones exulceratos pleuraeque adnatos, hepar etiam interdum durum, cum peritonaeo concretum, pluribusque abscessibus contaminatum ostendebant. Ex his aliisque phthisin pulmonalem ex febre catarrhali, a temperiei mutatione exortam sicque epidemicam fuisse concludit Cl. Auctor. Ad originem vero morbi eruendam sequentia adducit. Boues vaccaeque vernali fortasse tempore una cum gramine recenti admodumque exiguo multum ab inundatione albis relictae limosae terrae, qua gramen obtectum fuit, deuorarunt. Haec vero non sola est atque unica causa, verum et aeris temperies maio iunioque mense calida exstitit, toto vero iulio frigus cum calore alterna-

ternauit. In his itaque animalibus brutis, diu noctuque aeris iniuriis ibi locorum expositis, eiusmodi tempestatis conditionem magnam quoque vim exseruisse, existimat COTHENIVS.

p. 125. 5) *Rudera terrae mutationum particularium testes possibiles, pro diluuii uniuersalis testibus non habenda esse, occasione inuersionis Limae et Collao in America meridionali;* docet HENRICVS FRIDERICVS DELIVS. Neutiquam uniuersales telluris mutationes in dubium vocat Cl. Auctor, neque terrae concussionem vel combustionem uniuersalem, ut alii existimarunt, prorsus negat, id modo in hac tractatione ostendere annisus fuit, possibilia esse rudera diluuiorum, terrae motuum, ac incendiorum particularium, quorum causa in diluuio et terrae motu uniuersali plerumque poni solet.

p. 141. 6) *I. H. C. H. S. M. D. mercurii sophici, delaruati Liber II.*

p. 173. 7) IOH. PHIL. BREYNII *descriptio fructus cerei americani maioris articulati, flore maximo, noctu se aperiente et suauissimum odorem spirante.* Erat ille figurae oualis, duas uncias longus et parum supra uncíam latus, odoris expers, coloris ex carneo flauescentis. Superficies constabat ex tuberculis, in quintuplici spirali ordine positis; ex centro cuius libet tuberculi prodibat fasciculus pilorum spinularumque; extremitas superior umbilicata erat; secundum longitudinem dissecto fructu apparebat cauitas oualis figurae, innumeris seminibus nigerrimis, in pulpa alba viscosa nidulantibus repleta; semina ipsa oblonga erant parumque compressa. Hanc sequitur:

p. 177. 8) CHRISTOPHORI IACOBI TREWII *historia et descriptio fusior cerei serpentis vulgo dicti.* Vbi Sect. I. eius

eius nomina diuersa praemisit, quibus dein inuentionis historiam addidit. Subiunxit hisce Sect. II. totius plantae omniumque partium fusiorem descriptionem. Sect. III. non nullas singulares obseruationes recensuit. Triangularis cerei, cuius florem nullus hactenus icone expressit, historiam Sect. IV. tradidit, et Sect. V. de cerei charactere in genere disseruit. Omnis haec, uti et prior BREYNII tractatio nitidis iconibus illustratur.

Vitae eruditorum atque huius academiae sociorum in hoc volumine continentur quinque; sunt illae: GVILIELMI BERNHARDI NEBELII, GEORGII DETHARDINGII, ERNESTI GOTTHOLD STRVVII, GEORGII FRIDERICI RICHTERI, atque IOHANNIS ADAMI KVLMI. Indice copioso nonum hoc finitur volumen. p. 209. p. 227. p. 257. p. 275. p. 295.

VI.

Plantae selectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia, Londini in hortis curiosorum nutrita, manu artificiosa pinxit GEORG. DIONYS. EHRET, collegit, nominibus notisque illustrauit CHRIST. IAC. TREW, in aes incidit et viuis coloribus repraesentauit IO. IAC. HAID. Decuria III. 1752. fol. reg. text. pl. 1. tab. aen. 10.

In splendidi illius, quod superius indicauimus, laudauimusque, herbarii Ehretiani decuria tertia sequentes continentur eodem nitore delineatae plantae. Tab. XXI-XXIII. *Musa caudice maculato, fructu recto rotundo breuiore odorato* SLOAN. *Cat. pl. Iamaic.* et in priore quidem tabula tota planta in minuta, in reliquis vero spadix florifer fructiferque in

naturali magnitudine exhibetur. Tab. XXIV. *Lycium foliis linearibus flore fructuque minore*, et *Lycium foliis linearibus flore fructuque maiore*. Vtramque plantam, magnitudine floris atque fructus diuersam, modo varietates esse, BOERHAAVIO iam monente, ipse Cl. Auctor perhibet. Tab. XXV. *Ehretia foliis alternis oblongis acuminatis, spica florum sparsa, petalis reflexis albis*. *Calabae* nomine inscripto plantam hanc accepit TREWIVS; verum character eius adpictus, et cum illo calabae, a PLVMIERIO exposito, collatus, nominis errorem docuit. Fere omnes enim, ut VAILLANTIVS, qui *kalophyllodendri* nomine idem genus descripsit, et BVRMANNVS qui *inophyllum* dixit; nec non LINNAEVS, qui *calophyllum* appellauit, atque LVDWIGIVS, qui *calabae* nomen reuocauit, huic generi adscribunt calicem quadrifidum, petala quatuor, stamina plurima, fructumque carnosum, unicum osſiculum cum simplici nucleo, includentem. Aliam itaque hanc esse stirpem, atque ab omnibus huc usque notis speciebus differre, VAN ROYEN et WACHENDORFFIVS iam obseruarunt, utpote qui, licet *calophylli* speciem, LINNAEI Hort. Cliff. indicauerint, nihilominus *calabam citri folio splendente* PLVMIERII sigillatim recensent. Cum ergo huius plantae character cum nullo alio conueniat, et cum clarissimus EHRETVS non solum eius effigiem, verum etiam characterem primus in publicum produxerit, atque praeter ea singulari sua industria botanicis se diu commendauerit, ab eius nomine huius generis denominationem deriuare non dubitauit Cl. TREWIVS. *Ehretia* itaque est plantae genus, cui calix regularis monophyllus semisexfidus persistens; corolla regularis hexapetala, petalis oblongo lanceolatis reflexis; stamina sex petalorum longitudine; ouarium globosum, stylus simplex persistens; stigma bifidum; bacca globosa carnosa, tetrapyrena. Tab. XXVI. *Palmifolia femi-*

na.

na. Rariſſimam hanc et nouam forte plantam nec deſcriptam, neque depictam, reperire licuit, ab HOVSTONO modo *palmae folio planta acaulos*, *fructu clauato polypyreno* dicta fuit. Mas et femina ſeparatam conſtituunt plantam, quae utraque culta et ad fructificationem perducta eſt Londini in horto liberi Baronis PETRI. Sed, hic cum poſt obitum perilluſtris viri triſte neglectae culturae fatum expertus fuerit, planta haecce quoque periit; quare plura characteris generici momenta, quam quae harum figurarum ope EHRETVS communicauit, expiſcari haud potuit TREWIVS. Habemus vero in tabula ſpicam diſſectam, ubi inſertio partium feminearum conſpicitur, et in eius modi ſeparata parte apparet pedunculus tectus capitulo oblongo quadrato, utrinque grano ſeminifero foeto, interiori eius ſuperficiei adnato. Porro etiam ſpica maris adeſt, ubi capitulo fungoſo pyramidali inuerſo utrinque cohaerent plures ſquamulae, forte maſculino polline refertae. Tab. XXVII. *Pancratium* foliis enſiformibus, ſpatha multiflora, floribus magnis candidis fragrantibus. Tab. XXVIII. *Pancratium* foliis amplis ouatis acutis petiolatis, ſpatha multiflora, floribus minoribus candidis fragrantibus. Tab. XXIX. *Podophyllum* lobis foliorum truncatis et laciniatis, flore expanſo polypetalo. CATESBY plantam hancce nomine *anopodophylli* canadenſis exhibuit. Tab. XXX. *Cereus* teres multangularis ſpinoſiſſimus articulatus ramoſus, ſerpens, flore purpuraſcente diu noctuque aperto, fructu exiguo rubente. Huius, quem nosmet ipſi nuper in horto Ludwigiano florentem vidimus, elegantis plantae delineatio, ut et reliquae omnes, illis certe, quas in prioribus decuriis accepimus, nullo modo cedunt, ideoque etiam ipſius operis continuationem ex merito expectamus.

VII.

Diſſertations ſur la chaleur avec des obſervations nouvelles ſur la conſtruction et la comparaiſon des thermometres par Mr. MARTINE trad. de l'Anglois par Mr. * * * à Paris, chez Iean Thomas Heriſſant, 1751. 12 mai. alph. 1. pl. 9. tab. aen. 1.

i. e.

Diſſertationes de calore, cum nouis, de conſtruendis thermometris, eorumque facienda inter ſe comparatione, obſeruationibus &c.

Prodiit an. 1740. Londini liber *eſſays medical and philoſophical* inſcriptus, auctore GEORGE MARTINE. In hoc cum eruditae non minus, quam utiles diſſertationes propoſitae legantur, laudem certe merentur ii, qui in his ad communem magis eruditorum utilitatem accommodandis operam ſuam collocant. Hoc autem effeciſſe videntur illi, qui has commentationes ex anglico in gallicum ſermonem conuerſas ediderunt. Atque alio iam tempore iſtarum diſſertationum duae, quarum una de criſibus, altera de purgantibus medicamentis agit, translatae, ac tentaminum et obſeruationum medicarum Edinburgenſium gallicae verſionis ultimo volumini, appendicis loco, adnexae fuerunt; nunc vero et reliquae MARTINII diſſertationes, gallice redditae, hic exhibentur. Sunt eae numero quatuor, quarum prima de conficiendis, altera de comparandis inter ſe diuerſis thermometris, agit, tertia incaleſcentiae et refrigerii corporum rationes, quarta denique naturalem ac experimentalem diuerſorum caloris in corporibus graduum hiſtoriam exponit. Placuit porro Cl. editori his MARTINII commentationibus alias adnectere, ex anglico ſermone verſas, quarum argumenta

menta cum illis proxime conueniunt. Harum prima eſt ROBERTI DOVGLASS de generatione caloris in animalibus; ſecunda CROMWEL MORTIMER de calore naturali animalium ex Tranſ. philoſ. n. 476. deſumta, tertia ex italico IOSEPHI BIANCHINI ſcripto, quod de morte comitiſſae CORNELIAE ZANGARI et BANDI is compoſuit, et in quo ſimul de morte IO. HITCHELL et GRACE PETH agitur, quorum corpora combuſta et in carbones cineresque conuerſa, reperta fuerunt, excerpta fuit a Dn. ROLLI, et eidem numero Tranſact. Angl. inſerta. Hae autem diſſertationes omnes, cum nouae non ſint, ſed iam ante aliquot annos conſcriptae ac editae, et forte iam ſuo tempore in diariis literariis recenſitae, nolumus quidem nunc in iis enarrandis prolixi eſſe, ſufficiat modo nobis in gratiam eorum, qui linguae anglicae gnari haud ſunt, eas indicaſſe, quae gallicae conſuetudini traditae nunc denuo in lucem editae fuerunt.

VIII.

Quaeſtio medica: an tuſſi puerorum clangoſae vulgo *Coqueluche*, emeſis? Praeſide LVDOVICO CLAVDIO BOVRDELIN, proponebat IOANNES BAPTISTA BASSEVILLE, Pariſiis 1752. 4. mai. pl. I.

Morborum tot genera pueros prae reliquis adeo diſcrutiant, ut quotidianis obſeruationibus reiteratis compertum ſit, numerum infantum fato cedentium longe maiorem eſſe adultorum numero. Inter tot aegritudines primas partes quoque ſibi vindicat tuſſis, quae cum ratione loci et cauſarum varia ſit, Cl. Auctori placuit tuſſim illam clangoſam pueris adeo infeſtam, quam et ſtomachalem vocant, deſcri-

bere, eiusque curationem tradere. Haec tussis species antiquis antea prorsus ignota, nec ab HIPPOCRATE ipso obseruata, circa initium saeculi decimi quinti in Gallia grassari coepit et, uti FRANCISCVS VALERIOLA annotauit, primum indiscriminatim cuiuslibet aetatis homines adgressa est. Nunc vero infantes puerosque tantum adoritur et vulgo *coqueluche* vocatur, quod, qui eo morbo tenebantur, caput cucullione velabant, ne, ut arbitrabantur, fluxio a cerebro in pulmones irrumperet. Atrocis vero morbi symptomata haec sunt: aegros vexant initio grauis capitis dolor, respirandi anguſtia, vocis raucitas, mox horror, febris, tussis adeo valida, ut in praefocationis metum plerique adducantur; primis diebus haec tussis est sicca atque vehemens sine screatu, post septimum aut decimum quartum diem, screatus multus viscidus, lentus, non nullis tenuis et spumosus, procedente vero sputo tussis et spirandi difficultas aliquo modo remittunt, sed in omni morbi progressu lassitudo corporis, virium deiectio, inappetentia, inquietudo, vigilia, non nullis alui fluor sub finem, aliis sudores superueniunt. Hisce praesuppositis, sedem huius morbi in ventriculo et primis viis ponit, et causam ex saburra humorum ibi nidulante repetit Cl. Auctor. Haec autem colluuies ex parte oritur, quando a perspiratione, quod in pueris facillime euenit, suppressa humores ad interiora et potissimum ad ventriculum et pectus pelluntur. Praeter ea pueri ipsi, licet ventriculo per naturam adhuc debiliore donati, tamen continuo sine fame, sine modo, sine fine, sine delectu comedunt et primas vias alimentis nimiis replent, quae crassam, acidam et viscidam indolem post ea acquirunt. Hac saburra collecta papillae nerueae ventriculi vellicantur et diaphragma, quod arcte neruorum consensu cum orificio ventriculi siniſtro connectitur, irritatur hincque tussis exsurgit et ob tenerum, mobile et sensile neruorum

genus

genus in infantibus, motus ſpaſtici et conuulſiui ſimul excitantur. Eandem vero ex ventriculo oriri, ſignum eſt in tuſſiendo ſonitus et in profundo loco et praecordiis moleſtus ſenſus. Haec ergo huius morbi cognita cauſa per vomitoria erit eliminanda eo facilius, quoniam pueri ob ſeri abundantiam, et mollia et flexilia neruorum ſtamina emeticorum vim ſuſtinent. Ea tamen ſeligenda ſunt emetica, quae lenia ſunt. Ex his kermes minerale, quod ex antimonii parte regulina, ſale alcalino fixo et vero ſulphure minerali conſtat, optimum iudicatur, cuius granum unum ad quatuor in cochlearibus vini et aquae duobus cum pauxillo ſacchari miſcentur et cochlear unum omni horae quadrante pro doſi exhibetur. Si mitior effectus deſideratur, doſis grani ſemis vel unius, tertia et ſexta quauis hora, vel per ſe, vel cum oleo amygdalarum dulcium, vel conſeruis propinanda erit. Pari cum effectu radix Ipecacuanhae et tartarus emeticus dari poterunt. Etſi quidem Auctor Cl. alia medicamenta diluentia, abſorbentia, anodyna et laxantia non excludit, tamen vomitoriis in cauſa huius tuſſis tollenda plurimum fidit et adſcribit.

IX.

Quaeſtio medica: An legitimae vulnerum ſuppurationi promouendae cortex peruuianus? Praeſide M. CAMILLO FALCONET M. D. proponebat auctor LVDOVICVS ANNA LAVIROTTE, M. D. Monspel. Pariſiis, 1752. 4 mai. pl. ½.

Veri puris, quo modo a natura ſola praeparetur, breui hiſtoria praemiſſa, eiusque indole recte declarata, diſcrimine ſimul, quod inter ipſum et materiem putridam, ichoroſam, eſſe deprehenditur,

adnotato, in cauſam inquirit Cl. Auctor: cur non raro pus minime laudabile generetur? eamque ſaepius in virium defectu, quo multi laborant aegri, qui aliquam corporis partem habent vulneratam, et, quae neceſſarius eius eſſe ſolet effectus, in praua alimentorum digeſtione ſanguinisque imperfecta praeparatione, ſe inueniſſe, exiſtimat. Cum igitur inter alias vires ea in primis cortici peruuiano ſit propria, ut laxis corporis partibus robur conciliet, indeque, dum functiones eius nunc laetius procedunt, vires adaugeat, uſum eius in omnibus vulneribus, quae ſequi debet ſuppuratio, ſi haec minus recte fiat, ut et poſt inſtitutas illas ſic dictas operationes chirurgicas, quas vehemens excipere ſolet inflammatio, ad auertendam gangraenam, non commendat ſolum, ſed hanc ſuam quoque ſententiam exemplis, a variis auctoribus enarratis, confirmat, unaque fatetur, quod contrarii quidem effectus ab hoc cortice expectari videantur, dum is ſcilicet in uno morborum genere nimiam ſolidorum tenſionem minuere, et ſpaſmos compeſcere, in altero autem corpori imbecillo atque cachectico robur reddere, eiusque functiones iuuare dicatur; qui tamen effectus, licet haud vero ſimiles ſint, certa tamen experientia comprobati, ideo negari haud debeant, quod mechanismus, quo ille cortex, uti et plura alia remedia, agat, nobis adhuc nondum perſpectus ſit.

X.

Quaeſtio medica: An per ſuffitum felicior et tutior, quam per inunctionem mercurialem, morbi venerei curatio? Praeſide M. IOANNE DAMIANO CHEVALIER, M. D. proponebat LVDOVICVS PETRVS FELIX RENATVS LE THIEVLLIER. Pariſiis 1752. 4. mai. pl. ½.

Poſtquam luis venereae cauſam breuibus expoſuit Cl. Auctor, et, quo vel partes corporis tumoribus atque ulceribus ea deturpare, vel functiones illius laedere valeat, modum oſtendit, natura huius morbi in ſingulari aliqua humorum viſciditate poſita, mercurium contra huius generis morbos quidem commendat, ſed eius uſum frictionis ope in leniori tantum malo applicandum eſſe, putat: moueri tamen inde ſaliuationem, aut catharſi hanc deprimi, non vult: ſaliuae enim ſpurcitiem orisque foetorem ab ulceribus tantum, nec ab eliminato luis fomite, prouenire, inde probat, quod illa nec purior ab homine ſano, quam lue infecto, hac ratione eliciatur: aluo ducta, frangi praeter ea vires; in utroque autem caſu iuſto citius mercurium ex corpore proſcribi: ideoque eam methodum, qua parciore inunctione uti, curamque, quam diu fieri poteſt, extendere iubentur aegri, morbo per ſolam perſpirationem profligando, reliquis, licet inter plures medicos huc usque uſitatioribus, viis praefert. Si vero morbus grauior ſit atque inueteratus, v. c. ubi adſunt exoſtoſes, anchyloſes, ſcrophulae, oſſium palati, naſi, aliorumque ulcera, haec methodus non ſufficere dicitur, ſed alia, ut omnium tutiſſimâ atque feliciſſima, ſuffitio nempe, commendatur, cuius ſalubritatem, quam Cl. Auctor ipſe ſaepiſſime expertus eſt, poſt multa in noſocomiis pariſienſibus facta

experimenta, medicorum ordo declarauit. Cinnabaris artificialis, vel, qui conuenientior esse deprehensus fuit, aethiopis mineralis, ex hydrargyri una libra, florumque sulphuris unciis quatuor, confecti, tritura per undeuiginti horas in vitreo mortario facta, drachma una carbonibus iniicitur; aeger autem, tentorio satis amplo tectus, ore et oculis clausis, tempore, quo lectum ingredi solet, mercurium hoc modo sub flammulae forma exhalantem naribus excipere, et, copioso mox inde per totum corpus erupturo sudore, in lectum se conferre, eumque per aliquot horas emanare, pati debet. Hac ratione mercurii moleculas omnium exilissimas atque mobilissimas, quippe quae suffitionis ope *cerebrum per neruos olfactorios a natura cauos irrorare*, et in pulmones atque ventriculum descendere dicuntur, totum corpus, eiusque remotissimos et subtilissimos canales, penetrare, asserit Cl. Auctor.

XI.

Traité de la petite verole communiquée par l'inoculation; par M. BVTINI Docteur en medecine, de la Faculté de Montpellier et Aggrégé à Geneve. à Paris, chez I. T. Herissant. 1752. 8. pl. 6.

i. e.

De variolis per insitionem communicatis tractatus.

Inter omnes nunc constat, quaenam sit huius operationis chirurgicae, quam variolarum inoculationem vocant auctores, ratio, et quisnam instituendi eam modus? Licet ea vero iam quidem per tringinta, et quod excurrit, annos in cultioris Europae prouinciis cognita, atque in primis in Anglia saepissime in

in usum vocata fuerit; nihilo tamen minus eorum, qui eam reformidarunt, plures fuere, quam qui defenderent. Inter defensores referri quoque debet praesentis tractationis Cl. Auctor. Vt eam igitur quaestionem: Num variolarum insitio tristes atque p. 4. funestos istos euentus, quos variolae ab ipsa natura excitatae, saepius producere solent, auerruncare valeat, solueret, ante omnia utriusque variolarum generis indolem, tum illius, quod naturalium, tum alterius, quod arte factarum, genus appellare possumus, inuestigat atque inter se comparat, indeque, huic prae illo palmam tribuendam esse, colligit, commodis illis declaratis, quae artificiosis variolis prae naturalibus solent esse communia. Va- p. 8. riolis, per se consideratis, haud inesse quidem contagium, existimat, certe nulli, nisi qui hoc morbo numquam adhuc fuerit correptus, infensum: Homini enim nascenti innatam iam esse primam illam materiem varioloſam, in loco aliquo, a visceribus vitalibus remoto, et extra humorum circulum eorumque vasa posito, collocatam, quae deinde ab aliqua causa externa in motum agatur, febre eum ipsius symptomatibus insequente: Arte autem suscitari debere dictum illum focum varioloſum, inde probat, quod variolae quidem naturales nullum ex indole sua apportent periculum, propter alias tamen causas ab p. 24. ipsis variolis distinctas, nec sola semper arte superandas, v. c. aetatem prouectiorem; humores in aegris iam ante huius morbi accessionem acres factos; morbos alios modo ante breue tempus victos, viresque inde corporis adhuc debiles; tempestatis iniurias, malamque constitutionem epidemicam, e. s. p. valde fieri possint periculosae, quod haec vero omnia praeuenire, vel alio modo euitare queat medicus, insitione celebrata. Praeter id vero, quod hae cau- p. 34. sae externae, quarum vi variolae alias forte benignae mutari possunt in peiores, hac methodo euitari possint,

ſint, peculiarem inde emanare putat Cl. Auctor utilitatem, quod vulnera, eam ob cauſam aegro inflicta, ipſius vitae ſingulari eſſe queant praeſidio. Per ſex ſeptemue dies priores, aſſerit ille, ipſum quidem corpus haud affici videri, inflammatione nimirum tantum circa vulneris oram orta, cruſtaque inde, mediante ſuppuratione, a vicinis partibus ſeparata; ſed, poſtquam febris, id quod ſeptimo ut plurimum die fieri ſoleat, excandeſcere coeperit, puſtulis in cutis ſuperficie ortis, inſignem varioloſae materiei copiam ad haec vulnuſcula duci, ideoque omnem eius fomitem imminui, atque ita fieri, ut in reliquo corpore minor ſit variolarum numerus, nec illae confluant, neque nimis copioſa materie turgeant:
p. 38. Corpore etiam ante ſuſcipiendam operationem rite praeparato, haud eſſe metum, ne illa morbum ſequantur incommoda, quae alias acriorum humorum ſint effectus: Accedere denique et hoc, quod, vulneribus diu ſatisque ſuppurantibus, ſanguis optime depurari, omnisque materies acris, alias facile relinquenda, furunculorum, aliorumque morborum noua cauſa, ab eo ſeparari queat. Poſt haec felicem variolarum inſitionis euentum Geneuae in viginti aegris, quorum curam in ſe ſuſceperat, experientia
p. 45. comprobatum fuiſſe, Cl. Auctor teſtatur. Exponit deinde commoda, quae a frequenti huius operationis exercitio in rem publicam redundatura eſſe inde probat, quod, cum ultima vice Geneuae epidemice graſſatae fuerint variolae, teſtibus publicis tabulis magiſtratus iuſſu confectis, decima pars horum aegrorum morte fuerit extincta; quae hominum iactura ab inoculatis variolis haud fuiſſet extimeſcenda. Ne ullum vero dubium lectoribus ſuis remaneat, omnes, quae contra hanc inſitionis variolarum commendationem moueri poſſunt, obiectiones proponit Cl. Auctor, easque ſoluit, tumque modum, quo ante praeparari debeant agri, quam ipſis excitentur variolae,

variolae, et quo ipsa instituenda sit operatio, tandemque quo morbus hac arte factus debeat curari, docet. Finit hunc commentarium, quem libenter perlegimus, adiecta huius operationis historia, qua nimirum ratione primum Constantinopoli, deinque in reliquis Europae prouinciis cognita fuerit.

XII.

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften zum Unterricht und Vergnügen aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt, achter Band. Hamburg, bey G. C. Grund, vnd Leipzig bey A. H. Holle, 1751. 8. alph. 1. pl. 19. Kupfertafel 1.

h. e.

Promptuarium Hamburgense, siue collectio scriptorum, institutionis et oblectamenti gratia ex physica, et humanioribus litteris collectorum etc. Tomus VIII.

Physici argumenti scripta, hic a nobis indicanda, sequentia in octauo continentur tomo:

Part. I. no. 1. Primaria atque utilissima ex libro, quem de *cultura terrae secundum fundamenta* DE TVLL, angli, Cl. DV HAMEL DV MONCEAV Parisiis 1750. 8. edidit, et an. 1752. in germanicum sermonem translatum accepimus, excerpta legimus. p. 1.

No. 2. De volatilitate argenti in schisto mansfeldensi tractatio. Schistum, qui in mansfeldensi regione eruitur, plurimum volatilis alcali continere, ostendit anonymus Auctor, illudque chemico examine ex illo obtinuit. Ex salino itaque lixiuio, destillatione

ex

ex ſchiſto educto, et affuſione ad ſaturationem usque alcali fixi ſedimentum accepit, quod cupellatione argenti particulam exhibuit. Mineralia vero non nulla in naturali ſua mixtione certo reſpectu quidquam, ad quod adhiberi ſolent, promtius, quam in ſeparato et ita ſimplici partium, antea cohaerentium, nunc disiunctarum ſtatu, efficere, notiſſimum eſt. Ita arſenicum plane contrarios exſerit effectus; aliquando metallorum ſublimationem efficit, alio vero tempore crudas et omni metallica parte deſtituras terras nobiles et argento diuites reddit. Hinc dubitandum forte eſſet, num alcali huic minerali volatiliſatio harum, in ſchiſto contentarum, argenti particularum unice adſcribenda ſit, an vero arſenicale principium ſuum quoque contribuat. Mansfeldenſem enim ſchiſtum quodam modo arſenicalem eſſe, Auctorem docimaſticum eius examen docuit. Arſenicum vero ſalinam indolem habet, volatile porro eſt, aliquid inflammabilis continet, non modo ab omni fluido ſoluitur, ſed ipſum argentum quoque ſoluit. Ex quibus proprietatibus clarum eſſe exiſtimat Auctor, arſenicum, in ſchiſto contentum, quidquam ad combinationem huius alcali volatilis in crudis ſchiſti particulis conferre, ita ut ſalinum principium illud, quod per ſe efficere haud potuerit, nunc ope arſenici praeſtare poſſit. Vtrumque itaque in naturali mixtione illud forte ad volatiliſationem argenti contribuit, quod alias ſpiritus ſalis communis in ſolutione argenti cum aqua forti efficit. Nonne tandem forte volatiles ſalis et arſenici partes in ſchiſto ea proportione inter ſe mixtae ſunt, quam in ſpiritu nitri videmus, in quo argentum ſoluitur? ſcimus enim in concentrato nitri ſpiritu argentum haud ſolui poſſe, melius vero hoc fieri, ſi menſtruum ſit dilutum.

p. 63. *No. 4.* IOACHIM FRIDR. SPRENGELII, *relatio de modo ſtraßbergenſes fodinas exſtruendi.* Qua ratione

tione in his fodinis, optimo sane cum successu, aedificia et alia erigantur, mineraeque effodiantur, studiose describit Auctor, quae vero omnia breui sermone recenseri non possunt.

No. 6. De apta viscerum structuram detegendi ratione dissertatio, Auctore LIEBERKÜHNIO; ex gallico sermone in germanicum versa atque desumta ex actis acad. reg. Berol. an. 1748. p. 28.* p. 92.

No. 7. De belemnitis et hisce plerumque insidentibus alueolis animaduersiones, conscripta a M. R. ROSINO, et editae Francohusae in 4to, nunc germanica lingua donatae hic insertae leguntur. p. 97.

Part. II. no. 1. Continuatur recensio libri de agricultura Cl. DV HAMEL. p. 115.

No. 3. Cl. MARGGRAFII *chemica disquisitio singularis urinosi salis, quod acidum phosphori continet*, translata ex actis acad. reg. Berol. an. 1746. p. 84. seq. p. 160.

No. 4. ELIAE FRIDR. SCHMERSAHL, *tractatio de Lino.* Diuersos culturae et praeparationis modos, in Hanouerana ditione consuetos describit, ut oeconomum decet. p. 188.

No. 5. Insecta, quae in museis asseruare cupimus, facilis necandi modus, Auctore A. G. KAESTNERO. Diu ut plurimum, licet acu affixa sint, insecta viuunt et varia ratione sese mouendo partes quasdam corporis sui destruunt. Vt itaque citius emoriatur animalculum, partibusque eius, dum adhuc mobiles sunt, commodus dari possit situs, suadet Cl. Auctor, ut apex acus, qua insectum pertusum fuit, igni admoueatur, altera vero acus extremitas forcipe teneatur, atque intra flammam insectumque aliud corpus ponatur, ne prominentes mobilesque insecti partes flamma laedantur. p. 201.

No. 6. Relatio de duobus hominibus a vaporibus, ex cloaca prodeuntibus, Dresdae suffocatis. Arterias capitis p. 205.

* Recensionem huius iam dedimus Vol. I. Pars. I. p. 128.

pitis multo ſanguine repletas tumidasque ſectio c
dauerum oſtendit.

p. 207. *No. 7. De fructibus florentibus* diſſerit I. CH. HELCK
Flores hi, praeter conſuetum naturae ordinem
fructibus enati, pedunculoque deſtituti, ex fructu-
um umbilico ſurgebant, eorumque petala eo ipſo in
loco iterum apparebant, in quo antea locata haeſe-
rant. Cauſam vero huius, non admodum rari, phae-
nomeni in aeris temperie, vere admodum foecunda,
quaerit Cl. Auctor. Illud vero ſingulare eſt exem-
plum, quod de pyri quadam arbore adducit, cuius
fructus omni anno, quando ad dimidiam naturali
magnitudinis partem increuere, nouos flores, pe-
dunculis fuffultos, ex umbilico protrudunt. Aliam
etiam vidit pyri ſtirpem, ubi plurimi fructus folia
illis plantae ſimillima, oſtenderunt.

p. 210. *No. 8. Non nullae, ad agriculturam pertinentes, obſeruationes*, deſumtae ex Diario heluetico (Iourna
heluetique) an. 1747.

p. 227. *Part. III. no. 1. Diſquiſitiones de fertilitate terrae in genere*, Auctore Ill. ELLERO. Gallico ſermone
conſcriptae exſtant in actis acad. reg. Berol. an. 1749
p. 3. *

p. 271. *No. 3.* Prolixiori ſermone exhibentur contenta li-
bri: *Coniectura phyſica circa propagationem ſoni ac lu-
minis*, Auctore LEONH. EVLERO, *Berol. 1750. 4.* In-
dicatus hic liber ſecundus eſt opuſculorum minorum,
ab EVLERO editorum, tomus; tertius vero, cuius
etiam hic legitur recenſio, ſequentem habet titulum:
*Noua magnetis theoria, cum non nullis aliis diſſerta-
tionibus. Berol. 1751. 4.*

p. 288. *No. 4.* IO. CHR. HELCKII *animaduerſiones in re-
lationem Cl.* STOY *de ferro natiuo.* ** Natiui metalli
defini-

* Confer. noſtr. commentat. Vol. I. Part. III. p. 385.

** Cl. STOY relatio exſtat in huius collectionis Tomo VII. p. 441. Conf. etiam noſtr. comm. Vol. I. Part IV. p. 629.

definitionem praemittit Cl. Auctor, idque eo nomine insigniendum esse affirmat, quod, dum ex terra effoditur, cum nullo alio corpore minerali mixtionem subiit, vel quod easdem proprietates habet, ac illud, quod igne iam iam tentatum fuit. Ferrum arte paratum et malleo extenditur, et a nitri spiritu soluitur; ideoque etiam hae conditiones in natiuo ferro adesse debent. Illud vero ferri frustum, quod Cl. STOY descripsit, licet malleo cedat, tamen nitri spiritu non destruitur. Magnes quidem illud attrahebat, haec vero non singularis modo ferri est proprietas, sunt enim et alia mineralia, quibus nulla ferri particula inest et quae tamen cum magnete amicabile seruant vinculum. Dubitat etiam porro Cl. Auctor, num minera haecce ita effossa, an vero potius mutata fuerit; et si forte ita eruta fuisset, nihil aliud eam ostendere putat, quam quod ferrum cum alio minerali mixtum fuerit, cujus auxilio arrosio, ab acidis spiritibus efficienda, praecaueri, eiusdemque ductilitas conseruari possit.

No. 5. Vtrum corpus electricum factum plus materiei electricae accipiat, quam antea habuerit. Auctore I. T. VNGERO. Mediante vitreo tubo se ipsum electrisare voluit Cl. Auctor; se itaque supra lignum collocauit, quod quatuor erectis siccisque vitris, quibus vinum infundere solemus, sustinebatur; frictione calidum reddidit tubum, suumque corpus illi admouit, manumque corpori, non electrisato, applicauit; ordinariorum vero electricitatis effectuum nullus nunc sequebatur. Contraria hinc ratione experimentum instituit, sumsitque corpus, quod non ligno, sed terrae impositum fuit, ipse vero mansit supra lignum positus; atque nunc statim, dum electrisato vitreo tubo hoc corpus tangeret, ipse electrisatus fuit, scintillasque emisit. Saepius dein nouum hocce experimentum repetiit Cl. Auctor, et semper inuenit, si in se ipso electricitatem producere vellet, p. 291.

effectum non ſequi, licet omnia requiſita adeſſent; ſi vero aliud corpus electriſaret, quod ſub illa conditione, quam habuit, nullo modo electricum fieri potuerit, Auctorem tamen electriſatum fuiſſe. Ex hoc, ut primario, experimento concludit Auctor, corpus electriſatum haudquaquam plus materiei obtinere, quam ante inſtitutam electriſationem habuit.

p. 312. *No. 6. Obſeruatio de vermibus cucurbitinis*, inſtituta ab I. A. VNZERO. Femina, aliis pluribus ſymptomatibus vexata, latos etiam vermes per anum excreuit, quorum etiam numerus nunquam imminuebatur, verum potius ſemper noua eorundem reiiciebatur copia. Cl. itaque Auctor coniectura quadam commotus, exiſtimauit, aquam forte quotidie ex puteo quodam hauſtam, atque ab aegra deglutitam, proximam huius verminoſi morbi eſſe cauſam: Neque opinio eum fefellit; huius enim uſu intermiſſo vermes, reliquaque ſymptomata diſparuere. Aquam ipſam poſt ea diſquiſiuit Auctor, atque ſingularem latorum vermium catenam, longitudine duas ſpithamas aequantem, in ea deprehendit. Cur vero rariſſime extra corpus in aqua detecti fuerint vermes, diuerſum eorundem habitum forte cauſam eſſe affirmat. In puteali enim aqua obſcuriorem griſeum, parum modo in rubicundum vergentem, colorem oſtendunt; ex corpore vero animali eliminati vermes albidiores ſunt, uti omnes vermes a chylo hauſto eundem colorem adſumunt. Praeter ea multo minores erant cucurbitini, in aqua puteali habitantes, quod etiam a deficiente nutritio chyloſo ſucco deducit Cl. Auctor.

p. 316. *No. 7.* LAVRENTIVS SCHAERDING *de telis, in aere auctumnali tempore volantibus*, loquitur. Telam hancce aranearum opus eſſe Auctor affirmat, ſeque primum huius rei naturam detexiſſe credit; alios vero ante eum auctores huius filamentoſi operis naturam dudum cognouiſſe, ex obſeruationibus, quas

ad

ad LESSERI Inſectotheologiae gallicam verſionem appoſuit LYONETVS, in addita nota docet Cl. KAESTNERVS.

No. 9. Relationes de recentiſſimis phyſicis curioſisque aliis inuentis. Nouam ſibi propoſuerunt huius promptuarii editores regulam, in poſterum ſemper in quauis eiusdem parte ex nouis phyſicis libris aliisque diariis ea inſerendi, quae naturalis hiſtoriae cultorum attentionem merentur. Haec vero, cum libri ipſi eorumque contenta, vel inuenta ex diariis a nobis recenſenda ſint, hic repetere vix poſſumus. Hinc etiam impoſterum hunc articulum ne quidem indicabimus. p. 321.

Part. IV. no. 1. Methodus artificialem magnetem efficiendi; Auctore IOH. CANTON. Deſumta ex diario, *Bibliotheque raiſonnée* inſcripto, huiusque Tom. XLVII. Part. I. art. 2. p. 339.

No. 2. Sulphuris antimonii aurati ultimae praecipitationis medicam virtutem laudat IOH. AVG. VNZERVS. Vires, quas ſaepiſſime ab hac medicina expertus fuit Cl. Auctor, illae ſunt; ut inde excretiones in corpore augeantur, motusque nimium incitati imminuantur, excretiones vero vel vomitu, vel purgatione, vel ſudore promoueantur. Prius rarius, poſterius vero frequentiſſime accidit, et ſine omni quidem incommodo meruque aluus inde mouetur, imo ſi repetitis vicibus propinatur ſulphur, ipſam diarrhoeam inde ſiſti, Auctor affirmat. Si ſudor ab eodem excitatur, unica doſis ad morbi curationem ſufficit. Primaria vero huius medicinae vis eſt anodyna. Nunquam autem, ut uſu aliorum narcoticorum contingit, ſomnus inde exciratur; modo Cl. Auctor obſeruauit, nec vomitu, nec alui excretione, nec ſudore ortis, ipſum morbum mutatum fuiſſe, motusque, antea praeter naturam auctos, ceſſiſſe. Vſu itaque huius ſulphuris in genere laudato, ſpeciales p. 356.

nunc adducit casus, in quibus illud egregiam praestitisse virtutem, dicit. Huc pertinet catarrhus suffocatiuus, spastici ac conuulsiui hypochondriacorum et hysstericarum morbi, infantum tussis, intermittentes febres, in quibus, praemissis praemittendis, eundem salutarem effectum, quem alii de cortice chinae, expectant, nunquam vero aliquam noxam, a sulphure aurato obseruauit Cl. Auctor.

p. 393. *No. 4. Descriptio multitudinis insignis formicarum congregatarum, quae auroram borealem referebat*, Auctore Cl. GLEDITSCH.

p. 409. *No. 5.* Eiusdem Auctoris *experientiae circa fungorum generationem.* Vtraque tractatio gallico sermone conscripta legitur in actis acad. reg. Berolin. an. 1749. p. 26. et p. 46. *

p. 418. *No. 6. Experientia, de macrae atque incultae terrae praestantia*, communicata ab E. F. SCHMERSAHL. In illis agris, quae macram modo terram sistebant, semina secalis sata maiori in copia propullulasse, aliasque peregrinas plantas, licet earundem semina terrae simul immissa fuerint, haudquaquam illis immixtas fuisse, Auctor deprehendit; contrarium vero in illis vidit agris, qui fimo antea foecundati fuerant. Causam huius euentus in aqua niuali quaerit Auctor, quae frugibus maxime nociua censetur. Haec vero maiori in quantitate citiusque in eos penetrat agros, qui propter stercorationem rarioris contextus terram habent. En hypotheseos rationem.

p. 426. *No. 8. Comparationem inter oculum atque cameram obscuram* instituit Cl. KAESTNERVS. Monet ille, licet eum in modum depingantur imagines in oculo, ut in cubiculo obscuro, similitudinem tamen non eo usque extendi debere, ut anima spectatoris loco

* Vtriusque excerptum lege in comment. nostr. Vol. I. Part. 3. p. 389. et 392.

loco esse dicatur. Spectator enim imagines suis oculis contemplatur, anima non aliis oculis, sed modo nobis incognito eas percipit. Neque vero sine exemplo est comparatio eo usque extensa, neque innocuus est hic error. Quod enim magna contentione agitata sit controuersia, cur obiecta erecta videantur, imaginibus in oculo inuersis exsistentibus, id solum in causa fuit, quia animam, ut spectatorem, imagines contemplari creditum est, a qua cogitatione si animus abducatur, nihil amplius mirandi inerit perceptioni erectorum obiectorum, licet imagines inuersae sint. Imaginis enim conditiones cum animi perceptionibus, vinculo nobis inexplicabili, connectuntur, ut non magis quaerendum videatur, cur inuersa imagine obiecti sensatio nobis erecta sit, quam cur sacchari sapor dulcis esse sentiatur. BVFFONIVS vero pseudoparadoxon hoc tanti fecit, ut intulerit ex eo reuera infantibus inuersa obiecta videri, et nos eorum verum situm usu demum dignoscere, Tom. III. *Historiae naturalis*, ab HALLERO propter ea in notis, versioni germanicae huius libri adiectis, refutatus. Deinde hypothesis illa phaenomena explicandi data est a KRÜGERO in physica, et a MYLIO *in den philosophischen Nachrichten*, quam ingeniosam praedicat KAESTNERVS, sed ea nos indigere non putat, cum tunc demum paradoxon explicatu dignum occurrat, cum leges quaedam perceptionum aliis, aeque ac priores, experientia cognitis contradicere videntur, quale quid est visio simplex per oculos binos.

Part. V. no. 1. Tractatio de auro Rhenensi alsatico, p. 451. quae ex SCHOEPFLINI Alsatia illustrata, Celtica, Romana, Francica, Colmar. 1751. fol. edita, pag. 59. seqq. desumta est. Huic ex eodem libro additur *enumeratio fossilium in Alsatia reperiundorum.*

p. 507. *No. 3.* Prolixior exhibetur libri IOHANNIS RAMBY, *de ſclopetorum vulneribus recenſio;* prodiit liber titulo: *The method of treating gunſhot wounds. Lond. 1744. 8.*

p. 574. *Part. VI. no. 2. Obſeruationes de vera oſteocolla Marchiae Brandenburgicae*, Auctore Cl. GLEDITSCH. ex actis acad. reg. Berolin. an 1748. p. 32. translata.*

p. 604. *No. 3.* D. G. H. HOPPII *noua hypochondriacorum ſymptomata explicandi methodus.* Duplici ratione omnia, quae hypochondriacis accidunt, ſymptomata hactenus explicata fuiſſe, Auctor primum monet; dum alii ab obſtructione ſanguinis, in infimi ventris vaſculis oborta, ſpaſticorum motuum geneſin deriuant, alii vero ad irregularem ſanguinis motum indeque factas congeſtiones attendunt. Ex his vero cauſis plurima quidem, haud vero omnia ſymptomata explicari poſſe, contendit, hinc aliam et uniuerſalem magis cauſam in ſuo corpore, eodem morbo laborante, ſe inueniſſe affirmat. Non nulla itaque ſymptomata, quae ipſe expertus fuit, et quae tenſiones ſpaſticosque motus tunc temporis adeſſe, declarant, recenſet, quae vero omnia diſparuere, quando vel particularis vel uniuerſalis ſudor ea ſequebatur. Exiſtimat ergo Cl. Auctor tenſiones ſpaſmosque a denſis atque craſſioribus factis humoribus originem duxiſſe, iterumque euanuiſſe, quando ſudor acceſſit. Craſſi autem humores generantur a difficiliori et impedita ſanguinis per abdomen circulatione. Quinam vero ſint illi humores, qui in primis in hoc morbo ſpiſſiorem naturam receperunt, alia occaſione ſe declaraturum eſſe, ſpondet. Nonne a craſſiori humore obſtructio?

p. 610. *No. 4. De dulcis ſucci praeparatione ex daueo, occaſione experimentorum, quae* Cl. MARGGRAF *de ſaccharo, ex plantis indigenis praeparando, communicauit,*

SCHO-

* Conf. comment. noſtr. Vol. I. Part. 1. p. 129.

SCHOBERVS relationem exhibet. Eiusmodi extractum in Thuringia sequenti conficitur modo: Dauci radices depuratae atque concisae aheno, aqua repleto, immittuntur, coquunturque tam diu, usque dum molliores fiant, quo facto exprimuntur; succus sic expressus denuo coquitur, et ad iustam consistentiam inspissatur. Vtuntur eo incolae in cibis, ubi alias saccharum, vel syrupus, vel mel adhiberi solet, etiam in tussi infantum, phthisi, vermibusque utilis censetur.

N. 5. Legitur *recensio commentar. acad. Imper. Petropol. Tom. XI*, atque in additis animaduersionibus ea, quae minus recte dicta sunt, emendantur, alia vero illustrantur. p. 612.

XIII.

Oeconomisch-physicalische Abhandlungen. Dritter Theil. Leipzig, bey C. L. Iacobi, 1752. 8. Bog. 16.

h. e.

Oeconomico physicae dissertationes. Pars III.

Ex illa, quae aduersariorum oeconomicorum, quae a lib. Barone PETRO DE HOHENTHAL publicae exponuntut luci, tertio tomo addita est, praefatione cognouimus, has quoque dissertationes oeconomico physicas ab iisdem auctoribus elaborari, et, duce etiam eodem, euulgari. Causa vero, cur hae ab illis separatae, et in singulari libro exhibitae fuerint, ea est, quod in priori mere oeconomica, et ita nudae experientiae, in posteriori vero rationes, et ita physica potius, proponi debeant. Hanc etiam sibi datam regulam hactenus secutum fuisse editorem, priores duae, a nobis alibi indicatae, huius libri partes satis comprobarunt; nunc vero eo magis mira-

mur, in hac tertia parte eius modi contineri dissertationes, quae omnino meliori iure ad aduersaria oeconomica amandari debeant. Hinc etiam est, cur modo breuissimis contenta huius indicemus. Legitur itaque:

p. 513. *No. 1. Tractatio de Lupulo.* Describit primo Cl. Auctor, quem MOELLERVM esse coniicimus*, totius plantae habitum. Ex qua descriptione notamus, caulium medullam, ratione proportionis habita, maximum occupare spatium, lacteumque, qui gustu dulcis est, continere succum; cylindrum vero, medullam continentem, ibi, ubi nodus adest, minorem longe fieri atque arctiorem; hancque coarctationem a gemmis, hoc in loco haerentibus, dependere. Comprimunt enim gemmae sua extensione medullosas fibras, a latere excurrentes, et, dum proprias medullares fibras adponunt increscuntque, ipsa diameter imminuitur. Dein Auctor monet, fructuum squamis puluerem luteum adhaerere, qui forte ex ipsis squamis transsudat, et a quo in primis illa vis, dum cereuisiae gratum saporem conciliat et acescentiam coercet, dependet. Si vero coni perfectam adepti sunt maturitatem, aperiuntur squamae, magisque a se inuicem recedunt, atque puluerem dimittunt. Hinc etiam ante perfectam maturitatem coni decerpendi sunt, ideoque rarissime ex semine propagatur lupulus. His aliisque, quae ad structuram plantae enodandam spectant, praemissis, nunc ipsam lupuli culturam, eamque variam, describit, omniaque, ad eam pertinentia, oeconomice recenset. Praeter ea usum, quem planta et in medicina et

* Omnis enim, quatenus physica est, tractatio secundum ea conscripta esse videtur principia, quae MOELLERVS de vegetatione et structura plantarum in prima harum dissertationum parte proposuit, ita, ut illa, quae ibi generaliter ille exhibuit, nunc modo ad indiuiduum applicata legantur.

et in domeſtica re habet, paucis commemorat, morbosque, lupulum corrumpentes, examinat.

No. 2. De morbis boum theoretico practica diſquiſitio. Contagioſorum, qui animalibus brutis atque in primis bobus frequenter accidunt, morborum ortum, cauſas, remedia aliaque generatim, ex illo in primis, quem TEXTOR de hoc morborum genere, conſcripſit libro, repetit anonymus Auctor, ſpeciatim deinde, eodem duce, varios morbos conſiderat, et ea omnia collecta ex aliorum ſcriptis recenſet, quae hactenus de hiſce morbis relata fuerunt, non nulla addens, quae ipſe obſeruauit. Auctorem huius relationis non medicinae ſtudioſum fuiſſe, ex eo ſtatim liquet, quod camphoram inter ea medicamenta retulerit, quae ex regno minerali deſumuntur. p. 604. p. 627.

No. 3. Lic. GODOFR. AVGVST. HOFFMANNI *oeconomico phyſica tractatio de fermentatione.* Oeconomica eſt, neutiquam vero phyſica; recenſentur enim in ea modo illa, quae ad vini atque cereuiſiae praeparationem ac fermentationem pertinent; in cauſas vero ipſius fermentationis non inquiritur. p. 751.

XIV.

Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch. Erſtes Hundert, mit einer Vorrede D. CHRISTOPH IACOB TREW, *verlegt, gemahlt, und in Kupfer geſtochen, von* Nicolaus Fridrich Eiſenberger, *Nürnberg, 1750. fol. mai. text. pl. 16. praef. pl. 3½. catal. plag. 13½.*

Hoc eſt:

ELISABETHAE BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum

uſum aſſeruantur, quarum deſcriptio et vires ex anglico idiomate in latinum conuerſae ſiſtuntur, figurae emendantur, floris fructusque partium repraeſentatione augentur, et probatis botanicorum nominibus illuſtrantur. Centuria I. cum praefat. D. CHRIST. IAC. TREW. Excudit figuras, pinxit atque in aes incidit *Nicolaus Fridericus Eiſenberger.*

De herbario, quod artificioſiſſima femina, infelicis medici, angli, Doctoris BLACKWELL, vidua, duobus voluminibus, anglico ſermone conſcriptis, an. 1739- Londini in lucem edidit, cur nunc moneamus quaedam, vix eſſe exiſtimamus; illud enim opus, non ſolum caro pretio redimendum, ſed et hinc inde mancum minusque abſolutum, utile tamen eſſe, nouimus omnes. Atque hinc eſt, cur publicae utilitati inſeruiendi ſtudio permotus, ſuum huius operis exemplar, viuis coloribus illuſtratum, dexterrimo EISENBERGERO, pictori apud Noribergenſes celeberrimo, eum in finem traderet Ill. TREWIVS, ut pro diminuendo pretio illud partitis vicibus et praenumerationis ope denuo in publicum ederet; quod propoſitum cum ipſi arriſerit, programmate quodam d. 12 Mart. an. 1747. idem enunciauit, et huc usque exequi continuauit, ita, ut nunc tandem, licet prima tabularum centuria diu iam abſoluta eſſet, praefatione, catalogisque d. 1. Iun. an. 1752. abſolutis, prima huius herbarii pars perfecta exiſtat. Quid vero ad emendationem huius operis TREWIVS contulerit, ipſa praefatio docet. Nempe: ubi Blackwellianum opus latino nomine illud, quod in Germaniae pharmacopoliis uſu receptum eſt, non indicat, idem adpoſuit, germanica vero nomina plerumque emendauit, illudque etiam circa nomina aliarum linguarum obſeruauit: Blackwellianum exemplar

plar praemittit nomina latina officinalia et anglicana, dein ſequitur deſcriptio ipſius plantae, eiusque virium medicarum, tandemque tractationem claudunt nomina aliarum linguarum; in hac autem noua eius editione omnia haec nomina primo loco occurrunt, et dein reliquae annotationes ex anglico idiomate et in latinum et in germanicum translatae: Cum nomen latinum in exemplo Blackwelliano illud tantum indicet, quod in officinis pharmaceuticis uſitatum eſt, hoc vero poſt ea ſaepius mutatum fuerit, eorum in gratiam, qui de his etiam certiores fieri cupiunt, eadem quoque ex praeſtantiſſimis auctoribus indicauit, et ordine quidem chronologico, quo eorum Auctores ſe inuicem exceperunt, ita tamen limitato, ut eo in caſu, quando ſequentium quidam nomen alicuius antecedentis ſeruauit, huic ſtatim ille adiungeretur: In illo porro opere ſpeciei depictae nomina ſpecifica nunquam indicantur; haec vero ſigillatim addidit Ill. Auctor, eo ordine, ut illa primo loco poſita ſint, quae nunc ad normam operum ſyſtematicorum excluduntur, deinde vero ſequantur emendata, omnia autem utriusque huius diſtinctionis iterum temporis ordine, quo propoſita fuerunt: Quando imago quaedam appoſita aliam ſpeciem vel varietatem repraeſentat, huius quoque nomina ſpecifica, ſed ſeparatim, indicauit. Blackwellianas icones aliquando, non vero ſemper naturae reſpondere, accuratior inquiſitio Cl. TREWIVM docuit, hinc quoties occaſio permittebat, exemplar naturale cum imagine contulit, et, ubi neceſſarium videbatur, ramum recens depictum Blackwellianae figurae iunxit, vel imaginem plane nouam ſubſtituit, et huic ramum modo Blackwellianae figurae addidit. Quoniam etiam minores et ſeparatae icones florum, fructuum, ſeminumque in ipſo opere neutiquam veram conformationem repraeſentant, eos quidem EISENBERGERVS absque mutatione adpoſuit, ſimul vero ſtuduit, eas-

dem

dem partes, quoties ipsi possibile fuit, accuratius et secundum earum analysin depingere, sigillatimque staminum et pistillorum numerum ac conformationem indicare. Quicquid autem imaginum ratione mutandum, emendandum et augendum, quidque praeter ea ad illustrationem huius vel illius speciei addendum, necessarium vel utile visum fuit, id omne in notis subiunctis declarauit Cl. TREWIVS. Eo quidem tempore, cum huncce laborem ipse susciperet, hasce additiones amplificare haud voluit; quare priorum plagularum expositio reliquis multo breuior est, sensim vero ad plura attexenda excitatus, ampliorem explicationem adiecit. Cum itaque in hac noua editione multa unius speciei latina nomina indicata, saepiusque ex aliis linguis plura addita sint, cuilibet centuriae peculiarem addidit indicem alphabeticum, ex quibus deinde alius uniuersalis confici poterit suo tempore. Cum haec quoque Blackwelliani herbarii editio ad finem perducta erit, tum ille non solum species, quae aliquando loco illarum, quae in hoc depictae sunt, in nostris pharmaceuticis officinis prostant, verum etiam aliae multae officinales plantae, in hac collectione plane omissae, in supplemento quodam delineatae et explicatae accedent: porro etiam venenatarum stirpium cognitio utilis cum sit ac necessaria, eae imaginum quoque repraesentationem atque descriptionem merentur. Ea vero ratione, qua excusum antea fuit, nunc etiam recusum, emendatum modo et auctum, exhibetur totum opus, unde haec editio eum etiam praestat usum, ut, ubi Blackwellianum opus citatur, hoc nostrum eius loco inseruire queat, quare vel ipsae erucae, aliaque insecta, interdum adpicta, haud omissa sunt, licet imperfecta plerumque exhibeantur. Hac itaque forma apparuit prima huius collectionis centuria, quam reliquae eadem, imo maiori cura elaboratae, sequentur. Cum enim Ill. TREWIO,

eius-

eiusmodi opera molienti, eae tantum modo vacent horae, quas eruditi, aliis laboribus defatigati, quieti destinant, et eiusmodi conatus propter ea tantum foueat, ut opportuna artificum illorum occasione gaudens, publicæ utilitati studeat, nullumque in hisce lucrum quaerat, coeptum quondam opus aliis perficiendum lubens tradit. Hanc ergo ob causam, et ut omnia impedimenta remouerentur, diu in votis habuit, ut huius quoquè operis expediendi curam alius in se susciperet, quod etiam nunc contigit, dum Cl. noster LVDWIGIVS hoc munus beneuole in se suscepit, ita, ut sua sub directione omnia ordine coepto continuentur, celeriusque elaborentur, id quod explicationes ad centuriam secundam pertinentes, cuius iam tabulae 83. prostant, propediem edendae, satis probant. Haec de opere ipso annotasse sufficiat: supersunt adhuc nonnulla, de catalogis additis monenda. Necessarium enim duxit Ill. Auctor, eorum opera, quibus in expositione usus fuit, titulis suis indicare, eademque, variarum editionum, ab ipso collectarum, breui recensione illustrare, hinc prior enatus fuit catalogus. Huic alium catalogum eorum herbariorum, quae mox post typographicae artis inuentionem excusa, saepissimeque recusa sunt, subiunxit, praesertim cum non solum haec opera, verum etiam plurimas eorum editiones ipsa eius, sat ampla, librorum collectio contineat, ideoque ipsi occasionem praebeat, accuratiorem de iisdem relationem et comparationem suppeditandi, quam quidem huc usque ab aliis illud factum esse deprehendimus. Apparatus quoque plurium antiquorum herbariorum, a Germanis elaboratorum, quem in sua etiam collectione asseruat, ipsum excitauit, ut de his ad annum 1550 usque breuem recensionem conficeret, eamque cum variis editionibus, quae ipsi ad manus erant, facta collatione illustraret, ideoque indicaret, quantum renouata stirpium cognitio germanis

manis debeat. Ne autem auxilia, ab exteris, eodem temporis decurſu praeſtita, ſilentio penitus praeteriret, conſilium tandem cepit haec pariter enumerandi. Huius utriusque catalogi, Blackwelliano herbario adnexi, pauca exempla, amicorum cauſa, quibus ipſum herbarium ad manus non eſt, ſigillatim excudenda ſequenti titulo curauit: *Librorum botanicorum catalogi duo, quorum prior recentiores quosdam, poſterior plerosque antiquos ad annum 1550 usque excuſos, ad ductum propriae collectionis breuiter recenſet, conſcripti a D.* CHRIST. IACOB TREW. *Norib. 1752. fol.* In his itaque 1) opera omnia, quae germani in herbariae rei emolumentum ad annum 1550 usque publicarunt, conquiſiuit enumerauitque, quotquot vel ab eo collecta reperire, vel ab aliis annotata obſeruare potuit. 2) In exterorum operibus, ne praeter neceſſitatem nimis prolixus eſſet, ea ſilentio praeteriit, quorum nullam editionem poſſidet, barbarorum quoque plura conſulto omiſit, quia in his nil, niſi nuda ſimplicium nomina, reperiuntur. 3) Editiones operum varias, quotquot earum ipſe poſſidet, addidit, notauitque ſedulo, num inter ſe differant, an conueniant, ut igitur unus quisque certior fieret, num illa, quam poſſidet, auctior aut emendatior proſtet; quam etiam ob cauſam eas interdum adiecit, quae poſt terminum praefixum in publicum prodierunt. 4) Vt ordinem chronologicum proſequi poſſet, primam ſemper omnium operum editionem, ex aliis nominatis auctoribus indicare ſtuduit, ubi eius collectio deficiebat. 5) Omnium editionum, quas ipſe poſſidet, titulos integros exſcripſit, quia plerumque de pretio, quo editionis tempore erant, teſtantur, atque breuis recenſionis vices praeſtant, nec non de editionum differentiis curioſos reddunt certiores; et quia etiam non nulli molem libri ſiue paginarum numerum cuiusuis libri deſiderant, illum etiam fideliter indicauit.

Praeter

Praeter hoc vero, a celeberrimo pictore, EISENBERGERO, Noribergae euulgatum opus, alia adhuc plura, et splendidiora forte, hactenus incepta, partitisque vicibus ab aliis in sua arte claris viris ibidem quoque edita fuerunt. Ita ad regnum vegetabile tria pertinent; cuius prioris sequens est titulus:

XV.

Hortus nitidissimus omnem per annum superbiens floribus, siue amoenissimorum florum imagines, quas magnis sumptibus collegit D. CHRIST. IAC. TREW, in aes incisas, viuisque coloribus pictas edidit IOH. MICH. SELIGMANN. Noriberg. 1750. fol. regal.

Quamquam nulla planta suo caret flore, vulgo tamen bulbosa modo, tuberosaque radice suffultae plantae, floriferae appellari solent, quarum flores forma sua concinniore, colore speciosiore, odoreque interdum gratissimo prae reliquis sese commendant. Fluxa vero horum florum est amoenitas, neque ulla impedire possumus cura, quo minus illi, quibus hodie delectamur, crastino die flaccescant; neque bulbus, qui hoc anno laetius floruit, subsequenti similem in modum denuo efflorescit, neque reddit semper semen eorum, quos perdidimus. Hinccе permoti florum cultores, artis pingendi ope, brеuem eorundem vitam stabiliorem reddere, annisi sunt. TREWII itaque beneuolentia adiutus, de eius modi opere moliendo perficiendoque cogitauit dexterrimus Auctor. Ill. enim TREWIVS libenter omnes cum eo communicauit nitidissimorum florum imagines, quas suis, iisque haud exiguis sumptibus per peritissimos artifices pingi curauerat. Est itaque omnino,

omnino, quod florum cultores ſperare poſſint, ſe nacturos eſſe editoris opera plenam ſpecioſiſſimarum tuliparum, coronarumque imperialium, hyacinthorum et narciſſorum, roſarum, caryophyllorum, leucoiorum, tiliorum, fritillariarum, ranunculorum, auricularum, anemonesque ſpecierum collectionem, per interualla edendam. Ita vero opus hoc debet diſpertiri, ut quaelibet pars viginti quinque conſtet tabulis, ſingulique flores ſiſtantur naturali in magnitudine, natiuisque ſuis coloribus ita expreſſi, ut licet ipſae eorum imagines aeri ſint inciſae, picturas tamen potius referant, quam figuras. Cuilibet tabulae ſuperius nomen adſcriptum eſt genericum latinum, inferius autem illud, quo florum cultores, quos floriſtas dicunt, eandem varietatem adpellant, ea in lingua, in qua innotuit. Ipſi vero commentarii germanico atque latino ſermone conſcripti ſiſtunt, praeter hiſtoricam de quolibet florum genere narrationem, praecepta potiſſimum ad culturam eorum apprime ſpectantia. Harum nitidiſſime delineatarum tabularum octodecim vidimus; praefatio unam implet plagulam, et commentariorum una hactenus comparuit plaga, hyacinthum explicans.

Alter, regni vegetabilis theſauros explicans, liber inſcribitur:

XVI.

Regnum florae, *das Reich der Blumen, mit allen ſeinen Schönheiten nach der Natur und ihren Farben vorgeſtellt. Nürnberg bey* Georg. Wolffg. Knorr. *fol.*

In hac collectione et hortenſes vulgo dictae plantae, earumque aliquando varietates, et aliae exoticae rarioresque, ut obeliſcotheca integrifolia, cotyledon flore umbellato coccineo, viuis coloribus, et ut pluri-

plurimum nitide depictae exhibentur, quandoque etiam florum fructuumque partes, ut in persica, pruno, viola, etc. separatim adponuntur. Editae hactenus fuerunt eius modi tabularum centum et triginta sex, nullo vero seruato ordine, nisi ut tabulis singulis littera quaedam sit adscripta, ita ut finito tandem opere secundum alphabeti seriem omnes collocari possint. Hac etiam ratione textus prodit, cuius sex obtinuimus plagulas.

Tandem quinque plantarum decades, quas Cl. MARTYN delineatas et viuis coloribus illustratas Londini 1728 edidit, sequenti nunc titulo iterum exhibentur.

XVII.

IOANNIS MARTYN historia plantarum rariorum ob praestantiam denuo edita studio atque opera IOANNIS DANIELIS MEYERI, pictoris. Noribergae, fol. reg. 1752. Decas. I. pl. 1.

In prima hac decade continentur: 1) *Ialapa officinarum;* 2) *Geranium africanum, arborescens, maluae folio lucido, flore elegantissimo, kermesino;* 3) *Geranium chium, vernum, folio caryophyllatae;* 4) *Brunella caroliniana, magno flore dilute coeruleo, internodiis praelongis;* 5) *Amaranthus chinensis, foliis variis, panicula eleganter plumosa;* 6) *Amaranthus spica albescente habitiore;* 7) *Parietaria orientalis, polygoni folio caneſcente;* 8) *Niruri barbadense, folio ouali superne glauco, pediculis florum breuissimis;* 9) *Lychnidea caroliniana floribus quasi umbellatim dispositis, foliis lucidis, crassis, acutis;* 10) *Aloe africana foliis planis, conjugatis, carinatis, verrucosis, caule et flore corallii colore.* Non quidem negandum est Cl. Auctorem in his tabulis, nostrae enim ad archetypum accurate expressae sunt, naturam ipsam non adeo studiose imi-

tari, in paucis ſtructura florum internaeque partes conſpiciuntur, ſic n. 7.) *parietaria* ex flore vix cognoſceretur; *ialapa* quae quinque ſtamina habet, plura in icone expreſſa ſiſtit; n. 2.) *geranium* et n. 4.) *brunella* colores in caule foliis et floribus naturalibus vix ſimiles oſtendunt; in primis vero color viridis in omnibus ferme plantis parum viuidus eſt, attamen cum figurae nitide ſatis deſcriptae ſint, non tantum in hac decade, ſed et in ſubſequentibus non nullae rariores occurrant, quarta quintaque decas artificioſiſſima EHRETI manu pictae fuerint, et ſparſim in deſcriptione, quae latino aeque ac germanico idiomate traditur, utiles et culturam etiam ſpectantes obſeruationes occurrant, continuationem omnino expectamus, florumque amatoribus hoc opus commendamus. Quamuis etiam Cl. MARTYN praematurus obitus in cauſa ſit, quod collectio haec ultra quinquaginta tabulas ſe non extendat, ex indigenis tamen aeque ac exoticis illis plantis, quas ſocietas hortulanorum Londini edidit, plures adhuc ſe additurum eſſe promittit editor, ſi hae tabulae applauſum botanophilorum obtineant.

Praeter vegetabile vero regnum, animalium etiam hiſtoria variis operibus illuſtrata fuit atque locupletata. Prodiit itaque primus liber ſequenti titulo:

XVIII.

Angenehmer und nützlicher Zeitvertreib mit Betrachtung curioſer Vorſtellungen allerhand kriechender, fliegender, und ſchwimmender Thiere, ſowohl nach ihrer Geſtalt und äuſſerlichen Beſchaffenheit, als auch nach der accurateſt davon verfertigten Structur ihrer Scelette, nebſt einer phyſicaliſch und anatomiſch, beſonders aber oſteologiſch und mechani-

chaniſchen Beſchreibung derſelben nach der Natur gezeichnet, gemahlet, in Kupfer geſtochen und verlegt von IOH. DANIEL MEYER, *Miniatur-Mahler. Nürnberg. 1748. fol. mai. pl. 16. tab. 100.*

i. e.

Deliciae utiles, in contemplatione iconum, quae varia animalia una cum ſceletis eorum repraeſentant, poſitae. Auctore IOH. DANIEL MEYER.

Cum ipſum hoc opus omnibus iam ſatis cognitum ſit, eiusque titulus clara indicet, quid in eo praeſtitum fuerit, id modo in praeſenti monemus, alterum tomum, nunc inchoatum quoque fuiſſe, cuius ſeptem tabulae ad nos miſſae fuerunt, titulus praeter ea alterius huius tomi paululum mutatus comparuit, inſcribitur enim:

Vorſtellung allerhand Thiere mit ihren Gerippen. Zweyter Theil. Nürnberg. 1752. fol. mai.

h. e.

Delineationes variorum animalium una cum ſceletis eorum. Pars II.

Alterum opus non nouum eſt, ſed ex anglico ſermone translatum iterumque editum. Illa enim auium hiſtoria, quam EDWARDVS euulgauit, et praeter ea illud, quod in CATESBY ſplendido opere, quo Carolinae, Floridae etc. tradidit naturalem deſcriptionem, ad eam animalium claſſem pertinet, uno hocce in libro continetur, qui certe eo magis naturalis hiſtoriae cultoribus debet eſſe gratus atque acceptus, quo rarius eiusmodi opera ad nos adportantur

tantur, et quo maiori cariorique pretio venduntur. Liber ipſe huncce praefert titulum:

XIX.

Sammlung verſchiedener ausländiſcher und ſeltner Vögel, worinnen ein jeder derſelben nicht nur auf das genaueſte beſchrieben, ſondern auch in einer richtigen und ſauber illuminirten Abbildung vorgeſtellet wird, von IOH. MICHAEL SEELIGMANN. *Nürnberg. 1749. fol. plag. 18. tab. 50.*

Hoc eſt:

Collectio variarum auium exoticarum et rariorum, quas viuis coloribus depictas atque deſcriptas dedit IOH. MICHAEL SEELIGMANN.

Praefationem operi praemiſit phyſicus apud Noribergenſes clariſſimus, D. GEORG. LEONH. HVTH, ſub cuius etiam directione illud ipſum ab artifice elaboratur, quique ipſe verſionem anglici textus in germanicam linguam cum eodem communicauit. Hanc praefationem ſequitur alia, quam EDWARDVS primae parti ſuae hiſtoriae adpoſuit; germanica vero nomina, ex KLEINII auium prodromo deſumta, huic editioni acceſſere. Quo vero haec editio, licet CATESBY et EDWARDI icones ſimul proponerentur, etiam citari poſſit, in ſingulis tabulis annotatum fuit, ex quonam auctore ea fuerit mutuata. Secundus huius libri tomus an. 1751. iam inceptus fuit, et ſtrenue continuatur, ita ut tabula nonageſima ſecunda iam exarata ſit. Cum itaque pretioſi illius, a CATESBY euulgati, operis quaedam particula denuo nunc exhibeatur, alii fuerunt viri, qui

qui unitis viribus reliqua omnia in eodem tradita simili ratione edendi ceperunt consilium; hinc germanice atque latine prodiit.

XX.

Piscium, serpentum, insectorum, aliorumque non nullorum animalium, nec non plantarum quarundam imagines, quas MARCVS CATESBY in posteriore parte operis, quo Carolinae, Floridae et Bahamensium insularum tradidit historiam naturalem, eiusque appendice descripsit, additis vero imaginibus piscium, tam nostratium quam aliarum regionum auxerunt, viuisque coloribus pictas ediderunt, NICOL. FRIDR. EISENBERGER et GEORG. LICHTENSTEGER. Noribergae. 1750. fol. reg.

Huius operis plagae septem, tabulaeque viginti sex nunc prostant.

Quarto nunc indicanda est:

XXI.

A. I. ROESELII historia naturalis ranarum nostratium.

Eadem animi propensio, qua insectorum hactenus, felici admodum cum successu, scrutatus fuit naturam Cl. Auctor, ranas quoque curatius ut examinaret, illum incitauit. Per partes itaque noster, et in experimentis instituendis ingeniosissimus, inque illis describendis studiosissimus, et arte denique delineandi pingendique facile princeps, edidit plagulas tredecim, in forma regali, in quibus ea, quae ad ranarum historiam spectant, germanico ae-

que ac latino ſermone dilucide explicantur, aliorum inuenta vel corroborantur, vel, ſi falſo fuerint aſſumta, refutantur, iconibusque illuſtrantur. Tabulae vero ſemper duae ſunt, quo ſingula diſtinctius exhibeantur; una ranas, earumque partes viuis coloribus pictas, altera vero adumbrationem figurarum coloratarum cuiuslibet tabulae, literis ſignatam, refert. Duplicatas eius modi tabulas duodecim vidimus, de quarum praeſtantia, ut nunc quaedam moneamus, ſuperfluum omnino eſſet ideoque non nulla modo, ex ipſa deſcriptione mutuata, repetere liceat. *Sectione prima de rana terreſtri fuſca*, huiusque *primo capite de coitu et generatione eius* differit Cl. Auctor. De generatione itaque locuturus, primo recenſet SWAMMERDAMII, MENZII, atque ENTII hypotheſes, quibus ea addit, quae ipſe hac in re obſeruauit. Tres conſumſit annos, antequam viderit, qua ratione oua huius femellae ranae foecundentur; licet enim generationis negotium in illa diutius duret, breuiſſimum tamen eſt temporis ſpatium, quo ipſa foecundatio celebratur, et ne hoc elabi pateretur, plura harum collegit paria inuicem iuncta, et quodlibet par in vitrum, aqua ad dimidiam partem repletum, immiſit, atque tandem non ſolum coitus finem, ſed etiam femellam oua ſua parientem vidit, ex quibus temporis etiam ſucceſſu teneras obtinuit ranulas. Mas et femina quoad abdominis colorem differunt; prioris enim abdomen conſperſum eſt maculis, ex cinereo albeſcentibus, alterius vero ex flauo rufeſcentibus; dorſum vix generationis tempore variat; lutulentus ipſis tunc eſt color, qui tamen poſt ea in variegatum magis abit. Solent enim ranae ſingulis fere hebdomadibus cutem mutare, exuuiasque, mucum tenuem referentes, deponere. In pedibus porro aliqua eſt differentia. Mas anticos pedes aeque ac poſticos longe craſſiores habet, quam femina, et tempore coitus pollex illius ſingulari obſitus

ſitus eſt carne nigra, multisque papillis aſpera; ambae illo tempore ventrem habent turgidiorem, in femina quippe ouulis ſcatet, in mare vero haeret tunc cutem inter carnemque pellucidus mucus, qui, finito coitu, euaneſcit. Brachiis femellam amplectitur mas fortiſſime, et in primis illa exaſperata pollicis cute firmiter ipſi adhaeret. Cutis haecce vero nigro colore tincta, non conſtans praebet maſculi indicium, ut SWAMMERDAMII eſt opinio, ſed, finito coitu, euaneſcit denuo, pollicesque gracileſcunt. Vera ranarum coeundi ratio ea eſt, ut maſculus femellae dorſo inſideat. Cum itaque per plures dies ranas haſce attentius contemplaretur Auctor, nulla notabili obſeruata mutatione, tandem eas inquietiores eſſe deprehendit; grunniebat maſculus interdum ſuis inſtar, femella interim ſurſum deorſumque ſeſe mouente; tandemque vidit ille, eiaculare maſculum ex poſtica ſui corporis parte liquorem, quem ſemen eſſe ideo credidit, quod aquam, cui ranae innatabant, turbidam reddidit; non autem ita multo poſt deſeruit femellam, cum ipſo antea iunctam. Hoc facto, cum nulla a femina edita ouula obſeruaret, cultro utramque ranam ſubiecit, et inuenit in femina uterum, ex parte ouis repletum, reliqua vero oua haerebant partim in ouario, partim in uteri tubis. Maſculus oſtendebat veſiculas ſeminales prorſus exinanitas. Oua, in utero reperta, in limpidam iniecit aquam, nullos vero exinde obtinuit vermiculos. Infoecundum itaque hunc coitum fuiſſe, concludit. Alia vice vidit duas ranas ani aperturam momentaneo tantum motu coniungere; cumque ſtatim poſtea femina oua parere inciperet, non derelinquebatur a maſculo, donec omnia illa eſſent excluſa, quae ipſe iteratis vicibus ſemine ſuo perfudit, foecundauitque ita, ut ex iisdem poſt modum tenellae prouenirent ranulae. Alia et ſimilia plura quoque recenſet experimenta Cl. ROESELIVS, quae oſtendunt, infoe-

cundum esse ranarum coitum, si prius finiatur, quam singula oua in uterum sint delata, fierique ranarum foecundationem ano potius, quam alia quacunque corporis parte. Utrum vero ipsum semen in femellae uterum iniiciatur nec ne, affirmare non audet Cl. Auctor.

Ranas, post ea ex ouo prodeuntes, variasque, quas, antequam veram ranae adipiscuntur formam, subeunt mutationes, describit. Notamus hic modo caudam harum sensim minorem reddi; defluebat enim non solum pinna eius perspicua, sed decrescebat cauda ipsa notabiliter in longitudine aeque ac crassitie. Decidere autem illam frustulatim, vel integram, obseruare nunquam potuit, multo minus figurari pedes, cauda findente se in posteriores, ut PLINII fuit sententia, deprehendit. Vero simile potius Auctori videtur, nutriri per illam ranunculum, donec perfectam ranae induerit formam. Mutationibus hisce indicatis ea deinde recenset, quae ratione incrementi ipsius porro obseruauit. Crescit prima aestate in autumnum usque magnitudine rana, dum vero frigus ingruit, ex terra in aquas recedit, ibique in vernum usque commoratur tempus; hoc enim appropinquante ex suis rursus elicitur hibernaculis. Altero sic transacto anno externis adhuc destituitur illa sexum indicantibus signis; omnibus enim ranis tunc est alba inferior corporis superficies, neque eae speciei propagandae aptae sunt, nullaque cum alia, coitu iuncta, deprehenditur, quippe quae non nisi post quartam hiemem huic negotio aptae euadunt, in quo etiam aetatis anno sexus ex signis externis dignosci potest. Exacto hoc quarto anno nondum ranae proprius vitae suae instat terminus, videtur potius diuersa earundem magnitudo indicare, viuere easdem duodecim fere annos.

In

In *ſecundo capite partium internarum, earum praeſertim, quae ad generationis negotium pertinent, ſtructuram* deſcribendam ſibi ſumſit Cl. Auctor. Dixit SWAMMERDAMIVS, inſeri veſiculas ſeminales vaſaque deferentia infra fundum veſicae urinariae in inteſtinum rectum, et in illud aperiri duobus oſculis. Haec vero orificia non inuenit ROESELIVS, ſed, non ſine admiratione, paruam ibidem conſpexit papillam carneam. Leui itaque inciſura aperuit veſiculam ſeminalem, inque eam per tubulum aerem immiſit, quo facto, eleuabatur papilla, tenuemque per viam inuentam tranſmiſit ſetam, et in papillam, et per eam in veſiculam ſeminalem. Papillam hanc ce penem eſſe dicendam, Cl. Auctori videtur, idque in primis ex auium analogia declarare ſtudet. Ipſe vero ROESELIVS fatetur, primum quidem huius papillae inuentorem RIVINVM fuiſſe,* ſe tamen ipſius inuenti prorſus ignarum hanc partem ſimiliter reperiſſe, laetatur. Obſeruauit Cl. Auctor, aerem difficilius per uterum in tubas propelli; utrum itaque apertura, qua tubae in eundem hiant, valuula claudatur nec ne, ſingulari ſtudio diſquiſiuit; illudque orificium oblongum, et una in parte margine circulari ornatum inuenit, altera vero pars incurua antrorſum ferebatur et in acumen abibat; inſuper vidit, obturari illud tenui membrana, quae valuulae inſtar oua e tubis in uterum admittit quidem, reditum vero ipſis praecludit. Huius membranae SWAMMERDAMIVS nullam fecit mentionem. p. 20.

Sectio ſecunda tabulas quatuor duplicatas, quales ſupra deſcripſimus, quatuorque plagulas, et in iis deſcriptionem *ranae arboreae*, ſiſtit. Caput primum *de eius proprietatibus, coitu et generatione* agit. Ranam hanc arboream ſpeciem, a reliquis ranis diſtinctam, eſſe oſtendit Cl. Auctor, magnitudine nimirum

* Vid. Act. Eruditor. Lipſienſ. an. 1687. p. 284.

omnibus ranis noſtratibus inferior eſt, color laete viridis in ſuperiori, et albus maximam partem in inferiori ſuperficie, deprehenditur, linea flaueſcente binas has ſuperficies quaſi circumſcribente; quilibet digitus globulo carneo inſtructus eſt, et inter digitos pedum ſaltatorum parua vel nulla cernitur membrana. Licet vero non nulli aliquot ſpecies ranarum arborearum indigitare videantur, unicam tamen tantum eſſe Cl. Auctor docet: color enim in indiuiduis mutatur, quando cuticulam teneram, mucoſam, deponunt, quod intra quatuordecim dies ut plurimum fieri Cl. Auctor obſeruauit, ubi viridis color in ſubfuſcum, ex cinereo albeſcentem et tandem in coeruleo viridem mutatur; arboreae dicuntur, quoniam per aeſtatem in arboribus et fruticetis habitant, cum praeter ea hyeme in limo abſcondantur et verno tempore in aquis degant. Viſcido quodam muco cutis ubique ſcatet, inſtar limacum, ex quo fit, ut facilius, quam aliae ranae, frondibus adhaereant. Vitris ipſis, licet politis, inter experimenta Auctoris agglutinatae fuerunt. De coitu et generatione ſequentia proponuntur. In aquis coeunt, vociferatio maſculis propria eſt, feminae minus clamoſae inueniuntur. Mas inter vociferandum gulam veſicae inſtar inflat, qua nota quidem a femina differt, licet et praeter ea gula fuſca maſculos, alba foeminas indicet. In coitu mas feminae dorſo inſidet, pedibus tamen anticis pectus non amplectitur, eoſdem potius ſub alis feminae figit, et ita eandem firmiter retinet. Coitus in iis, qui citius congrediuntur, per aliquot dies et noctes, in iis vero, qui tardius coniugantur, per viginti quatuor horas ſaepius tantum durat; citius enim abſolui non poteſt, quam ouula ex ouario in matricem deſcendant, ſub quo motu et femina inquieta ſub aquas deſcendit, et motum validum in abdomine oſtendit. Num maſculus membro genitali inſtructus ſit, et liquorem quoque emittat, ut in ranis terreſtribus, Cl.

Auctor

Auctor obſeruare haud potuit; in feminis vero vidit, alias intra bihorium, alias et in primis eas, quae iuſto citius a maſculis relictae fuerunt, intra quadraginta tandem horas ouula emiſiſſe. Quam vellemus nos omnem ouuli mutationem ab emiſſione usque ad incrementum in perfectam ranam, quam Auctor ſtudioſius, quam in ranis terreſtribus, deſcribit, repetere poſſe, cum certo perſuaſi ſimus, generationis negotium in genere inde, ut ex obſeruationibus, cum ouo incubato inſtitutis, egregie declarari, cum tamen dicta ſine iconibus intelligi vix poſſint, cuncta omittimus. Unicum tamen phaenomenon commemorandum eſſe duximus, ſcilicet oua, a femina tardius emiſſa, mutationem quandam ut in foecundis incepiſſe, ſed corpuſcula fungo ſimilia, non vero gyrinos produxiſſe, et paulo poſt periiſſe. Ex hac obſeruatione, quam ſumma cum cura inſtituit Cl. Auctor, concludit, ouis animalium plus rudimentorum foetus ineſſe, quam quidem non nulli credant, praeſertim, cum et in muſculorum atque cochlearum, vere tantum coeuntium, ouariis ipſo iam autumno conchas domosque ope boni microſcopii detexerit. Iis tamen non contradicit, qui forte haec oua minus foecunda cum molis comparare vellent. Ranam marem follem ſiue cauum aereum ſub gula habere, quod vociferando extendit, ſupra monuimus, nunc tantum addimus, ad radicem linguae proxime ad maxillas duo, utrinque poſita, deprehendi orificia, per quae aer intrat. Ranae tamen non niſi quarto poſt natiuitatem anno clamare incipiunt, gula tunc etiam fuſca fit, quo tempore illae ad negotium generationis aptae euadunt. Alterum caput ſtructurae internae declarandae deſtinatum erat, quoniam vero partes internae cum rana terreſtri in pluribus conueniunt, paucas tantum, ad tabulam quartam ſpectantes obſeruationes adiecit Cl. Auctor, quae tamen ſine iconis conſideratione vix perſpici poſſunt.

In

In fine tractationis huius historiam ranae viridis aquaticae promittit, quam auide expectamus, cum ex hactenus propositis et accuratas esse Cl. Auctoris obseruationes, et icones summa cum cura elaboratas, colligamus.

Praeter haec iam indicata *conchyliorum* etiam historia a pictore, non minus claro, REGENFVSSIO, nouo opere perfectior redditur. Prodierunt enim hactenus tabulae sex, in quibus sexaginta septem conchyliorum species, duplici ut plurimum facie, eleganter ac nitidissime viuis coloribus repraesentantur. De hoc vero, ut et sequentibus, cum explicatio adhuc deficiat, alio tempore sermonem instituemus. Itaque modo adhuc monemus, ad regnum minerale sequens, cuius triginta vidimus tabulas, pertinere opus:

XXII.

Lapides ex celeberrimorum virorum sententia diluuii uniuersalis testes, quos in ordines ac species distribuit, suis coloribus exprimit, aerique incisos in lucem mittit et alia naturae miranda addit GEORG. WOLFFG. KNORR. Noribergae. 1750. fol. reg.

Omnem vero naturalem historiae ambitum complectitur illud opus, quod idem Cl. KNORR euulgare coepit hoc titulo:

XXIII.

Deliciae naturae selectae, *oder auserlesenes Naturalien-Cabinet, welches aus den drey Reichen der Natur zeiget, was von curiosen Liebhabern*

haben aufbehalten und geſammlet zu werden verdienet. Nürnb. 1751. fol. reg.

Huius autem operis quatuor modo proſtant tabulae, quarum priores tres varia lapidoſa marina corpora atque conchylia, quarta vero non nullas papilionum ſpecies, nitide depictas, ſiſtunt.

XXIV.

D. IOHANN GEORG GMELINS *der Chemie und Kräuterwiſſenſchaft auf der hohen Schule zu Tübingen öffentlichen Lehrers, Reiſe durch Sibirien von dem Jahr 1733 bis 1743. Göttingen, bey Abraham Vandenhœks Wittwe. I Theil 1751. 8. mai. 1 Alphab. 6 Bog. 3 Kupfertafeln. II Theil 1752. 1 Alph. 18 Bogen 6 Kupfertafeln.*

h. e.

D. IOHANN. GEORG. GMELINI iter per Sibiriam. Tom. I. II.

Prodiit hactenus in lucem ſub auſpicio Ill. HALLERI *collectio nouorum et memorabilium itinerum, per mare et terram ſuſceptorum. Goettingae,* 1750 et 1751. 8. mai. c. f. Haec collectio variarum regionum, prouinciarum et inſularum diſſitarum memorabilia, ex variis exteris ſcriptoribus deſumta et in linguam germanicam translata, in tribus tomis continet. In ſequentibus vero tomis, a quarto ad reliquos usque, quos nunc allegabimus, Cl. GMELINI iter, per Sibiriam deſcriptum, deprehendimus; cum qua itineris deſcriptione nouus liber nunc traditur, in quo hic vir indefeſſus, dierum rationem habens, in diario quaſi regiones, loca, urbes, oppida, pagos, populos,

los, incolas, mores notauit et diriſſima fata, quae in hoc itinere moleſtiſſimo inter barbaras et inconditas gentes ipſe eiusque ſocii pertulerunt, attente deſcripſit. Neutiquam tamen praetermittere voluit ea, quae ad ſcientiae et hiſtoriae naturalis cognitionem pertinere videbantur, et ideo pauca in huius itineris deſcriptione inter alias res, ſcitu non adeo dignas, paſſim interſperſa tradidit. Quae, ut uno intuitu quaſi perluſtrari poſſint, hic collecta et annotata proponimus, ne rerum naturalium curioſi longa, et ob leuiora ſaepe momenta adducta, non ſemper et ubique grata lectione omnes librorum paginas euoluere cogantur.

Tomus primus itineris GMELINI, qui in collectione quartus eſt, praeter alia ea continet hiſtoriae naturalis momenta, quae anno 1733. usque ad annum 1735. ab urbe *Petropoli* ad urbem *Selenginsk* et circa
p. 40. regiones et fines chinenſes deprehenſa fuerunt. Eſt oppidum, *Balachna* dictum, ubi ſalium fontes multi inueniuntur, qui tam copioſo ſale ſcatent, ut ſemper in pluribus quam quinquaginta officinis ſal culinare
p. 57. coqui et parari poſſit. *Quas* eſt acidiuſculi potus genus, apud Ruſſiae populos uſitatum, quod paratur, dum farina vel panis non fermentatus cum aqua im-
p. 108. paſtatur et leni calore fermentatur. In officinis metallicis *irginienſibus*, haud ita pridem exſtructis, minerae cupri et ferri tractantur. *Schaitanskie* etiam non nulli furni inueniuntur, in quibus minerae variae ex fodinis, prope riuum *Schiſchim* deductae, coquuntur. In urbe, *Catharinenburg* dicta, officinarum metallicarum ſtatus ita comparatus eſt, ut vix emendari poſſe videatur et omnino operariorum diligentia laudari mereatur, idque eo magis, quod nec pecuniae uſitatae nec victus inopiam patiantur. Ipſorum metallicolarum ſanitati noſocomio quoque proſpectum eſt, in quod omnes aegroti deferuntur, ſuſtentantur et a medico chirurgo conſtituto curantur. Eſt etiam in hac

hac urbe collegium, cum praefide conſtitutum, quod omnibus officinis metallicis ſibiriacis praeeſt. Ab hac urbe ad quinquaginta milliariorum ruſſicorum diſtantias ſitae ſunt cupri fodinae *polewaienſes*, quae ſcalis commodioribus exſtructae ſunt, quam noſtrae germanicae. Licet vero montes harum fodinarum non adeo compacti ſint, ope tamen pulueris pyrii frangi debent. Minerae, quae pyriticae indolis ſunt, non in venis decurrunt, ſed hinc illinc coaceruatae in terra nigra aluminoſa deteguntur, quarum centenarius unus libras circiter tres metalli continet. Sunt et ibidem officinae, in quibus cuprum contunditur coquiturque. *Siſertienſes* officinae ferrariae anno 1734. exſtructae ſunt, ut minerae ferri, quae circa hanc viciniam copioſiſſime effodiuntur, tractari poſſint. Prope flumen *Kamenka* ſitum eſt oppidum *Kamenskie*, ubi officina ferraria antiquiſſima eſt, et in qua ferrum totius Sibiriae optimum, nempe fibroſum et molle coquitur, ideoque ad tormenta conficienda aptiſſimum habetur. Huius ferri minerae prope *Kamenka* et *Pinar* effodiuntur. In urbe *Tobolks* lues venerea frequentiſſima eſt, idque eo magis, quod auxiliis aptis et medicis peritis deſtituti ſint incolae. Habent tamen quaedam remedia. Ad gonorrhoeam curandam vitriolum adhibent, et luem ipſam per ſaliuationem, dato arſenico et mercurio ſublimato excitatam, curant. Pellunt vero etiam eandem inunctione, ad quam unguentum ex axungia porci et mercurio viuo paratum, adhibent. Circa *Scheleſinskaja Krepoſt* et *Irtiſch* lacus multi ſalini inueniuntur, quorum aqua ſapore amaro gaudet. Sal ipſum ſolutum et cryſtalliſatione depuratum cum ſale mirabili GLAUBERI conuenire dicitur, et ideo loco ſalis anglici cathartici a metallicolis ad aluum purgandam aſſumitur. Sunt circa eadem haec loca et *Iamuſchewa Krepoſt* in locis aquoſis et paludoſis inſecta illa, quae LINNAEVS in Fauna Suecica numero 1116, 1118 ſub nomine

p. 115.
p. 118.
p. 120.
p. 148.
p. 184.
p. 199.

mine culicis nigri, alis aqueis, pedibus nigris, annulo albo, nec non ſub nomine culicis cinerei, abdomine annulis fuſcis octo, adduxit, quaeque hominibus et animalibus, ibi commorantibus, magnam creant mole-
p. 206. ſtiam. Non procul a *Iamuſchewa* lacus ſalinus celebris reperitur, *Iamiiſchu* dictus, quem Auctor ipſe naturae miraculum appellat. Magnitudo eius quoad peripheriam nouem milliaria ruſſica comprehendit et figurae ſubrotundae eſt. Aqua ipſa admodum ſalſa, ſole ſplendente, colorem rubicundum refert. Littora et fundus huius lacus ſale copioſo albidiſſimo, cryſtallos cubicas repraeſentante, ita abundant, ut multae naues eodem onuſtari poſſint, intra ſex vero dies eadem iterum proueniat copia. Indoles eius optima
p. 212. et ad carnes condiendas aptiſſima inuenitur. In regionibus circa *Sempalat* animal viuit quadrupes, *Saiga* dictum, quod damae ſimile eſſe videtur, exceptis tamen cornubus, quae non uti in damis in fine retrorſum incuruata ſunt, ſed recta excurrunt. Differt plane a capra moſchifera, quae in prouincia irkutzkienſi etiam *Saiga* dicitur. Notandum eſt, quod in huius animalis viui panniculo adipoſo magna copia vermium alborum, longitudine fere unius digiti et in utraque extremitate acutorum, ſedeant. Ipſius caro licet ideo magis nauſeoſa ſit, ab incolis tamen
p. 222. magna cum voluptate comeditur. Creſcit in hortis *ſempalatenſibus* melonum ſpecies, quae *cucumeres kalmuckienſes* dicuntur. Hae, ſi maturae ſunt, odorem et ſaporem melonum gratum habent; Videantur de his ipſis AMMANNI ſtirpium rariorum in imperio ruthenico ſponte prouenientium icones et deſcriptio-
p. 247. nes. Petropol. 1739. p. 8, 9. Ad *Pichtowa* mons ſitus eſt, in quo quinque metallifodinae reperiuntur, in quibus minerae non adeo profunde, attamen ſatis
p. 254. copioſe effodiuntur. Prope flumen *Ob* et montem *Kolywankagora* anno 1725 fodinae metallicae detectae, et ex conſilio Cl. DEMIEDOW ſequentibus annis,

officinis

officinis ibidem exſtructis, magis magisque excultae fuerunt. Hae tandem anno 1734. ad eam exereuerunt perfectionem, ut pro maximis et optimis omnium officinarum metallicarum, quae in Europa inueniuntur, habeantur; minerae enim ibidem repertae non ſolum cuprum, ſed etiam argentum et aurum continent. Ad has officinas etiam aliae ex monte *ſerpentino*, prope officinas kolywaenſes ſito, adducuntur minerae, quae cupri et argenti ditiſſimae ſunt, et etiam aurum in venis aeque ac granulatum et lamellatum habent. Eo igitur feliciores progreſſus fieri poſſunt, quoniam metalla fere omnia in ſuperficie haerent, nec multis laboribus et machinis exſtructis effodi poſſunt. Circa pagum *Kalti-rak* deſerta loca varia deprehenduntur, quae perpetuo fumant, ac ſi incenſa fuiſſent. Solum ibidem turfaceum et muſcoſum, vel ex negligentia vel a fulmine accenſum fuit, et quoniam non exſtinguitur, per annos flammam alit et fumat. Sunt et in aliis eius modi regionibus ſimilia loca, antea paludoſa, nunc vero arida et ſicca, quae eadem ratione accenſa per longum tempus flammam alunt et fumant. Vbi *Kusnetzk* vicini incolae ſpiritum vini vulgarem deſtillare ſolent. Ad hanc deſtillationem adhibent vas ferreum, tripodi impoſitum, operculo ligneo tectum, quod e latere foramen habet, e quo per canalem ligneum ſpiritus effluit. Ipſe hic ſpiritus ex lacte equino, in vaſis coriaceis antea fermentato, paratur. Ingratus eſt odor, vires tamen validae, non adeo inebriat, nec caput grauat. Mons igniuomus ad ripam *Abaſchewa* iacere, dicitur, quoniam ſemper fumus ex eodem aſcendit. Hunc fumum Auctor ipſe obſeruauit eiusque odorem ingratum percepit, originem vero, accuratiore diſquiſitione inſtituta, non ex ipſo monte igniuomo, ſed ex terra reſinoſa, in ſuperficie tantum haerente et ardente, deriuat. Circa *Vſtkemſchuk*, ubi natio tartarica habitat, etiam

p. 270.

p. 273.

p. 280.

p. 336.

variolae graſſari ſolent. Nullo vero certo tempore, nec quouis anno, ſed intra decennium interdum accedunt. Quando autem ſemel inuaſerunt homines,
p. 343. per unum, duos et tres annos ſaeuiunt. *Ieniſeenſes* ſcientiam rei herbariae medicae amant et colunt. Eſt planta quaedam, anacampſeros purpurea dicta, inter illos notiſſima. Hanc in minores partes diſcindunt, cum aqua in vaſe infundunt, ad fermentationem reponunt, et exinde aquam deſtillant, quam magni fa-
p. 355. ciunt eique egregias virtutes attribuunt. Magnum in Sibiria frigus, quod hiſtorici varii annotarunt, auctor noſter quoque obſeruauit et pertulit. Anno 1734. medio decembris aer ſerenus erat et tamen congelatus quaſi, uti nebuloſus apparebat, ita, ut fumum ex caminis aſcendentem deprimeret et aues ex aere mortuae deciderent. Eo tempore, qui in hypocauſtis calefactis commorabantur, homines, capitis dolore affligebantur, non a ſulphure, ut Auctor putat, ex carbonibus exhalante, ſed ex vaporibus, a calore expanſis. Per diem ſemper circa ſolem parhelii et halones conſpiciebantur. In thermometro fahrenheitiano mercurius ad 120. gradus plus deſcendebat,
p. 368. quam unquam obſeruatum fuit. In locis, circa flumen *Irtiſch*, *Buchturma*, *Ob*, *Amur* et *Lena* ſitis, verſus *Kamtſchatka* et vicinas inſulas, ouium ferarum genus, *Argali* mongolenſibus dictum, inuenitur. Sunt haec animalia valde alacria et robuſta, ut a decem viris vix domari queant. Quoad habitum externum caput, collum, pedes et caudam ad genus ceruinum referri poſſunt. Eius modi animalis triennis altitudo erat unius et ſemis, longitudo vero unius et trium quartarum ulnae ruſſicae; ſupra oculos prope aures cornua excreſcunt, retrorſum et antrorſum flexa, primo aſpera, deinde ad finem laeuia. Magna ſunt haec, cornua, ad originem pugni craſſitiem habent, longitudine duarum ulnarum pondere triginta et quadraginta librarum et in his omnis animalis vis la-

tere

rere dicitur. Praedita ſunt praeter ea auribus acutis, erectis, pedibus anterioribus breuioribus, poſterioribus longioribus, ungulis fiſſis, corporis colore gryſeo brunoque interſperſo, linea in dorſo et abdomine fuſca. Verſus vernale tempus pilos perdunt et colorem rubicundum aſſumunt. Structura eorum interna eadem eſt, ac in aliis animalibus ruminantibus. Graminibus nutriuntur et vere unum vel duos foetus pariunt. Caro boni eſt ſaporis et pinguedo grati odoris. Cum *Muſimon* veterum conuenire putat Auctor, de quo videantur PLINIVS, nec non GESNERVS in hiſtor. animal. libr. I. de quadruped. viuipar. p. 934, 935. In regionibus circa *Kiaechta* ad p. 459. febres intermittentes curandas arſenicum, ut remedium uſitatiſſimum, adhibere ſolent.

Tomus ſecundus, in collectione quintus, continet ea hiſtoriae et ſcientiæ naturalis momenta, quae annis 1735, 1736, 1737. trans mare *Baikal* et in locis usque ad fines chinenſes orientales, flumen *Lena* et urbem *Iakutzk* ſitis, obſeruata fuerunt. Ad riuum *Tuſatſchi*, p. 52. qui quatuordecim milliaria ruſſica a flumine *Argun* diſtat, officinae metallicae argunenſes ſitae ſunt, in quibus anno 1704. graeci mineras, quas primo tempore ſatis paucas inueniebant, rudi adhuc arte coquere tentabant. Has fodinas et officinas anno 1716. captiuus quidam ſuecus, nomine PETRVS DAMES germanorum more emendare quidem ſtudebat, interim tamen propter metallicolarum negligentiam non adeo magni prouentus inde redibant. Uti vero Cl. Auctor obſeruauit, minerae ſatis copioſae in his terris reperiuntur, quae plumbum, ferrum, argentum et aurum continent. Saxonum tandem, qui ad haec loca adueniebant, ſtudio, nouos furnos focosque exſtruentium, hae fodinae et officinae ita excultae fuerunt, ut anno 1740 et 1741. quaedam argenti aurique copia abhinc *Petropolim* apportaretur. In p. 72.

locis, ad *Surowaja Saimka* ſitis, rhamnus ramis ſpina terminatis, floribus quadrifidis LINNAEI, ſiue rhamnus catarcticus BAVHINI, et armeniaca betulae
p. 73. folio et facie, fructu exſucco creſcunt. Inter incolas argunenſes, prope fluuium *Oſtrog* habitantes, epilepſia et lues venerea vehementer graſſantur. Epilepſia infantes in primis corripit, qui, ſi in primo paroxyſmo bene obteguntur nec tanguntur, nunquam in eandem incidere creduntur, attacti vero vel perire vel nunquam curari dicuntur. Lue venerea correpti ita deformantur, ut ſine horrore adſpici nequeant. Ad hanc curandam ſolum decoctum ex cortice fraxini vel laricis, cum alumine paratum, adhibent, quo vero remedio malum ita retropellunt et in ſede ſua figunt, ut tandem interiores partes oſſaque arrodat. Deprehenditur etiam ibidem morbi genus *Woloſſez* dictum, quod abſceſſu ſeſe manifeſtat, in quo materia, purulenta in pilos mutata, veluti integer pilorum humanorum faſciculus, extrahi dicitur. Alii narrant, eſſe quoddam in illis aquis vermium genus, quod pilorum formam habeat, et in hominum, qui iisdem aquis ſe lauant, cutim penetret eandemque ita irritet, ut primum abinde tumor cum dolore et poſtea abſceſſus oriatur. Eius modi vermes ipſe Auctor vidit. Sunt illi certe pilis ſimillimi, accuratius vero, ope microſcopii conſiderati, ex multis annulis conſtant, corpus valde corrugant, extendunt et in aqua celeriter ſeſe mouent. Praediti ſunt porro capite acuto, cauda nigricante craſſiore et obtuſa, colore pallido, in dorſo cum linea bruna, ore hirundinum, et ad ſpithamae longitudinem accedunt. In curando hoc morbo balneo calido, ex lixiuio et herba anſerina parato, utuntur, quae cura abſoluta eſſe indicatur, quando dolores ceſſant; in illis, qui hanc curam recuſant et negligunt, ulcera tan-
p. 80. dem cancroſa et phagaedenica fiunt. In eadem hac vicinia fagopyrum fructu aſpero AMMANNI ſiue helxine

ſanae, cum maritis maxime venereis viuentes, non infectae fuerunt. In aegroto venereo, quem Cl. Auctor ſaliuatione mercuriali curare ſtudebat, mercurio ultra doſin conſuetam dato, loco ptyaliſmi tam copioſam diureſin excitauit, ut per unum quemlibet diem plus quam viginti libras urinae emitteret, qua ipſa euacuatione aeger quoque ſanitati reſtitutus fuit. Finita hac cura aeger, cui antea facilius aluus ſubducebatur, nec vehementiſſimis purgantibus mouebatur, ſiquidem una drachma gummi guttae vix duas alui deiectiones effecerit. Quaeſtionem hic mouet Auctor, num hic effectus inertiae villis inteſtinorum, a mercurio inductae, forte adſcribi queat. p. 163.

E regione fluminis *Kuta* auſtrali fontes ſalini exſtant, ex quorum maximo aqua ſalſa per canalem in lebetem ferreum ſatis capacem deriuatur et ibidem coquitur. In ipſa ſalis coctione magna copia materiae albae, ſabuloſae, fundum petit, quae in officinis metallicis regionum *Selenginsk*, ad mineras refractarias coquendas et ferrum ab his ſeparandum, adhibetur. p. 224.

Qui ad flumen *Kirenga* habitant incolae et mares et foeminae ſtrumis maioribus incedunt, quas per generationes propagari dicunt. Et in ipſis pecoribus easdem haud raro obſeruare licet. p. 282.

Ad flumen *Itſchora* mons iacet, ex quo fons ſalinus profilit, cuius aquae unciae ſedecim tres drachmas ſalis continent, ſal vero ipſum non ea bonitate, qua illud, quod in aliis regionibus coquitur, praeditum eſt. Hanc aquam ſalſam operarii in officinis ſalinis ſine incommodo pro potu ordinario bibunt. p. 291.

In montibus, ad ripam *Kolotowka* et *Witim* ſitis, glacies mariae effoditur. Haec glacies in quarzo ex albo flaueſcente et in gryſeo fluore, non in venis, excurrit, ſed ſub tabularum forma inuenitur. Optima iudicatur ea, quae colorem aqueum pellucidum habet, et ſub tabularum magnarum forma effoditur. Hanc glaciem findunt et ad aedificiorum nauiumque feneſtras parandas adaptant, quae p. 324.

vero feneſtrae, aeri expoſitae, pelluciditatem perdunt,
nec maculae a pinguedine et fumo ipſis obductae, fa-
p. 374. cilie deleri poſſunt. Ab *Olecminskoi Oſtrog*, via ſatis remota et ad littora *Kaptendei* e terra fontes ſalini, una cum aqua magnam ſalis albidiſſimi copiam proiiciunt; ſal ipſum, quam diu cum aqua mixtum eſt, ſub forma ſabuli ſubtiliſſimi apparet, deinde vero in albam lapideamque maſſam concreſcit et copioſe coaceruatur. Eadem haec regio in vicino loco montem ſalinum conſpiciendum praebet, in quo ſal verum, cryſtallorum cubicarum forma concretum et puriſſimum inuenitur. Vtrumque vero ſal et fontanum et montanum, quoad naturam, qua optimum eſt, inter ſe conuenit. Reliqua montis huius ſtrata terram limoſam et talcum verum album conſtituunt.
p. 383. Inter regiones, flumen *Lenam* circumiacentes, locus quidam, *Stolbi* dictus, celebris eſt, quoniam ibidem montes ſiti ſunt, qui columnas lapideas, a natura ita factas, ſiſtunt, ac ſi arte exſtructae fuiſſent. Lapis ipſe harum columnarum durus, arenoſus, varie coloratus, marmoreus et ruber eſt. Inter has columnas ferri minerae opera facillima copioſe eruuntur, quas in ciſternam ligneam reponunt, et lignis ſu-
p. 410. perſtructis igneque ſuccenſo torrere ſolent. Inter copias militares, quibus viam ex regionibus ſeptentrionalibus orientalibusque ad mare kamtſchatkienſe quaerere demandatum erat, in hybernaculis prope *Iakutzk*, non adeo commodis, commerantes anno 1736. ſub finem menſis octobris ſcorbutus graſſari
p. 419. incipiebat. Huius morbi ſymptomata haec erant: aegri primum in locis corporis, olim morbis affectis, dolores ſentiebant; poſt hos appetitus imminutus, proſtratio virium, ſomnolentia, oedema pedum cum maculis liuidis, ſternutatio vehemens cum dorſi dolore, dentium vacillatio et foetor oris ſubſequeban-
p. 420. tur. Tandem praeter haec intumeſcentia abdominis, ſitis inexſtinguibilis, tuſſis ſicca et obſtructio

alui

helxine caule erectiuſculo inermi, foliis cordato ſagittatis, ſeminibus ſubdentatis LINNAEI colitur. Huius plantae ſemen, quod argunenſes *Dikuſch* et krasnojarskenſes *Kyrlik* appellant, uti halica comeditur. Prope riuum *Kilgi* mons *Iaſchma gora* dictus, p. 81.
ſitus eſt, qui fere totus ex iaſpide viridi, aliis tamen lapidibus interpoſitis, concreuit. In regionibus p. 89.
circa *Werchnei Borſa* riuus quidam manat, cuius aqua pota vomitus excitat, quae examinata vitriolum ferri in ſe habere, cognoſcitur. In locis ſylueſtribus p. 103.
circa *Zuruchaitu* caprearum genus in magna multitudine viuit, quod cornua ibicis gerit, quae non deiicit. Quemadmodum vero haec ſenſim ſenſimque creſcunt; ita etiam in larynge animalis, pomum ſic dictum Adami, quoad magnitudinem adeo augetur, ut tanquam magnus tumor in collo appareat. Ex ad- p. 105.
uerſo *Bach Borſo* locus ſalinus celebris conſpicitur, cuius longitudo milliare ruſſicum circiter unum et ambitus milliaria tria complectitur. Sal ipſum non in fundo haeret, ſed ſub membranae forma aquae ſupernatat, et licet non adeo largiter colligi poſſit, tamen omnes bonitatis notas ſalis culinaris retinet.
In iisdem plagis animalia, *Tſchigitai* dicta, venatione p. 107.
capiuntur, quae tanquam foecunda mulorum ſpecies habitum corporis, equo ſimilem, colorem dilute brunum, caudam vaccarum, aures longas habent et celeri curſu procedunt. In regionibus, quae flumen p. 114.
Onon circumiacent, ſacerdos quidam, ſiue *lama* habitat, qui medicinam et chirurgiam, praeſertim cauteria et cucurbitulas applicando, exercet. Cucurbitula unica, qua utitur, cuprea eſt et ſedecim uncias ſanguinis recipit. Hanc aere, antea per ignem rarefacto, applicat. Hoc facto in eodem loco venam conſpicuam, ligno quodam adaptato, eleuat, comprehendit et inſtrumento ſimili, quo equorum venae pertunduntur, diſſecat, cucurbitulam ſuper imponit ſanguinemque extrahit. Loco cauterii artemiſiam,

in conum paruum conuolutam et fomite accenſam, adhibet. His ipſis remediis, ſaepius reiteratis, omnes morbos internos ſanat. Ex plumbo fuſo, argento viuo ſulphureque admixtis cineres parat, eosdem infuſo theae in paſtam redigit, ut unguenti conſiſtentiam nanciſcantur, quo externe applicato ſcabiem pellit. Praeter ea etiam oculorum morbos curat, pulueribus quibusdam, quorum unus conſtat ex cupro lamellato et ſulphure in calcem redactis, alter vero ex argenti partibus duabus et aeris caldarii (*Glockenſpeiſe*) parte una, in cochleari ferreo fuſis et mixtis et in cineres mutatis, paratur. Ex hoc cum infuſo theae, et ex illo cum lacte muliebri, ſolutiones facit, quas guttatim in oculos inſtillat. Hic medicaſter porro calcem cupri ad expellendas variolas laudat, quippe quae materiam peccantem per vomitum, aluum et alias vias eliminet. Pannum tandem ab oculo ope trium inſtrumentorum, hamuli, acus et illius, quo in venae ſectione utitur, ſeparat, quae inſtrumenta omnia ipſe conficere didicit.

p. 142. In flumine *Selenga*, quod urbem *Udinsk* alluit, alburnus, *Omul* dictus, qui a PETRO ARTEDO *in ichtyologia gener. piſcium part. III. p. 9. coregonus* dicitur, copioſe capitur. Magnitudo illius eſt pedis

p. 146. vel ulnae unius. Incolas, urbis iam dictae panaritii genus quoddam interdum vexat, quod ex dolore in digito cognoſcitur. Hoc ſanare ſolent unguento, ex axungiae porci uncia una, reſinae abietis libra una, aluminis uncia ſemis, viridis aeris et vitrioli cyprii drachmis duabus et mercurii ſublimati ſcrupulis duo-

p. 161. bus compoſito. Lues venerea ciues in urbe *Irkutzk* fere omnes infeſtat. De hac lue in uniuerſum, quae in Sibiria domatur, id obſeruare licuit, quod interdum mariti cum foeminis, lue vitiatis, viuere, uno in lectulo dormire, coitumque exercere poſſint, ſine eo, ut contagium ſuſcipiant. Foeminae e contrario

ſanae

neo, pasta quadam ex creta nigra cum saliua facta, tincto, conficiunt. Est haec operatio dolorosa et facies tota post eandem intumescit et inflammatur, ad quod symptoma tollendum, non nisi axungia porcina utuntur.

XXV.

Dissertation sur les maladies de l' urethre, qui ont besoin de bougies. Par Mr. ANDRE, Maitre en Chirurgie. A Paris, chez Pecquet. 1751. 12. mai. pl. 10½.

h. e.

Dissertatio de morbis urethrae, contra quos cereorum usus necessarius est.

A GALENI iam inde temporibus inter medicos atque chirurgos disputatum fuit, num verae carunculae in urethra generari possint? Cum graecus ille medicus, cuius placita per tot saecula omnes fere in Europa medici secuti fuerant, inter causas, quae urinae iter praecludere valent, putrem carnem, ex ulcere natam, retulisset, fieri non potuit, quin, venereis morbis inter europaeos grassantibus, et inter hos urinae mittendae difficultate saepius obseruata, huius quoque causam in carunculis, in urinae itinere ortis, ad unum fere omnes medici atque chirurgi quaererent. Cum dein vero in hominum, qui hoc morbo laborauerant, dissectis cadaueribus plures nullam inuenissent carunculam, illorum etiam plurimi ab hac, olim omnium facta, sententia discesserunt. Attamen ex recentiorum medicorum, qui in ipsis cadaueribus morborum causas inuestigarunt, certis obseruationibus clarum factum fuisse videtur, dari omnino casus, in quibus tales excrescentiae urinam cohibere

bere queant. Eius modi quoque obſeruationes in hoc iam indicato libro nos inuenturos eſſe ſperabamus, ideoque eum perlegebamus auide. Spes vero nos fefellit. Num enim Cl. Auctor in ſectis, hoc morbo detentorum, cadaueribus inuenerit carunculas, anque tales ab eo unquam inſtitutae fuerint diſquiſitiones, ex illo non apparet. A priori ſaltem, ut aiunt logici, ſeu ex ipſa horum morborum natura, colligere ſategit Auctor, veras dari in urethra excreſcentias carnoſas, contra quas, et ſimiles huius canalis morbos, qui urinae effluxum impedire poſſunt, ſua, quae inuenit bacilla, miris laudibus commendat, eaque tamquam plane noua, omnia alia, huc usque ab aliis inuenta et publici iuris facta, viribus exſuperantia, extollit, quorum quippe virtutem eam eſſe dicit praecipuam, ut aliena, quae in urethra generata ſunt, diſſoluant, abſtergant, et *nouam producant ſuppurationem*, indeque laeſarum partium iuuent conſolidationem, reliquorum tamen contra virus venereum cognitorum remediorum uſu ſimul haud negligendo. Quo autem modo illa praeparari debeant; lectoribus noſtris dicere non poſſumus, cum eorum compoſitionem in hoc tractatu declarare, eamque aliorum ſubmittere iudicio, Cl. Auctori nondum placuerit. Omnis autem diſſertatio tribus abſoluitur
p. 6. capitibus. In eorum primo illos morbos, qui gonorrhoeam excipere obſeruantur, atque deinde alios, qui veſicam urinariam infeſtare, et illos priores aut ſequi, aut per eos ſaltem pertinaciores fieri ſolent, explicare ſtuduit, ideoque aliqua de dyſuria, ſtranguria, iſchuria, et, quae horum morborum frequens eſſe cauſa dicitur, de gonorrhoea, eiusque
p. 11. ortu, cauſa, atque varia ſede propoſuit. Ab hac quidem urethrae glandulas, quia primum ſunt obuiae, prae aliis partibus, ſemper affici debere, ait, inde vero, quod non numquam veſiculae ſeminales, aut vicinae partes tantum, reliquis plane liberis relictis,

alui pertinax cum teneſmo, per duas tresue ſeptimanas perdurans, ſuperueniebant. Aluum obſtipatam purgantia vehementiſſima reſerare non poterant. In quibus vero aluus aperta ſequebatur, illi vel paulo poſt moriebantur, vel diarrhoea continua et ſanguinolenta adhuc accedente, miſere peribant. Cum omnibus hisce ſymptomatibus febris continua et ſpasmodicae artuum contractiones coniunctae erant. In cadauere quodam diſſecto haec obſeruata fuerunt: externa corporis ſuperficies multis maculis liuidis conſpicua erat; veſica urinaria multo ſanguine coagulato repleta inueniebatur et per urethram ſanguis verus effluebat; dexter pulmonum lobus, multa pituita obſeſſus, aſpera arteria et oeſophagus inflammati; in corde et vena caua multum ſanguinis grumoſi haerebat, renes gangraena corrupti, ventriculus vero ab omni labe liber, conſpiciebantur. Ex harum copiarum numero octo tamen, qui una cum aegrotis vixerant, ab hoc morbo illaeſi manſerunt, quippe qui perpetuis laboribus et vigiliis ſeſe exercebant et decoctum ſtrobilorum pini bibebant et piſces crudos congelatos comedebant. Praeter leuia incommoda tamen etiam obſtructionem aluinam patiebantur. In p. 443.
regionibus iakuzkienſibus muris alpini ſpecies copioſe deprehenditur. Viuit hoc animal in agris, cellis et iis locis, ubi frumenta coaceruantur, unde hieme et aeſtate praedam quaerit. Id ipſum capite ſubrotundo, proboſcide obtuſa, auriculis nullis, meatu auditorio pilis tecto, cauda pilis longioribus obſita, palmae longitudine, ab initio coloris nigricantis et flaui, circa finem fuſci et nigri, corpore craſſo, colore in dorſo gryſeo, in abdomine flauo, pedibus anterioribus breuibus et digitis quatuor, poſterioribus longioribus et digitis quinque, ſingulis unguiculatis, inſtructum eſt. Captum hoc animal et irritatum vehementer mordet; pedibus poſterioribus inſidens anterioribus cibum capit. Sub initio aprilis concipit

p. 464. et ſub initio maii foetus quinque vel octo parit. Potus genus anglicum, *Punch* dictum, ex aqua, ſaccharo, ſucco citri et ſpiritu vini paratum, earundem regionum incolae etiam conficere ſolent, licet ob ſpiritum vini vulgarem et leuiorem non adeo gratus ſit
p. 467. potus. In deliciis quoque habent baccas ribeſiorum vulgarium acidorum rubrorum, vitis idaeae, ſemper virentis, fructu rubro, chamaemori, rubi foliis ternatis, caule inermi unifloro et chamaerubi ſaxatilis. Has in cellis recondunt frigoreque gelatas ita im-
p. 469. mutatas ſeruant, ac ſi recentes eſſent. Ob victum autem hunc refrigerantem ſpiritum vini eo copioſius aſſumunt. Praeter haec radices pimpinellae, anſerinae, biſtortae, hedyſari, vel crudas vel exſiccatas, et in puluerem redactas, cum lacte in pultis formam mixtas, comedunt et allium auide deuorant. Corticem iuniorum pinorum aridam et contuſam cibis admiſcent. Ex carnibus animalium equina ipſis optima eſt, nec ſanos equos, ſed aegrotos necant; mures
p. 489. quoque edunt. In loco, ex aduerſo fluminis *Lena* ſito, *Bereſowoi* dicto, in monte quodam lithantraces effodiuntur, quae inter ſabuloſa ſtrata haerent et humidae ſunt, aeri vero expoſitae diſſiliunt in frag-
p. 634. menta, nec facile flammam concipiunt. Dum frigoris gradum iuxta thermometrum de l' ISLE obſeruaret Cl. Auctor, inter mercurii viui interſtitia aereas bullulas conſpiciebat, quae quoque iterum euaneſcebant et a frigore magno ſine dubio ex his interſtitiis expellebantur. Ab his bullulis non deſcendebat ſed aſcendebat mercurius. Aerem ſubtiliſſimum, qui inter mercurium diuiſus in bullulas iterum confluit, forſitan hac virtute pollere, ut mercurium, in tubo haerentem, plus augeat, quam im-
p. 647. minuat, conſicit Auctor. Apud tungenſes mos eſt, ut figuras varias, ornamenti loco in facie impreſſas, gerant. Has ipſi parentes infantibus adhuc imprimunt, dum futuras in cute, mediante acu et filo li-

neo,

lictis, patiantur, concludit, quod ipsum virus venereum non contagiosum solum, sed etiam volatile, esse debeat. Gonorrhoea vero, siue leuis sit, et in urethrae glandulis tantum haereat, siue grauior, et in glandulis, a COWPERO dictis, sedem suam fixerit, siue denique grauissima, et prostatas ipsasque vesiculas seminales occupauerit, ulcus parit, quod fere semper appellare cancrosum, Auctori libuit. Con- p. 26.
tinua enim partium substantia sublata, non ductus solum excretorios, sed ipsa quoque partium, quas occupauit morbus, corpora corrodi debere, et vel propter loci difficultatem, siue aliam insignem laesionem, vel peruersam medendi methodum, pure non effluente, et putrem carnem supernasci, et ab eo retardato collum quoque vesicae simul affici, ille docet; quem ad modum in hominum, interno aliquo p. 30.
abscessu defunctorum, incisis cadaueribus, v. c. pleuram atque mediastinum pluribus in locis, a pure clauso viscosa, crassa et corneae quasi indolis facta, saepe se deprehendisse, asserit. Duplici autem modo, eo p. 34.
que saepius utroque simul coniuncto, fungosam carnem seu caruncularn nasci posse perhibet, quando nimirum ipsae membranarum, quae urethram constituunt, fibrae, iam laceratae et ulcerosae factae, tumidae fiunt, atque in longitudinem excrescentes, fungo occasionem dant; vel partes vicinae scirrhosae, indeque hae partes omnes coarctatae atque corneae fiunt. Vesica vero urinaria laedi dicitur, cum a re- p. 36.
tento pure, eoque copiosiori et crassiori facto, volumen, ideoque etiam robur eius elasticum, imminuitur, eaque igitur ipsa magis contracta fit atque cornea. Si quis vero Auctori velit obiicere, quod p. 38.
purulenta materies urinae ope per urethram euehatur, ideoque hos effectus, curatu tam difficiles, ea non facile gignere queat; respondet is, quod ista quidem materies magnam omnino partem per urinam eliminetur, fieri tamen non posse, quin in urethrae, sen-

sim

sim sensimque extensae, cellulas ea se insinuet, lamellas membranarum separet, obstruat, ipsaque hac distentione efficiat, ut vicinae partes pressae suam minuant diametrum, atque nunc scirrhosae vesicae vim frangant, ideoque stranguriae causam sine in-
p. 40. signi callo aut excrescentia carnosa suppeditent. Quod si vero iam fungus adsit in urethra, hanc, quam patitur vesica, distentionem augmentum eius iuuare dicit, eamque tum ipsius ischuriae causam fieri, et, dum eo nunc fortiore nisu urinam proiicere conetur vesica, fungum per breue quidem tempus abinde imminutum, eo tamen citius denuo excrescentem, tantam molem concipere, ut urinae iter omne praeclu-
p. 47. dat. In iis quoque aegris, quos vera gonorrhoea nunquam corripuit, quibus urina tamen difficulter mittitur, dum modo periculo virus hoc recipiendi se aliquando exposuerint, veneream huius difficultatis causam subesse posse, Cl. Auctor contendit; fieri enim potuisse, ut, interna urethrae membrana excoriata tantum, inter eius lamellas, a varicosis inde factis vasculis lymphaticis, lubricando canali alias prospicientibus, ortum fuerit ganglion seu excrescentia cancrosae indolis, augendi voluminis capax. Haud ille tamen negat, ab aliis etiam causis hanc urinae difficultatem produci posse; v. c. ab erosione membranae, qua collum vesicae aut haec ipsa intus obducitur, vel ab inflammatione, siue haec ab acri urina, siue a sabulo, in illius sphincktere retento, prouenerit; qua propter multiplicem bacillorum
p. 52. usum intelligi inde posse existimat. Testatur enim, in eius generis morbis, licet ii quoque veneream causam non habuerint, saepius optimo cum successu sua se adhibuisse bacilla. Hic quoque loci adhuc repetere liceat, quod post praefationis finem iam monuerit, in ea etiam retentione urinae, quam in hominibus caelibem vitam, eamque castam atque integram viuentibus obseruari, et ab humoribus in glan-

glandulis, prope a veſica ſitis, condenſatis oriri dicit, ea optime adhiberi poſſe. In ſecundo porro huius tractationis capite extollit commoda, quae in hoc morborum genere, a quacunque miſſionis urinae difficultate ortorum, prae aliis medendi modis, a variis, contra quos etiam diſputat, auctoribus, LEDRAN, TOLET, DIBON, CANTWEL, DARAN, commendatis, ſuos habere dicit cereos; eos tamen illis, quos DARAN inuenit, haud vehementer eſſe abſimiles, concedere videtur. Inſertam quoque huic, p. 89. quam cum aliorum curandi methodo inſtituit, comparationi relationem legimus chirurgi, in noſocomio militum inualidorum merentis, BOVQVOT, qui in aliquot aegris, iuſſu miniſtri regii comitis D'ARGENSON, bacilla, ab Auctore inuenta, in uſum vocauit, illosque horum ope ſanitati ſe reſtituiſſe data fide declarat, quos alias vulgari modo non niſi bacillo, e plumbo parato, iuuare, prorſus autem curare, e chirurgis nullus potuiſſet. Quae cum ita ſint, laudi p. 123. omnino Cl. Auctori dandum erit, quod ipſe fatetur, eum, quem exoptat, perfectionis gradum bacilla haec nondum attigiſſe; ſcilicet, quod profluuium materiei purulentae inde tollatur, ductibus excretoriis atque veru montano ſuum reſtituatur robur, ipſaque veſica, ſuppurationem experta et calloſa facta, in naturalem ſtatum redigatur. In eo tamen quaerit ſolatium, quod hi, iam enumerati, effectus eos tantum ſequantur morbos, quibus ſua bacilla medeantur; ideoque haec tempeſtiue adhibenda ſuadet. Spem quoque alit, fore, ut inuenta ſua adhuc longius amplificare poſſit. Diffiteri tamen nosmet ipſi quoque non poſſumus, de bacillorum Auctoris effectibus eam ob cauſam nobis ortum fuiſſe dubium, quod ſa- p. 152. nas partes nullo modo ea afficere, aut in talibus ſuppurationem excitare dicat, adeo, ut nullum locum, niſi is iam aliqua labe correptus ſit, ne excoriare ſiue denudare quidem ſoleant; quod nihilo tamen

minus

minus eam de iis praedicet virtutem, qua ulcera impura, excreſcentiae fungoſae, immo fiſtulae eorum ope deſtrui atque repurgari, et, ſuppuratione orta, prorſus curari poſſint. Vis itaque exedendi iis ineſſe debere nobis certe videtur, cum aliquem dolorem eorum uſum ſequi, paulo infra Auctor ipſe concedat, vixque mente concipi queat, ſuppurationem ſine inflammatione, et hanc ſine praegreſſa irritatione, excitari poſſe. Num illa vero vis in nulla parte ſana, in primis in urethra, quae naturaliter eſſe ſolet humida, ideoque remedium ſoluere facile poteſt, mutationem aliquam efficere eamque rodere queat atque debeat, nos quidem affirmare nolumus. Conſtat autem, ut vel in tranſitu moneamus, quam ſuſpenſa manu talia remedia in his morbis ad-
p. 183. hibenda ſint. In tertio denique huius diſſertationis capite modum, quo bacilla ſua contra urethrae mor-
p. 184. bos applicari debeant, proponit Cl. Auctor. Triplicem finem ante oculos habere debere chirurgum ait; nempe quo fluxum materiei purulentae, qui ſuppreſſus erat, reſtituat; dein reliqua gonorrhoeae ſymptomata denuo excitet; tandem vero, quo hunc renouatum fluxum tam diu ſeruet, donec illae partes carnoſae, quae ex iſto ulcere praegreſſo, depe-
p. 186. ditae fuerant, iterum ſint redintegratae: leui autem eo, quem importent bacilla, dolore deterreri illum haud debere, cum eadem morbi nunc facies fiat, quam ante habuerit gonorrhoea: neceſſe vero eſſe, ut aeger idem, ac in illo priore morbo, ſeruet regimen, niſi eadem metuere velit ſymptomata, quae
p. 198. illud neglectum ſequi ſoleant. Vſum autem bacillorum ſuadet primo in gonorrhoea recenti, ut intelligat chirurgus, num quidquam fungoſi in urethra adſit, et in quanam eius parte haereat, an omnis cura abſoluta ſit: morbum enim penitus eſſe ſublatum, ſi materiei purulentae nihil amplius effluat, nec in urinae miſſione, neque ſub erectione penis dolor ſentiatur,

ſentiatur, neque bacillum aliquid peregrini offendat, aut mutationem efficiat: porro tumque praecipue in eo caſu, ubi excreſcentiae carnoſae, in quacunque demum urethrae parte haereant, vel ipſo hoc bacillo vere percipi queant, vel ex filo tenui, bifido atque interrupto, quo exit urina, morbi duratione, pelliculisque membranoſis urinae ſupernatantibus, quod iſtae adſint, iudicari poſſit: tandem vero in quauis alia urinae mittendae difficultate, niſi alia tum grauiora adſint atque urgeant ſymptomata, quae ante eorum uſum vel catheteris, vel cerei ſaltem dilatantis, immiſſionem requirant. Sub finem denique Cl. Auctor promittit, ſi ea, quae huc usque de inuentis ſuis propoſuit, rei peritorum meruerint applauſum, obſeruationes, quas de hocce morborum genere collegit, uti et alias, de aliis caſibus chirurgicis non minus utilibus, ſe eſſe editurum.

p. 202.

p. 205.

p. 225.

XXVI.

Epicriſis critico-apologetica de affectu atrabilario, mirachiali: ſiue de morbis cerebri et mentis, qui extra cerebrum originem ducunt. Per GASPARVM RODRIGVES DE PAYVA. M. D. Romae ap. Venant. Monaldinum, 1751. 4. mai. pl. 6.

Sequens morbi melancholici hiſtoria huic diſſertationi occaſionem dedit: Vir quinquaginta annos natus, temperie calida, robuſtus, ſanguine plenus, in iram pronus, diaetam, praeter nimium forſan fructuum horaeorum ſaccharo conditorum uſum, bene obſeruans, in litteras ſemper incumbens, de cubili raro diſcedere ſolitus, aluo quidem nimis laxa, ſed nec haemorrhoidibus, neque extremitatum ſudoribus, huc usque vexatus, menſe ſeptembre 1748.

p. 1.

leuem horrorem, dexttiqûe brachii atque cruris torporem extemplo ſentit, ſed euacuantium uniuerſalium et iuris ex radicibus aperientibus uſu, curatur. In hieme inſequenti ſat acri dolore in media tibia corripitur, externis internisque remediis obedire neſcio, donec menſe iunio ad aquas thermales, *Vicarello* dictas, profectus harum balneo per duodecim dies cum felici ſucceſſu uteretur. Sub auctumno 1749. depaſcens herpes primo eius collum, dein ſenſim progrediens totum ad inguina usque corpus, mentem autem horrida triſtitia, atraque cogitata infeſtant: interna medicina, et contra herpetem externa e balſamo peruuiano, ſaturnique butyro, tentata quidem, ſed neutiquam eo cum effectu, quin ſequenti anno, veris tempore, morbus iſte redeat, ſimulque crus dextrum pruritu, dein dolore, tandem pareſi, affligatur, atraque bilis denuo caput ita petat, ut aeger animo deiectus tamque anxius, ut diu ne verbum quidem fere proferat, adeoque afflictus euadat, ut inſomniis, ventris inflatibus, trepidatione, memoria laeſa, febre parua, tandemque aſſiduo delirio excrucietur; ſanguine iterum iterumque ad imminuendam eius copiam, phrenitidemque auertendam, absque morbi attenuatione, miſſo. Accedit triſtiſſima ſymptomatum cohors, omnis nimirum victus potusque faſtidium, quod per ſex dies perdurat, odium erga omnes, animus omnia in perditis ac deſperatis habens, effera ira et taciturnitas, donec amici feroci malo vim inferant, eoque hunc miſerum adigant minis, ut eorum monitis indulgeat, uſuque continuato balneorum ex aqua dulci, magnae ſeri lactis copiae cum cichoreo, emulſionumque camphoratarum, eo denique perueniat, ut, herpete pareſique lenitis, alios, qui ad eum accedunt, comiter ſalutare incipiat. En triſtis morbi hiſtoriam! Tum temporis adhuc, cum Cl. Auctor tractatum huncce conſcriberet, vitam triſtem atque melancholicam

licam miſer hic aeger degit. Cauſam totius huius morbi hypochondriaci ſeu mirachialis, a vocabulo *mirach*, quo Arabes denotant abdomen, ſic dicti, in defectu haemorrhoidum, et profundis meditationibus, quibus ex vitae, quae monaſtica fuiſſe nobis certe videtur, inſtituto ſe addixerat aeger, inque nimis copioſa ſpirituum inde facta diſſipatione, et, quod eius eſſe ſolet effectus, in viſcerum, quae alimentorum digeſtioni inſeruiunt, imminuto robore, atque cruditatibus eam ob cauſam ibi accumulatis, ideoque ſimul bile vappida facta, inque acrimonia ex his cauſis in humoribus generata, Cl. Auctor quaerit. Plura dein ex veterum aeque ac recentiorum medicorum ſcriptis undique deſumta documenta atque obſeruationes de atrae bilis ortu, natura atque ſymptomatibus, ſimilibusque morbis, mentem affligentibus, quorum cauſa haeret extra cerebrum, coaceruat, iisque caſum iam enarratum illuſtrat, quibus etiam hanc ex ſuis obſeruationibus immiſcet, quod aliquando vir ſapiens puellae vix viſae vehementi flagrauerit amore, haemorrhoidum autem fluxu per aliquot menſes continuo correptus, illius amoris ne veſtigium quidem ſenſerit. Suam deinde exponit ſententiam de modo, quo hae mentis alienationes a cauſis extra cerebrum exiſtentibus produci queant: Quem enim ad modum a nerui in aliquo organo ab actione externi alicuius obiecti immutata ſuperficie hunc ipſi impreſſum motum ad ſenſorium usque commune, locumue in cerebri medulla ſingularem, cui certae adligatae ſint ideae, libera via propagari, tumque *in anima*, *conſortio ſpirituum animalium in ſenſorio communi inſtructa*, ideas connatas excitari, iisque recte connexis perfectam fieri ratiocinationem; ita et ab aliqua cauſa interna praeter voluntatem, ab irritatione nimirum alicuius nerui, motuque ei impreſſo, qualis ab atra bile, in praecordiis haerente, in paris octaui aut intercoſtalis ner-

p. 5.

p. 9.

p. 20.

uis, diaphragma insuper, cui singularis cum cerebro videatur esse nexus, attingentibus et penetrantibus, fieri possit, ad determinatum illum cerebri locum libere delatis, excitari posse ideas, tali mutationi adligitas, existimat. Omnis autem morbi, in genere considerati, qui atrae bilis nomine venire solet medicis, duplicem esse statum, docet; unum, quando ea generetur in sanguine, dum hic spiritu orbus fieri incipiat, reliquis eius partibus tenaciter inter se unitis; tumque veram dari posse melancholiam cum suis symptomatibus, nempe hac iam aliena facta humorum parte aequabiliter cum sanguine mota; alterum vero, quando succus iste melancholicus in aliqua corporis parte deponatur ibique haereat, id, quod ut plurimum in arteriis coeliacis et mesentericis contingat; huncque igitur alterum *morbum, hypochondriacum* vulgo dictum, *congestionem esse sanguinis crassi, picei, terrestris, salini, oleosi invasis abdominalibus viscerum chylopoeorum:* Humorem autem istum stagnantem atrabilarium, longinquitate victuque in primis minus apto, putrescere, acriorem fieri, causamque nouorum symptomatum suppeditare; ex hac causa Romae ab atra potissimum bile, tum ab aeris vicissitudinibus, tum a vitae genere, orta, subitaneas mortes a vasorum rupturis, internisque aneurysmatibus excitatas, obseruari; huncque statum pro tertio huius morbi gradu, proprie tum atrae bilis nomine insigniendi, a multis haberi; quartum vero eumque pessimum, omnis quoque curationis vim fere prorsus eludentem, illum ab aliis dici, quando humor hic in angustiis vasorum diu inclusus, iamque adustus atque malignus factus, nunc vero in motum actus, sub *bilis atrae turgentis* nomine, seu morbi nigri HIPPOCRATIS in corpore saeuiat, et terribiles funestosque saepissime effectus producat. Quod igitur ad diri huius morbi curationem spectat, in primo statu, qui facilius eam recipit,

p. 23.

p. 25.

p. 27.

p. 28.

pit, diluentia, demulcentia, laxantia, fructus horaeos, olera matura, mollia, iuscula cum radicibus leniter aperientibus cocta, horumque usum diu continuatum, simulque, si sanguis abundet, eius missionem, Cl. Auctor commendat; in altero autem statu ante omnia ad specificam, quae praedominetur, acrimoniam respicere, eamque contrariis aggredi, in primis autem saponaceis, et herbis atque radicibus talem succum continentibus, et tempore veris, sero lactis cum saccharo aut melle; in ipso etiam furore p. 33.
vel larga sanguinis missione, vel opio et camphora, in solito largiore copia data, quandoque etiam mentis mutatione paulo acrioribus tentanda, diu satis uti medicum iubet, usque dum purgari incipiat aeger, quo demum cunque modo illud fiat. Vt hae vero p. 34.
excretiones eo facilius succedant, simplicia tum diluentia, analepticis interpositis, frictiones, tandemque corpore ab inquilinis istis humoribus repurgato, roborantia suadet. Post haec contra HOFFMANp. 36.
NVM nostrum, qui aquas minerales ad viscerum obstructiones reserandas, easque lacti nuptas ad melancholica deliria laudauerat, monet, in eo casu, ubi humor iste corruptus in hypochondriis alioue loco sedem iam fixerit, eas aegro non esse propinandas, iisque potius serum lactis cum succis vegetabilium esse anteferendum; in reliquis autem casibus, ubi atra bilis vel nondum haeserit, vel iam soluta moueri atque eliminari incipiat, eorum usum cum optimi successus spe concedi posse. Caeli quoque mutationem, et frequentem corporis exercitationem, minime simul esse negligendas addit, paucaque subnectit
de differentia, quam inter huncce atque hystericum p. 39.
morbum intercedere, obseruamus. Tractatum hunc, parum quidem noui continentem, omnino tamen utilem, tanta sphalmatum typographicorum copia deturpatum esse, miramur.

XXVII.

A hiſtory of plants by IOHN HILL, M. D. acad. reg. ſcient. Burdig. etc. ſoc. London. printed for Thomas Osborne, 1751. fol. 7 alph. 8 pl. c. fig. aen.

i. e.

Hiſtoria plantarum auctore IO. HILL.

Omnem emetiri velle hiſtoriae naturalis ambitum, difficillimum eſt periculique pleniſſimum iter; tot enim dantur ſcrupuli, tot ſeſe offerunt ubiuis obices, quibus ſeſe expediendis remouendisue unius vix ſuffecerit hominis vita. Nihilo tamen ſecius, cum illum potiſſimum ſibi ſcopum praeſixum habuerit Cl. HILLIVS, inficiandum non eſt, ea illum officio ſuo functum fuiſſe ratione, ut aliquam laudem utique commendationemque fuerit promeritus. Praeter illam nimirum, de qua nunc nobis dicendum eſt, hiſtoriam plantarum, ante aliquot iam annos hiſtoriam foſſilium perſecutus eſt, quam propediem animalium ſequetur hiſtoria, ut itaque totius hiſtoriae naturalis deſcriptionem tria complectantur volumina.* In ſingulis, quae extant, varia noua deprehendi-

* Prodiit hiſtory of Foſſils London 1748 fol. Totius operis ſequens eſt titulus: A general natural hiſtory, or new and accurate deſcriptions of the animals, vegetables and minerals, of the different parts of the world; with their virtues and uſes, as far as hitherto certainly known, in medecine and mechanics: illuſtrated by a general review of the knowledge of the ancients, and the diſcoveries and improvements of later ages in theſe ſtudies, including the hiſtory of the materia medica, pictoria and tinctoria, of the preſent and earlier ages. As alſo obſervations on the neglected properties of many valuable ſubſtances known at preſent; and attempts to diſcover the loſt medi-

hendimus, foſſilium praecipue nouam plane methodum, nominaque generum recenter inuenta. Quippe quae ita comparata eſt, ut vel ſimplicia et non metallica, vel compoſita et non metallica, vel metallica foſſilia ſiſtat, quorum deinde inflammabilitas, facilis in aqua ſolutio, duritiesque ſubdiuiſiones faciat, ſtructura autem regularis et determinatae figurae, vel irregularis, cum ſapore, in ſalibus ſcilicet, ſeries conſtituat, compoſitionis modus in ſtrata, filamenta vel fibras, folia, anguloſam figuram et ſic porro claſſes efficiat, ſuperficies tandem rara, tenera, ex laminis, ſtriis, planis diuerſi ſitus, horizontalis, pyramidalis &c. ordines componat, generumque inferiorum formationi inſeruiat. Ita certe, ut exinde clare pateat, magnum in eruendis notis corporum digerendisque adhibuiſſe Cl. Auctorem ſolertiam, quae aliis quoque, ad diſquirendum ulterius imitandumque propoſita adhuc potuiſſet magis exiſtere fructuoſa, ſi aliorum auctorum de iis, quae deſcribuntur, foſſilibus nomina addere placuiſſet, quibus deſtituti fieri non poteſt, quin in veris ſubiectis indigitatis eruendis aliquantum vacillent. Generibus autem ſubiunxit omnium, quae ipſi ad manus erant, ſpecierum expoſitionem. Hanc tamen in plantarum hiſtoria rationem non ſeruauit, ſed LINNAEI in uniuerſum retinens ſexualem methodum, pauca tantum, et illa quidem, quae imperfecta vocari ſolent, vegetabilia, noua adumbrauit ratione, in primis ex eo, quod neque apud hunc, neque apud alios, qui de iis ſcripſerunt, ſufficientes diſtinctionibus characteres ſe inueniſſe autumaret. Plantas ipſas, quantum fieri potuit, florentes ſe diſquiſiuiſſe ait, et nouas, ut ſcribit, ſpecies detectas,

medicines &c. of former ages, in a ſeries of critical enquiries into the materia medica of the ancient Greeks. With a great number of figures, elegantly engraved.

ad ſua genera reduxit. Specierum vero, prout in foſſilibus factum erat, omnium cognitarum deſcriptiones non addidit, quod ex iis, quae datae ſunt, reliquas facile formari poſſe crederet. In qua certe re cum ipſo non conuenire poſſumus, quod exercitatum admodum ſpecierum genuina diſtinctio, requirat virum, nondum vero confirmato inſuperabiles pariat difficultates, ſua tamen, ut in praefatione aſſerit, methodus ita comparata eſſe debeat, ut ſine ullius libri ope intelligi et ab imperitis etiam generum aeque ac ſpecierum nomina inueniri queant. Illis enim diiudicandum relinquimus, qui plantas quotidie ſectantur, num, praeter generum characteres, magnitudo plantae et diuerſarum eius partium, foliorum deinde forma et color floris ſufficiant. Id quod ex ſpecimine, infra adducendo, adhuc magis pateſcet. Numerus plantarum, quem ad ſedecim millia plerumque referunt, multos ab hoc opere deterret, quare varietatibus, ſpeciebus ſuis adiunctis, ad undecim millia eas reduci poſſe credit, et plures recte quidem, arctioribus adhuc limitibus circumſcribi poſſe, opinatur. Claſſibus deinde figuras partium plantae, nec non integras quasdam plantas addidit, quarum vero omnium delineationes ſaepe, quod dolendum, non adeo elegantes et diſtinctas eſſe obſeruamus, ut nitidiores ab aliis datas
p. 152. fuiſſe recordemur, quod v. c. Kaempfferiae, in claſſe prima, partis ſecundae exhibitae, et illius a LINNAEO in H. Cliffortiano propoſitae, iconem comparanti non poterit eſſe obſcurum. Icones foliorum, quae ſpecierum diſtinctionibus inſeruiunt, ex LINNAEI antea adducto horto repetuntur, claſſium characteres, cum iis, quae ab eodem auctore in ſyſtemate naturae exhibentur, fere conueniunt. Nec typographorum, quod in eius modi operum editione euitari non poteſt, deſunt ſphalmata, miramur autem tum in totius ſyſtematis ſchemate, tum in uberiori

uberiori eius descriptione, tum in indice pro *Feuillea* p. 616. legi *Treuillea*, illamque *Nhandiroleam* PLVMIERII vocari, quae ab eo *Nhandirobae* nomine descripta sit. Nec non in schemate pariter et ipso opere ac in indice *Mesuam* LINNAEI *Mesnam* vocari, illudque nomen in icone plantae, tab. II. exhibita, repeti, cum tamen planta a LINNAEO in honorem MESVES, celebris arabi, nomen acceperit.

De omni autem methodo, quae maximam partem Linnaeana sit, dicere nos non debere, facile intelligimus. Relictis itaque iis, quae cum illius viri mente conueniunt, lectoribus nostris non ingratum tamen futurum esse putamus, si de tribus primis plantarum imperfectarum, a quibus ad perfectas magis transitum facit Auctor, classibus, de submarinis scilicet, fungis muscisque paullo plenius exponamus. Nomina quidem aliorum auctorum retinuit, saepe vero noua condidit, vel ab aliis iam assumta nouis distinxit notis, quae facta ab illo mutatio, licet non videatur in uniuersum probanda esse, aliis tamen eam diiudicandam relinquimus, ne a praefixo nobis nimis recedamus tramite.

Non possumus tamen non, quin moneamus, debere illi, cui eius modi opus, quod uniuersum complectatur plantarum systema, condere animus est, cognita esse ea, quae ab aliis, in eadem scientia illustribus viris fuere proposita. Num vero illa, quae de fungis muscisque in methodica stirpium Heluetiae enumeratione scripserit Ill. HALLERVS, aut neglexerit aut nesciuerit HILLIVS, nostri nunc non est, fusius ut disquiramus. Operam tamen dedimus, ut generibus horum vegetabilium imposita a dicto viro nomina simul adderemus. De DILLENII, qui in eadem plantarum classe nec non in muscis studiose laborauit, meritis nihil nunc addimus, cum eundem hinc inde citatum deprehendamus, immo,

quod muſcos attinet, fere exſcripſiſſe eundem HILLIVM inferius dicenda declarabunt.

Submarinarum itaque plantarum tres ordines, deſumtis a ſubſtantiae naturae diſtinctionibus, conſtituit. *Primus* lapideae duritiei et inflexibilia corpora continet, quorum ſequentia numerantur genera;

p. 2. *Mycedium* a graeco μύκη, fungus, dictum, plerumque fungi marini nomine compellatur et RAIO cerebriformis lapis dicitur. Species huc relatae a

p. 4. figura et gyrorum directione nominantur. *Aſteracea* alterum genus, gyros rotundos, medio loco depreſſiores ſiſtit, ex centro ad peripheriam undiquaque radii, ſtellae ad inſtar, decurrunt, inde autem

p. 6. nomen plantae datum eſt. *Madrepora*, quae ob formam Auctori ad telluris plantas propius accedere videtur, ex trunco plures ramulos diſpergit, poroſos, ex cuiusuis autem pori ambitu lamellae ad centrum decurrunt, ſtellae inſtar. Species a glabra vel ſtriata ſuperficie pororumque magnitudine diſtinguuntur. Corallium ſic dictum album huius generis ſpeciem conſtituit. Illorum, quae deinde ſe-

p. 9. quuntur, generum *Eſcharae*, *Tubulariae*, *Acetabuli*, nomina, ab aliis iam deſcripta et a Cl. Auctore ad-

p. 12. ſumta fuerunt. *Ormus* HILLII eſt *Opuntioides* BOERHAAVII, et *Sertularia* IMPERATI, quorum nomi-

p. 13. na cur reiecerit Auctor, nullam addit rationem. *Corallum*, quod ramoſum quidem, ſed durum, nec poroſum eſt, ſine cortice et nudum aliquando reperiri aſſerit, cui quidem opinioni, illi, qui maris diſquiſiuere fundum, ſtrenue refragantur, * arte tamen facili nudum reddi poſſe concedunt. Praeter ea nigri etiam mentionem facit coralli, illudque veram eius eſſe ſpeciem, ſpeciminaque extare aſſerit. *Coral-*

* In primis hic conf. VITALIANO DONATI ſaggio della ſtoria naturale marina dell' Adriatico. pag. 43. ſeqq. et commentar. noſtrorum Vol. I. pag. 481.

Corallina ex trunco ramoſo, articulatim inter ſe com- p. 15.
poſito et ſibi iuncto conſtat. Suppeditat autem ha-
rum plantarum conſideratio occaſionem, noſtro HIL-
LIO, qno a IVSSIEV primo propoſitam, et a LIN-
NAEO aſſumtam hypotheſin, ac ſi corallia inſecto-
rum ſint domicilia, paullum perluſtret, atque de il-
la ita ſtatuit, ut aliquando, pro ut in terreſtres plan-
tas, ita in marinas inſecta ſe inſerere poſſe concedat,
in uniuerſum autem de omnibus marinis plantis il-
lud valere neget. *Aleyonium*, ultimum huius claſſis p. 17.
genus, ex materia rigida, fibroſa, variae formae,
laxe cohaerente, compreſſilique conflatur.

Secundus harum plantarum *ordo* illas recenſet, quae p. 18.
firmae coriaceae et elaſticae ſunt naturae. Primum
ea inter occupat locum *Campylium*, quod fruticem
refert, calcarea tectum cruſta, cui fructificationes
ſecundum Cl. Auctorem, ſub minorum granulo-
rum, ſuperius apertorum, forma videntur in-
haerere. Complectitur hoc genus ſub ſe cerato-
phyta et titanoceratophyta BOERHAAVII. Ex-
cipit hoc *Spongia*, quae maſſas rudes, elaſticas ta- p. 20.
men, et cauernoſas ſiſtit, quae vero vix plan-
tarum formam habent. *Fucus*, qui ſequitur, folia- p. 21.
ceae formae eſt. Duplicis generis veſiculae in hiſce
continentur foliis, quae fructificationem conſti-
tuunt. Obſeruauit autem Auctor tubercula, pun-
ctorum inſtar, quae veſiculas oblongas tegant, a
LINNAEO pro floribus maribus habitas, et veſicu-
las glabras, rotundas, cauas, filamentis intertextas,
femininos, eodem LINNAEO auctore, ſiſtentes flo-
res. *Strongylium* cum priori fere conuenit, niſi p. 23.
quod ramos habeat rotundae magis figurae.*

Tertius

* Errorem hic, forte typographi incuria commiſſum, notare liceat, in ipſo nimirum opere ſtrongylium ad tertiam claſſem referri et quidem illud ſecundum illius genus nominari, cum tamen in ſchemate methodi,

operi

p. 24. *Tertius* tandem *ordo* teneras et herbaceae fere ſtructurae plantas ſubmarinas offert, ex quibus una et ſola ſui generis *Alga* eſt, quam gramineis, flexibilibusque foliis inſtructam eſſe, nulli latet plantarum indagatori. Haec autem ſubmarinarum plantarum diſpoſitio, licet naturae ſatis videatur conueniens eſſe, in primis cum illa tenebris quaſi tegere haec corpora voluerit, non tamen extra omnem dubitationis aleam poſita eſt, id quod breuem, a nobis factam, recenſionem curatius perluſtranti, per varia manifeſtum erit exempla. Liceat hic pauca tantum adiungere. Nulli nos videre profitemur, ſi unquam *Sertulariam* IMPERATI viderit Cl. Auctor, qua propter eam inter lapideae ſubſtantiae retulerit corpora, cum et conſpectus eam admodum mollem eſſe doceat et ipſe IMPERATVS Hiſt. Nat. Lib. XXVII. c. 12. eius ſubſtantiam velleri conglobato ſimilem eſſe notet, plantamque hanc muſcis adnumeret. Deinde *Acetabuli* ſ. *Androſaces* MATTHIOLI diſquiſitio, diligenter et exacte a VITALIANO data,* nec non ſpecimen, quod ipſi poſſidemus, flexilem eius ſubſtantiam eſſe, unicuique comprobat, ut hic etiam lapidi ſimile quidquam non occurrat. Ex hiſce tamen exemplis de ſtudioſiſſima, quam ſe adhibuiſſe Auctor monet, plantarum diſquiſitione, quaedam deſumi poterunt momenta.

Progredimur ad alteram claſſem, fungos nimirum. In iis vero a variis iamiam auctoribus fuiſſe laboratum, ſupra cum monitum ſit, non eſt, cur denuo notemus. Noſter tamen HILLIVS naturalem creſcendi rationem potiſſimum attendens, ordinum inde diſpoſitionem deſumſit, et quatuor eorum propoſuit, in quibus referendis ita verſabimur, ut ea, quae a ſe obſeruata et noua

operi praemiſſo, ſecundae claſſi iungatur, et ob firmam ſuam ſubſtantiam huc etiam utique pertineat.

* Subſtantiam ſubtilem, flexilem et tubuloſam deſcribit lib. cit. p. 30. vid. et commentar. noſtr. Vol. I. p. 478.

noua esse scribit, adducamus, ubi vero nomina tantum mutauit, praecipuum addemus synonymum. *Primus ordo* eos recenset fungos, qui horizontaliter arboribus adcrescunt: *Agaricus* ipsi vocatur fungus, subtus la- p. 27.
mellatus, qui distinctos masculinos femininosque flores habet, quorum descriptionem exhibet. Est autem id, quod *Agarico fungi* nomine HALLERVS compellat. *Poria* illud fungorum genus est, quod subtus poros p. 28.
tantum accepit, quosque HALLERVS in *Agaricopolyporum* et *Agaricosuillum* distinxit. Huius flores disquisiuit HILLIVS, et utriusque generis, tum femininos tum masculinos obseruauit. Mares quidem nec calice, nec corolla, nec staminibus instructi, ex anthera tantum oblonga, poro affixa, constant, feminae visum fere fugiunt, et semina, oualis formae, solum conspicienda praebent. Cum vero sapientissimus creator et in fungorum familia varietatem adamauerit, datur aliquod genus, quod subtus oblonga teneraque corpuscula ostendit, quae capitulorum instar eminent, et denticulata sunt, duplicis autem, ut praecedens, generis flores habent. Hanc *Odontiam* noster appellat Auctor, a p. 30.
dentibus, quibus capitula sunt instructa. Est *Echinagaricus* HALLERI. Spongiosam magis substantiam, in utraque superficie foraminibus pertusam, *Amphetre-* p. 31.
tia offert, quae commode ad poriam Auctoris potuisset referri, quippe quam HALLERVS *agaricopolypori* speciebus adnumerauerit. Ex lamellis sibi impositis conflatur *Scindalma*, illae vero semicircularis formae sunt, p. 33.
tubulosae, fungosaque materia sibi inuicem iunctae. Solidum magis est *Stereum*, nec lamellatum, nec poro- p. 34.
sum, cuius fructificationes superficiei adhaerent; pertinet autem ad Agaricum, cui ab HALLERO iungitur.

Hi plerumque fungi pediculo destituuntur, et sua substantia aliis accrescunt corporibus; cum vero varii aliorum vegetandi sint modi, *alter ordo* sistit erectos, pediculo et capitibus siue pileis instructos, quorum

sequen-

p. 35. ſequentia numerantur genera: *Lepiota*, cuius pedicuſi ſuperficies inferior in numeroſas diuiſa eſt lamellas, a MICHELIO, HALLERO aliisque plerumque *fungus* dicitur, a graeco λεπὶς lamella nomen traxit, cum *Amanita* vero DILLENII proxime conuenit, voluae enim mutatio et ſeminum adhaeſio paulum a dilleniana deſcriptione in HILLIO diſcrepans, parum attendenda eſſe videtur. Duplicis ſubſtantiae petaſum a natura
p. 38. accepit SOLENIA. Superior enim ſubſtantia fungoſa, inferior vero tubuloſa eſt, et utraque facili a ſe inuicem ſeparari poteſt opera. MICHELIVS *Suillum* vocauit. Totum fere ſolidum, inferius tantum poroſum
p. 40. eſt *Porium*, quod a MICHELIO, et HALLERO Polyporus dicitur. Nomen autem horum virorum eam ob rationem male mutatum eſſe arbitramur, quod in primo iam ordine poria deſcripta fuerit, ut itaque utriusque nominis conuenientia facile poſſit parere
p. 41. confuſionem. *Acontiae* ſuperficies inferior ex paruis formatur ſpiculis, aut ex conicis, acutisque corporibus, unde nomen ipſi datum. MICHELIVS, LINNAEVS aliique *Erinaceum* vocant. Sine his armaturis quaſi creſcit *Leotia*, cuius pileus ſuperius planus, inferius glaberrimus deprehenditur, fructificationes utrinque adhaerentes conſpiciuntur, illasque globulorum inſtar comparatas eſſe, docuere Cl. Auctorem adhibita ſollicite microſcopia. Ex hac vero definitione accurate patet eſſe *Fungoidaſtrum* MICHELII et HALLERI. Alii deinde dantur fungi, quorum externa ſuperficies reticulata eſt, interna vero glabra, quique in reticulo, maſculinos femininosque flores diſpoſitos habent, hos *Phalli* nomine LINNAEVS, *Boleti* TOVRNEFORTIVS inſigniuit, quae vero nomina, cum noſtro non arriderent Auctori, a rete illo, quod graecis δίκτιον dicitur,
p. 44. *Dictyariam* nuncupauit.

Tertium poſt ea *ordinem* conſtituunt fungi, qui ſine pileo ſunt, et erecti vegetant. Cum antecedente igitur dictyaria in hoc ordine proxime conſpirat *Clethria*,

thria, quae *Clathrus* MICHELII eſt, ſiquidem et haec ſubſtantiam habet reticulatam, ſed pileo ſimul coronatur, primis ab initiis volua inuoluta, intus vero caua eſt. Ab hac itaque diſtinguit *Arcyriam*, quae pariter, volua remota, reticulata apparet, ſed non caua eſt, et *Clathroidem*, et *Clathroidaſtrum* MICHELII ſub ſe comprehendit. Nominis ratio a graeco ἄρκυον, quod rete ſignificat, repetenda eſt. *Lycoperdon* oualis formae, aliquando pediculum habet, ſaepe illo deſtituitur, volua operitur, quae plerumque ad maturitatem uſque integra reſtat, in non nullis tamen ſpeciebus eo tempore finditur et in ſpongioſa interiori maſſa duplicis generis flores continet. Qua propter laudando ſane conſilio *Lycoperdoides*, *Lycoperdaſtrum* et *Geaſter* MICHELII huc reducuntur, tot enim diuerſa genera parum a ſe et vegetationis tantum diſcrepante tempore diſtinguuntur. *Carpobolum* tamen MICHELII, quem poſt modum deſcribit, quemque LINNAEVS aliique Lycoperdo iungunt, exinde tanquam ſingulare genus proponit, quod cauum eius corpus ſit, volua quidem inuolutum, cuius vero ſemina cum interiori pulpa, momento temporis citius, magna cum vi expellantur. Se hunc accuratius diſquiſiuiſſe ſcribit Cl. Auctor, duplicisque generis flores in eo detexit. Eodem fere modo cauum cylindraceum aut hemiſphaericum corpus habet *Cyathia*; ſuperiusque tenui obducta eſt membrana, in cauitate eius utriuſque generis flores et ſemina rotunda haerent, quorum unum quodque peculiari adnexum eſt filamento, aſt vi illa non expelluntur, ſed ex maturis factis fungis lente decidunt. *Peziza* DILLENII falſo huc referri monet Cl. Auctor, videtur tamen eadem eſſe planta, quam *Cyathoidis* nomine deſcripſit MICHELIVS. Caua etiam, nec membrana inueſtita eſt *Encaelia*, in cauitate autem nuda continet ſemina oualia, et flores utriuſque quidem generis, locis tamen diſtinctis diſpoſitos. In hoc etiam genere vegetationis ratio variat, mox enim pediculum habet,

p. 46.
p. 47.
p. 49.
p. 53.
p. 55.
p. 56.

habet, mox ſeſſilis planta eſt. *Pezizae* DILLENII et *Fungoidis* MICHELII quaedam ſpecies, nec non *Auricula* vulgo dicta *Iudae* locum hic inuenit. Simplex, oblongum, erectumque corpus ſucculentum et flexile
p. 59. definit *Clauariam* noſtri Auctoris, quam LINNAEVS ad *Coralloidem* TOVRNEFORTII, DILLENIVS ad *Fungoidem* retulit. Flores autem maſculini ſuperiori, feminini inferiori ſuperficiei applicati haerent. Firmitate ſaepe differunt ſpecimina huius plantae, alia teneriora, craſſiora alia inueniuntur. Nec haec craſſities in uniuerſum eadem eſt; alia namque cylindraceam magis formam repraeſentant, alia ab inferiori parte ſuperiorem verſus craſſeſcunt, et in acutum terminantur apicem, maxima licet pars anguſtata ſit inferius, expanſa vero magis in ſuperiori loco. Hoc itaque cum nouum quaſi genus ſit, factum inde eſt, ut aliorum auctorum, ſub ſua genera relatae, ſpecies, quae ante adductis deſtituantur notis, nouo occaſionem
p. 60. praebeant generi. *Meriſma* ea propter, a μερίζειν, quod eſt diuidere, dictum, quodque varie diuaricatos trunculos, ramoſos, erectos ſiſtit, quorumque extremi rami vel terminantur plana et tenera expanſione, vel in adhuc teneriores ramos finiuntur, qui ſucculentae et carnoſae quaſi texturae ſunt, *Coralloidis* TOVRNEFORTII, *Corallofungi* VAILLANTII, *Fungoidis* DILLENII, et *Clauariae* LINNAEI ſpecies complectitur. Durioris et coriaceae, immo, ut Cl. videtur Auctori, lignoſae magis eſt ſubſtantiae *Xylaria*, a
p. 62. MICHELIO *Lichenagaricus* dicta. Superficies eius inaequalis eſt, duplicis autem generis flores patuere HILLIO, maſculini, cuius antherae veris ſuſtinentur filamentis, ſupernae adhaerent ſuperficiei, feminini vero in cellulis conſtituuntur inferius, ex placenta rotunda, gelatinoſaque facti, cui magnus rotundorum ſeminum numerus adhaeret. *Lichenagarici* MICHELII ſpecies autem omnes prorſus inter ſe non conueniunt, quaedam enim tuberoſam et cruſtaceam

magis

magis habent ſubſtantiam, earumque ſuperficies rotundis tecta eſt tuberculis, quae cellulas ſubiectas tegunt. In hiſce cellulis fit fructificatio, duplicis namque generis flores, et ſeiuncti quidem in cellulis haerent. Ea etiam cauſa eſt, quae noſtrum impulerit, quare illas ſub *Aecidii* nomine propoſuerit, p. 64. deſumta denominatione a graeco vocabulo οἰκίδιον, quod cellulam indicat. Singularis ſtructurae eſt *Ceratoſpermum*, a MICHELIO iam ita appellatum, p. 65. tenacis ſcilicet eſt materiei, figurae non conſtantis, corpuſcula vero tenera, lunatae formae producit, quibus fructificatio ineſt, flores, ſexu diſtincti, ſed inter ſe mixti ſunt. Corpuſcula illa a MICHELIO ſemina dicuntur. *Iſaria*, a MICHELIO *Pucciniae* nomine tradita, pediculis oritur vel ſimplicibus vel ramoſis, ex fibris qui conformantur circularibus, cauernoſae axi adhaerentibus, quarum unaquaque in capſulam deſinit, quae fructificationem intus habet, diſtinctos nimirum flores, ſed inter ſe commixtos. Iſariae nomen ab ἴς, fibra deſumtum eſt. Ex meris conflatur veſiculis *Phyſarum*, quae vero vel ſeſſiles p. 68. ſunt vel pediculo ſuſtinentur, intus diſtincti flores iis adhaerent, gelatinoſaque materies. A pediculi praeſentia vel defectu repetendum eſt, quod MICHELIVS in *Mucorem, Lycogalam et Mucilaginem* diſtinxerit, quae tria igitur genera micheliana unico hoc comprehenſa ſiſtit HILLIVS. Tandem ad hunc ordinem pertinet *Monelia*, quae pediculo inſtruitur, cuius ſummitati vero nuda adiunguntur ſemina, in ſeries quasdam diſtributa. *Botrytem* autem et *Aſpergillum Michelii* huc relatum deprehendimus.

Quartus tantem *ordo* fungum ſiſtit, qui ſub terra naſcitur et quem plerique auctores *tuberis* nomine p. 71. cognitum habent. Rotundum eius corpus irregulare et tuberoſum, ſucculentum et ſpongioſum, celluloſumque, intus capſulas continet membranaceas, maſculinis femininisque floribus refertas.

Ad tertiam porro, ut datam expleamus fidem, deuenimus classem, muscos exponentem. In his quoque vegetabilibus Cl. LINNAEVS, pro ratione methodi suae sexualis, fructificationis rationem habendam esse credidit, ast ipse facile obseruauit, incerta et minus adhuc ac in fungis clara esse, quae de illa possint proferri. Quod cum nostro Auctori, muscos descripturo, ante oculum versaretur, in tam numerosa eorum gente ex substantia et habitu plantae distingui eas satis feliciter posse credidit, septemque eorum ordines constituit:

Primus ergo eos exponit muscos, qui tenera habent et flexilia filamenta. Inter hos eminet et pri-
p. 74. mum describitur *Byssus*, qui simplices, capillares, uniformes tamen fibras ostendit. Reiecit Auctor varias, a DILLENIO huc relatas, species. Distingui-
p. 76. tur autem a *Conferua*, quae oblonga et capillaria quidem obtinuit filamenta, sed non uniformia, diuisa potius in cylindricos vel globosos nodos. Qua quidem definitione cum DILLENIO fere conspirat, nisi quod ad veram conferuam nodosa semper requirat filamenta, reliquas eiusdem species ad alia amandans genera.

Alter ordo foliaceae aut gelatinosae materiae muscos sistens, tria sub se habet genera. Nouum est
p. 79. *Phyllona* quod ex tenera materie, folio simili, componitur, pellucidum vero est, et paululum firmum. *Tremellae* DILLENII species, his dictis notis instructas, comprehendit. DILLENIVS enim tremellas vel foliaceas vel tubulosas vel gelatinosas esse dixerat, hinc foliaceae species huc reducuntur,
p. 80. tubulosae post modum *Vluae* nomine describuntur, tubuli vero illi plerumque planiores, aliquando rugosi deprehenduntur. Huc etiam pertinent omnes con-
p. 82. feruae glabrae. Gelatinosae tandem species *Collema*, genus constituunt. Gelatina autem haec vel filamenta, vel membranas, vel indigestam sistit massam.

Fir-

Firmiores et rigidos fere caules natura illis conceſſit muſcis, quos *tertio* in *ordine* diſpoſitos deprehendimus. *Vſnea* componitur ex filamentis denſis quodam modo, quorum ſuperficiei fructificationi analogum quid adiungitur, ſub ſcutellorum et orbiculorum forma. Tres nouas nondum deſcriptas ſpecies huic ſe addidiſſe generi gloriatur Cl. HILLIVS. Firma et flexilis illa ſubſtantia, aliquando in ramos diſtribuitur, fuci inſtar, eius modi ratione comparatos muſcos, quos vulgo *Lichenoides*, et *Lichen* in genere LINNAEVS nominat, *Platyſma* vocare libuit noſtro Auctori. Huius generis eſt pulmonaria officinarum. In foliacea vero eorum expanſione, et quidem in eius marginibus vel ſuperficiebus rotunda naſcuntur corpuſcula, quae ad fructificationem neceſſarias partes ſine dubio fouent. Ramoſa etiam aliorum muſcorum eſt conformatio; quod ſi cauliculi ſubrotundam habeant figuram, *Cladoniae* nomen dant, quae et ramoſa et non ramoſa deprehenditur, aliquando etiam fruticem imitatur. *Coralloides* vocauit DILLENIVS et vulgo ſic dictus muſcus corallinus etiam locum hic inuenit. *Pyxidii* forma propria eſt; cauum ſcilicet repraeſentat calicem, quo ad capiendos utimur potus, inferior tamen caulis ratione ſuae longitudinis ſaepe diſcrepat. Apud LINNAEVM Lichenis pyxidati nomine extat.

p. 85. p. 88. p. 91. p. 94.

Siccam et cruſtaceam, nec non gelatinoſam qui habent ſubſtantiam muſci, a prioribus cum differant, ad *quartum* a Cl. Auctore *ordinem* ablegati fuerunt. Non niſi unum huc usque huius ordinis innotuit genus, *Placodium* ſcilicet, quod ex friabili vel gelatinoſa componitur maſſa, quae in cruſtas planiores, aliquando ſcabras et granulatas, aliquando ad marginem foliaceas fere, formatur. Fructificatio bractearum ſub forma ſuperficiei plantae et quidem

p. 96.

dem centro praecipue adhaeret. Ad Lichenes pariter a LINNAEO fuit relatum.

In his cum fructificationis partes paulum ob scuriores sint, non nulli crediderunt, se euidentius eas reperisse in illis, qui capitulis instruuntur, muscis; recenset itaque *quintus ordo* muscos, quorum capsu-
p. 99. lae operculo teguntur. Ex his *Bryum*, caulem producit folioſum, vel collecta circa radiculam foliola, pediculus inde exiens in summitate operculo seu calyptra tegitur, conica, tenerum continente pollinem seu farinam. Pediculi autem hi, vel ex centro foliorum radicalium originem sumunt, vel ex suprema plantae parte, vel ex ramis; aliquando inferius ad basin peculiari particularique inuolucro destituti, tumidi sunt, quam tamen notam DILLENIVS, cum cuius definitione haec nostri Auctoris fere conspirat, pro constanti habet. Taxat praeter ea LINNAEVM, quod ex capsularum forma, quam cylindricam assumit, species voluerit disponere, cum earum forma ad modum variet. In ipsis autem hisce capsulis vera plantae semina contineri, farinam autem ex antheris, quae pyramidalibus adhaerescunt corpusculis, ex summis capsulis, sub calyptra enatis, prouenire autumat. Ex largo hoc genere pauciores recenset species Cl. Auctor. Subsequuntur post modum *Polytrichum*, *Sphagnum*, *Mnium*, *Fontinalis*, *Hypnum*, de quibus generibus eam nihil adducimus ob rationem, quod definitiones dillenianae sint, et ex copiosis, quas ille recenset, speciebus pauciores tantum desumtae et descriptae, additis tamen, ut de omnibus huc usque recensitis consueuit, iis, in quibus in Anglia inueniuntur, locis.

Sine pediculis et calyptra capsulas producunt alii muſci, quos in *sexto ordine* collocatos esse repe-
p. 111. rimus. *Lycopodium*, cuius capsulae biualues sunt, a
p. 112. *Trispermio*, quod *Lycopoides* vocauerat Cl. DILLENIVS, in eo differt, quod duplicis generis capsulas,

alias

alias puluerulentas, alias seminibus et quidem tribus refertas, producat, unde nomen deriuatur. *Selago* et nomine et descriptione tota dilleniana est. *Polycocca* autem *Selaginoidem* DILLENII exprimit, prout *Opeca*, eadem est planta ac *Porella* DILLENII, qui a foraminibus, seu poris, post matura excussa semina, in capsulis conspicuis, illi hoc dederat nomen. p. 114. p. 116.

Euidens tandem, magis certe ac in praecedentibus, est fructificatio in *septimi ordinis* vegetabilibus, in quo nobis musci occurrunt, ex foliis simili materie compositi, cum manifestis pediculis, fructificationis partes sustinentibus. De his autem praeter generum huc relatorum definitiones et noua, quae condidit Auctor noster, nomina, quaedam adducere animus non est, cum ita fere omnia cum MICHELIO conueniant atque DILLENIO, ut videantur Cl. Auctori pro norma inseruisse, secundum quam suas adornaret descriptiones. *Marchantiam* enim, *Hepaticam* et *Lunulariam* MICHELII, quas DILLENIVS ad *Lichenem* refert, in tria denuo distinguit genera, ita tamen, ut retento priori nomine hepaticam nunc *Conicephalam*, et lunulariam, graeca significatione, *Seleniam* appellet. *Iungermannia*, a MICHELIO stabilita, a nostro HILLIO assumta, *Muscoidem* et *Lichenastrum* DILLENII simul complectitur. Reliqua tandem genera *Anthoceros*, *Riccia* et *Targionia*, quas DILLENIVS licheni iunxit, nec non *Sphaerocarpos*, ut iam diximus, penes MICHELIVM videri possunt. p. 117. p. 118. p. 120.

De generibus huc usque retulimus; postulari a nobis posset, ut de speciebus etiam quaedam adducamus, metuendum autem simul est, ne forte taediosa nostra euadat oratio, cum specierum sine accuratiori descriptione distinctio intelligi non possit, Obseruamus tamen Auctorem, cum plantarum historiam scribere voluerit uniuersalem, qua sola ducti possint alii botanicem addiscere, species tantum pauciores descripsisse, reliquas vero nec disquisiuisse, nec conuenien-

uenientibus diſtinguendi notis nominibusque fuiſſe uſum. Exempli loco bryum ſit, quod genus a DILLENIO aeque ac HALLERO adeo ſtudioſe diſquiſitum eſt, ut plurimae ſpecies diſtinctis ſuis characteribus fuerint inſignitae, nihilo tamen ſecius noſter HILLIVS, deſcriptis quatuor ſpeciebus tandem duodecim adhuc addit, inter quas et eſt *Bryum viride, aggregatum Alpinum.* Num hoc ſolo ex nomine quis illam a reliquis ſufficienter diſtinguere poſſit ſpeciebus, ab aliis diiudicandum erit. Quicquid autem de tribus hiſce claſſibus notauimus, primam totius operis conſtituit partem, ita quidem, ut liber primus ſubmarinas plantas, alter fungos, tertius vero muſcos contineat. Altera deinde pars ex mente LINNAEI ita conſtructa eſt, ut eius plerumque definitiones, tum generum, tum ſpecierum retineat, quam ob rationem, eius cum methodus ſatis iam ſit omnibus, qui veram plantarum indagationem amant, cognitus, otium nobis fit, ut pluribus adducendis momentis ſuperſedeamus.

XXVIII.

LAURENTII HEISTERI Programma, quo ad lectiones ſuas hybernas philiatros inuitat atque ſimul iniquum Lipſienſium iudicium de noua ſuarum inſtitutionum chirurgicarum editione latina amſtelodamenſi in commentariis ſuis nouis de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis relatum retundit atque eneruat. Helmſtadii, 1752. 4. pl. 3.

Commentarios noſtros, hactenus editos, multorum, eorum potiſſimum, quorum iudicium pro norma habemus, applauſum expertos fuiſſe laetamur, et inde ad inchoandum ſecundum volumen, non ſine voluptate,

te, nos accinximus. Nouam illi praefationem adiicere eo minus neceſſarium eſſe duximus, cum nihil in inſtituti noſtri ratione, in principio voluminis primi iam declarata, mutandum lectoribusque noſtris ſignificandum haberemus. Cenſorem equidem nacti ſumus Cl. VOGELIVM*, qui tamen, operis ſui praeconem agens, exempla veluti nobis proponere et leuiſſimos, certe vix euitandos, nec animaduerſione dignos alias, errores graui ſenilique oratione nobis expoſuit. Admirati ſumus ſummam, quam in ſe poſitam habet, confidentiam, ex qua laborem, a nobis coniunctis viribus ſuſceptum, et ſatis difficilem deprehenſum, ſolum ſe tam feliciter perficere gloriatur; penes alios iudicium ſit, de ſuſceptorum laborum praeſtantia; nos unicum tantum illud monemus, neglectis riuulis, ex fontibus haurienda eſſe, quae ad hiſtoriam literariam medicinae recentioris illuſtrandam pertinent, argumenta. Partium deinde ſtudio ductos a vero nos aberrare, diarium gallicum **, nullo tamen exemplo adducto, eo quidem tempore monuit, quo prima tantum pars commentariorum impreſſa fuerat, ſed a nemine poſtea huius erroris accuſati nec rei facti ſumus. Dictas vero leuidenſes nec confirmatas criminationes prorſus forte neglexiſſemus, niſi programma, quod nunc indicamus, noſtram omnino attentionem mereretur, et de illis breuiter inſimul dicendi occaſionem nobis ſubminiſtraſſet. Editionis nimirum ſecundae latinae amſtelodamenſis inſtitutionum chirurgicarum Ill. HEISTERI in noſtris commentariis *** mentionem fecimus, quae quidem, ut ex prima editione iam ſatis cognitae, recenſionem noſtram non exigebant, cum ab anno demum quinquageſimo huius ſeculi noſtras librorum,

* *In der medicinischen Bibliotheck. 1. Band, 10. Stück. a. d. 880. Seite.*

** Iournal des Sçavans. Iuillet. 1752. Edit. Amſtel. pag. 499.

*** Vol. I. Part. II. p. 314.

qui noui ſunt, enumerationes inciperemus, ideoque eorum tantum cauſa, qui priorem editionem iam poſſident, alteram hanc nouam non ita adauctam eſſe indicauimus, ut prior inde editio minus utilis facta fuerit. Aegrius hoc iudicium tulit Vir Illuſtris, et amplo ſermone acrique ſtilo, erroris, calumniae etiam nos conuincere tentauit. Et hanc quoque abſque ratione nobis adſperſam iniquitatis maculam non curaſſemus, niſi ſuſpicaremur, fore non nullos, qui, cum ſenem venerabilem, et ob chirurgica ſua ſcripta inter germanos clarum Virum irritauerimus, nos aliorum meritis quidquam detrahere velle credant. Aequi certe bonique iudices et laudatas et commendatas a nobis fuiſſe ſtatim intelligent inſtitutiones chirurgicas heiſterianas, dum eos, qui priorem latinam illarum editionem poſſident, eam pro minus completo et imperfecto opere habere et hinc forte negligere non debere, monuimus. Qui igitur priorem editionem commendamus et de inſtitutionibus iſtis, quod cognitae iam ſint, vel eſſe debeant, omnibus in uniuerſum artis tironibus, certi confidimus atque urgemus; in noua praeter ea hac editione varias acceſſiones deprehendi ipſi indicamus, non minus etiam nouam laudamus. Sed non ſatis eandem laudaſſe dicimur, cum huic editioni prae altera pretium ſingulare non ſtatuerimus; qnaeſtio vero non eſt, num liber emendus ſit, ſed an noua haec editio illis, qui priorem poſſident, ſumme neceſſaria inueniatur. Inſtitutiones chirurgicas, et heiſterianas quoque in omnium medicinae practicorum manibus eſſe debere cognoſcimus atque monemus, ſed quot ſunt medici, artem ſalutarem facientes, qui eam librorum copiam comparare ſibi poſſunt, ut omnes editiones librorum, utilium alias, quorum tamen pretium ſex et plures thaleros ſuperat, coemere abſque detrimento queant? et his praecipue in praefatione prioris voluminis noſtros commentarios dicauimus, qui a permultis etiam eorum, ut nobis notum

eſt,

eſt, leguntur; in horum quoque gratiam breuiter de noua hac inſtitutionum chirurgicarum editione diximus. In bibliopolam forte iniurii viſi aliquos ipſi emtores ſubduximus, his vero controuerſiis nos non immiſcemus. Quid enim ad nos omnesque medicos pertinet, quod editio inſtitutionum chirurgicarum heiſterianarum veneta * pretium editionis amſtelodamenſis prioris adeo imminuerit, ut bibliopola batauus eam poſt ea viliori pretio vendere, et nouam eamque adauctam editionem ab Auctore efflagitare coactus fuerit? Dies diem omnino docet, et quis eſt, qui ſuis ſcriptis noua non addere poſſit, ſi, ut Ill. HEISTERVS, in excolendis ſtudiis et euoluendis auctorum recentiorum ſcriptis verſatur; nec opus fuiſſet doctiſ- p. 20.
ſimorum collegarum teſtimonium, in rei confirmationem ſignatum, afferre, cum ſatis iam nobis perſuaſum habeamus, Cl. Auctorem ex nouis auctorum ſcriptis multa adhuc ad alteram hanc editionem transferre et tertiam nobis eamque auctam, ſi opus eſt, exhibere poſſe illarum editionem. Illud certe, quod noua quaedam huic editioni acceſſerint, a nobis non negatum, indicatum potius fuit, num vero poſt nouam hanc editionem prior prorſus vileſcat et minus utilis ſit, ita, ut qui libro hoc uti volunt, pretio inſigni et multis moleſto eandem iterum comparare ſibi debeant, ex rationibus, paulo ante adductis, a nobis conſtituendum erat. Cl. Auctor vero, quo bibliopo- p. 10.
lae ſatisfaciat et imminens ipſi damnum auertat, nouas illas additiones in hoc ſuo programmate enumerat. Prima earum ad lithotomiam cum paruo apparatu p. 6.
pertinet, quae non tamen noua, ſed ex ipſa eius diſſertatione ** depromta momenta continet; nouae p. 8.
porro calculum ſecandi methodi FOVBERTI et LECAT in ſcriptis permultis recentiorum iam propoſitae

 fuerunt,

* prodiit. 1740 4to.

** De lithotomiae Celſianae praeſtantia et uſu. Helmſtadii, 1745. 4to.

p. 9. fuerunt; artis denique obſtetriciae aptum in ea compendium tironibus ſe exhibuiſſe aſſerit. Haec vero omnia nulli negauimus, ad lithotomiam potius et artem obſtetriciam in primis ſpectantes acceſſiones in hac noua editione reperiri, ipſi et fideliter quidem in-
p. 10. dicauimus. Ad bibliothecam chirurgicam Ill. Auctoris eiusque augmenta ex eo nos non reſpexiſſe notamus, quod ea in titulo iam iam, numeratis etiam plagulis, a nobis indicata, ad chirurgiae tractationem preſſius non faciat, neque omnis auctorum chirurgicorum cognitio ex unica collectione peti, ſcriptores tandem, qui acceſſerunt, ex fine nobis praefixo et ſupra iam indicato, commemorari omnes a nobis non potuerint. Dum ad reliqua, quae traduntur, huius editionis augmenta accedimus, primo loco occurrit obſeruatio de vulnere arteriae cruralis periculoſiſſimo, ab Auctore ſanato, quam tamen in peculiari diſſertatione * ipſe iam propoſuerat. Quodſi cenſoris, nobis nolentibus etiam, ab Ill. HEISTERO tributum, officium explendi nobis animus fuiſſet, eadem hic loci repetere potuiſſemus, quae medici quidam ex lipſienſibus Ill. Auctori, paulo poſt editam illam diſſertationem Lipſiam ſalutanti, oppoſuerunt, falſi nimirum quidquam ineſſe huic obſeruationi, nec vulnera arteriae adeo inſignis conſolidari poſſe, cum nullum adhuc notum ſit auxilium, quod fungum, neceſſario oriundum,
p. 14. coerceat. Aliae itidem, quae circa vulnera commemorantur, acceſſiones ex variis Auctoris diſſertationi-
p. 15. bus petitae ſunt.** Peculiarem illam brachium amputandi methodum, caſu illuſtratam, eo duce filius eius, cuius praematura fata et nos dolemus, iam olim de-
ſcripſe-

* De arteriae cruralis vulnere periculoſiſſimo feliciter curato. Helmſtadii, 1741. 4. c. fig. aen.

** De oſſium vulneribus rite curandis. 1743. 4to. De vulneribus machinarum igniuomarum 1744. 4. De genuum ſtructura et morbis. 1744. 4. c. fig.

ſcripſerat *. In capite de labiis leporinis, quae ſunt p. 17.
augmenta, ſimiliter ex diſſertatione petita, conſpexi-
mus. ** Nouae hae dictae ac variae acceſſiones, ex
propriis Auctoris diſſertationibus deſumtae, adaugeri
facile potuiſſent, ſi ea, quae ex aliis auctoribus peti-
ta et hinc inde depromta augmenta, notare vellemus,
earum tamen recenſione nec Ill. Auctori nec lectori-
bus noſtris in praeſenti moleſti erimus, in primis cum
operoſus omnino et forte etiam inutilis labor ſit, ad
ductum programmatis ditata illa et amplificata loca
euoluere velle; numeri namque capitum, paginarum
et paragraphorum minus rite citati curioſiorem eorum
inueſtigationem et emendationem inſimul poſtularent.
Simili etiam modo tabularum, aeri inciſarum, corre- p. 18.
ctiones et augmenta, praeter eas icones, quae ad diſſer-
tationes indicatas pertinent, aut ex aliis commentariis
depromtae ſunt, leuidenſes ſaepius eſſe profiteri ite-
rum non dubitamus. Perpenſis itaque his, ab Ill. Au-
ctore in programmate ſuppeditatis, augmentis nouas
obſeruationes, in hac altera editione reperiundas, ha-
bebimus paucas; praeter eas enim, quas Cl. VLHOR-
NIO, chirurgo amſtelodamenſi, qui ſecundam chirur-
giae germanicae editionem in belgicam linguam tranſ-
tulit, oppoſuit ***, obſeruationem de cartilagine oſſis
metatarſi, quod pollicem ſuſtentat, hoc reſecto relicta
et cum cute non coaleſcente, ſed poſt quinque
menſes ſecedente, carne poſt ea cum cute coeun-
te ****, et aliam, de calamo anſerino, qui urina

ſup-

* ELIAE FRIDERICI HEISTERI diſſ. de noua methodo amputandi brachium. Helmſtadii. 1738. 4to. c. fig.

** De labris leporinis. 1744. 4to. c. fig.

*** vid. Inſtit. Chirurgiae Edit. 1750. p. 14. 18. 47. 52. 60. et paſſim.

**** Lib. cit. p. 468. not. d. in Prog. cit. p. 448.

ſuppreſſa laboranti puerperae adaptatus fuit*, ut notabiliores inuenimus. Non itaque erroris conuictos et eo deductos nos habeat Ill. Auctor, ut publice eundem ex promiſſo, in inſtituti ratione dato, reuocare teneamur, ex dictis potius ut cognoſcat, rogamus, nos nec malae fidei homines, nec contemtores aliorum eſſe proteruos. Non unus ex noſtris, ſed omnes alteram hanc cum prima editione contulimus, et plura, quam hic propoſuimus, huius indolis animaduertimus momenta, ita, ut non recenſentem, nec directorem, ſed omnes ſocios diſquiſitionem inſtituiſſe ſciendum ſit. Nec iuuenes, neque in chirurgia hoſpites plane
p. 19. ſumus, inter ea tamen pignore mille nummorum imperialium vel ducatorum, aut teſtimonio prolato, nos vera dixiſſe non confirmamus, ſed ad aliorum potius, penes quos Auctoris aeque ac noſtra ſcripta diſquirendi poteſtas eſt, iudicium prouocamus. Morato praeter ea et ingenuo cuilibet iudici iniurias iſtas et contumelioſa verba aeſtimanda tradimus, quae Cl. Auctori in rei defenſionem adhibere placuit; ea certe vix promeruiſſemus, ſi eo ſtilo ſcripſiſſemus, quo ipſe Cl. Auctor in compendii anatomici praefatione contra VERHEYENVM uſus eſt, vel, ſi dictiones ex Cl. ALBERTI cenſuris** depromſiſſemus. Sed aetati Ill. Auctoris hac in re quidquam tribuimus, ipſa interim dictionis iniquitas nos coegit, ut ad publicum ſcriptum publice reſpondeamus, et ulteriori illius recenſione nos defendamus. Credat de reliquo Ill. HEISTERVS, nos, qui merita germanorum non ſupprimere, ſed magis euehere cupimus, bene partae eius gloriae nihil unquam detracturos, illius potius, ut laborioſiſſimi ſenis, per longam annorum ſeriem acquiſita merita quauis data occaſione publice depraedicaturos eſſe.

Pedem

* Lib. cit. p. 829. not. c. Tab. *XXVI.* (in Prog. Tab. *XXV.*) fig. 11.

** vid. *kleine mediciniſche Schriften. Halle 1721.* 8. p. 495.

Pedem tandem hic figimus, nec in posterum in defendendis nostris recensionibus occupati erimus, aequitate enim nostra id promereri studebimus, ut veritate, licet non nullis inimica, eruditis et aequis insimul hominibus placeamus.

XXIX.

CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG, M. D. Physiol. P. P. O. in Vniuersit. Lipſ. Institutiones Physiologiae, cum praemissa introductione in uniuersam medicinam, praelectionibus academicis accommodatae. Lipsiae ex officina Gleditschiana, 1752. 8. alph. 1. tab. aen. 6.

Ex quo academiae nostrae admoueretur Cl. LVDWIGIVS, eam semper metam ipsi praefixam esse intelligebant omnes, penes quos est iudicandi potestas, ut optimam non tantum addiscendae et faciendae medicinae methodum sedulo auditoribus suis erudiendis adhiberet, sed ipsi etiam salutari arti perpoliendae et illustrandae omnem suam operam addiceret. Indefesso huic adeoque conspicuo nostri medicinam iuuandi studio eam, quam nunc indicamus, debemus laborum academicorum partem, quam non ingratam medicis futuram esse praesentiscimus. Quamvis enim non eo, quo multos, temporibus nostris, abripi videmus, nouaturiendi consilio ducatur Cl. Auctor, ipse potius noui systematis conditoribus annumerari non cupiat: ex eo tamen, has institutiones utiles omnino esse apparet, quod ordinate atque dilucide, et modo tironibus apto, de singulis, quae hominem sanum attinent, conditionibus non tantum in iis dictum sit, sed conueniens etiam satisque firmum illae praebeant fundamentum, cui medica scientia omnis eo commodius superstrui queat, cum praeter praemissam ipsis introductio-

ductionem in uniuerſam medicinam et phyſiologiam, plerumque ſic dictam, ſemioticam etiam et diaeteticam, in quantum nimirum hae dictae doctrinae ad hominem ſanum pertinent, illae complectantur. Quo interim lectores noſtri ipſi de iis iudicare valeant, pro inſtituti noſtri ratione breuem prius ipſius libri deſcriptionem exhibebimus, varias poſtea Cl. Auctoris
p. 1. ſententias hinc inde deſumtas, propoſituri. De introductione, dum primo loco dicendum eſt, illa quatuor
p. 9. capitibus abſoluitur. Eorum primum, breuem atque ſuccinctam artis ſalutaris hiſtoriam, ſecundum vero ex varia artis noſtrae facie erutam, et ad noſtra potiſſimum tempora compoſitam, medicinae definitionem tradit. Quae enim *naturalis* primo et ſimpliciſſima erat medicina, *artificialis* poſt ea facta et magis exculta, noſtris nunc temporibus, pro ſcientia eorum omnium habenda eſt, quae per corpus humanum eue-
p. 12. niunt, h. e. per eius fabricam perfici poſſunt, iuncta ſimul eorum cognitione, quorum applicatorum vi, mutationes in corpore humano producuntur, quo et ſanitatis et morborum ratio inde cognoſcatur et apta remedia, ad praecauendos et abigendos morbos, inueniantur. Ex data hac explicata medicinae definitione, ampliſſimum eſſe medicinae campum intelligitur, quem, niſi apta et congrua via incedamus, emetiri vix poſſumus. Generales itaque regulas dictis ſubnectit Cl. Auctor, quas diſcens aeque ac docens obſeruandas habet, ſi eum, quem aſſequi licet, in ſua ſcientia co-
p. 14. gnitionis gradum acquirere velit. Eundem etiam in finem in tertio capite, res, circa quas medicina verſatur, earumque nexus et diuiſionis ratio, proponuntur. Omnium, quae huc pertinent, doctrinarum deſcriptionem hic dedit noſter, quam iterum expoſuiſſe iuuabit.

Tabula

Tabula ſynoptica medicinae: p. 17.

I. Praemittenda generalia.

1) Studium linguarum

a) veterum: graecae, latinae, arabicae, *b*) recentiorum, gallicae, anglicae, italicae etc.

2) Hiſtoria literaria medicinae

3) Matheſis pura et quaedam partes mixtae.

4) Philoſophia uniuerſa, praecipue logica, metaphyſica, phyſica generalis et ſpecialis.

II. Praemittenda ſpecialia.

1) Hiſtoria naturalis

a) Botanica, *b*) Zoologia, *c*) Mineralogia.

2) Anatome, in primis ſani corporis humani, poſtea aegroti et comparatiua animalium brutorum.

3) Chemia, tum generalis, tum ſpeciatim ad partes medicinae applicata.

4) Cognitio medicamentorum, ſiue materia medica generalis.

a) in ſimplicibus, ſiue materia medica ſtricte ſic dicta, *b*) in praeparatis ſiue pharmacia, *c*) in compoſitis: formulare et diſpenſatorium.

III. Medicina theoretica.

1) Phyſiologia, quae corporis ſani conſiderationem ſiſtit, in

a) actionibus uniuerſalibus, quae in toto corpore obſeruantur, *b*) actionibus particularibus, quae a ſpeciali partium fabrica dependent, *c*) ſignis ſanitatis generalibus et ſpecialibus ſiue ſemiotica corporis ſani, *d*) regulis de conſeruanda ſanitate, ſiue ſic dicta diaetetica.

2) Pathologia, quae aegroti corporis conſiderationem exhibet, et ideo ſiſtit morborum

a) diffe-

a) differentias et eſſentiales et accidentales in noſologia, *b*) cauſas in aetiologia, *c*) effectus, ſiue ſymptomata in ſymptomatologia, *d*) ſigna tum generalia, tum particularia, in ſemiotica corporis aegri.

3) Therapia, quae methodum medendi ſiſtit, in indicatione

a) vitali, ſiue conſeruatoria, *b*) prophylactica ſiue praeſeruatoria, *c*) therapeutica ſiue curatoria, *d*) ſymptomatica ſiue palliatiua.

IV. Medicina practica

1) clinica, quae ad internas curationes reſpicit.

2) chirurgica, quae externis morbis et manu potiſſimum medetur.

3) forenſis, quae caſus medico legales conſiderat.

4) caſuiſtica, ſiue conſultatoria, quae ad diſtinctionem trium praecedentium diſponitur.

p. 19. De ſingulis porro, hic enumeratis, doctrinis in capite quarto ex inſtituto agitur, et in quantum illae ad medicinam faciant, quoque modo et ordine tractari addiſcique debeant, exponitur, ſelecta tandem medicorum librorum ſuppellex illis indicatur, qui copioſo librorum numero carere coguntur. His peractis ad phyſiologiam accedit Cl. Auctor, et cum praeclaros iam viros, noſtris in primis temporibus, in ea perficienda occupatos videret, eo tantum animo primam hanc medicinae theoreticae partem pertractandam ſe ſibi ſumſiſſe ſignificat, quo arctiſſimum illum, qui inter medicas diſciplinas eſt, nexum ſequeretur, et ob eum, qui, in phyſiologicis in primis obſeruatur, auctorum diſſenſum, iſtam, quae ipſi ſeſe probauit, ſententiam, auditoribus ſuis indicaret et illuſtraret prius ac confirmaret, quam aliorum opiniones recenſeret inueſtigaretque, ordine prater ea et nexu doctrinarum expoſito, cultam iis, qua incedere poſſint, viam oſtenderet. Sequenti vero modo diſpoſitam ſuam phyſiologiam

p. 35.

logiam cum partibus ipſi annexis in tabula expreſſam ſiſtit:

Pars I. Phyſiologia generalis p. 42.

Cap. 1) de ſolidis corporis humani.
2) de fluidis corporis humani.
3) de motu humorum per vaſa maiora, ſiue de circulatione ſanguinis.
4) de motu humorum per vaſa minora ſiue de ſecretione.
5) de appoſitione minimarum particularum fluidi ad ſolida, ſiue de nutritione.
6) de fluido ex cerebro ad neruos delato, ſiue fluidi neruei natura.
7) de ſenſu et motu per fluidum nerueum producto, ſpeciatim de motu muſculari.

Pars II. Phyſiologia ſpecialis

Cap. 1) de tranſitu alimentorum per canalem primarum viarum.

Sect. 1) de maſtication et ſaliuae admixtione.
2) de deglutitione.
3) de actione ventriculi in ingeſta.
4) de ſecretione bilis eiusque natura.
5) de ſecretione ſucci pancreatici eiusque natura.
6) de actione duodeni in ingeſta.
7) de actione ilei et ieiuni in ingeſta.
8) de actione inteſtinorum craſſorum et excretione aluina.

Cap. 2) de tranſitu chyli et lymphae ad ſanguinem.

Sect. 1) de reſorptione chyli per villos inteſtinorum.
2) de vaſis lacteis et lymphaticis.
3) de natura chyli eiusque cum ſanguine remixtione.

Cap. 3) de reſpiratione et actionibus cum reſpiratione coniunctis, loquela, tuſſi, ſingultu etc.
4) de excretione cutanea, perſpiratione inſenſibili et ſudore.
5) de ſe et excretione urinae.
6) de ſenſibus externis.

Sect. 1) de tactu,
2) de guſtu,
3) de olfactu,
4) de auditu,
5) de viſu.

Cap. 7) de ſenſibus internis et ſomno.
8) de generationis negotio in ſexu utroque.

Sect. 1) de ſe et excretione ſpermatis.
2) de conceptione, nutritione foetus et partu.
3) de mutatione hominis recens nati.
4) de mammarum fabrica et lacte.

Pars III. Semiotica phyſiologica.

Cap. 1) de ſignis ſanitatis in genere, ex corporis humani mutationibus ſucceſſiuis petitis.
2) de ſignis ſanitatis generalibus, ex corporis humani actionibus petitis.
3) de ſignis ſanitatis ſpecialibus, ſiue de temperamentis.
4) de ſignis ſanitatis ſpecialiſſimis, ſiue de ſanitate partium.

Pars IV. Diaetetica ſiue doctrina de conſeruanda ſanitate.

Cap. 1) de diaetetica in genere.
2) de regulis diaeteticis generalibus.
3) de aere.
4) de cibo.
5) de potu.
6) de motu et quiete.

Cap.

Cap. 7) de somno et vigilia.
8) de excretis et retentis.
9) de animi pathematibus.
10) de regulis diaeteticis specialissimis.

Ad ipsam harum institutionum tractationem quod attinet, corpus equidem nostrum ex solidis et fluidis partibus constare scimus, confinia vero eorum incerta sunt. Quodsi enim solida ita inter se cohaerere dicamus, ut non nisi intensiore vi separari queant, fluida vero illa appellemus, quae solo pondere et guttatim a vicinis partibus recedunt, intensiorem tamen illam dictam, aeque ac alteram, a pondere dependentem vim, definire non possumus, cohaesio certe ex punctis contactus particularum, obscure saltim cognitarum, plenarie exponi nequit, ex eo potissimum, quod fibram, quo magis tendatur, eo minus in contactum niti, inde sequatur, secus ac illud fieri obseruamus. Sola igitur particularum compositio, ad fibrae naturam intelligendam, non sufficit, oblique potius illae sibi inuicem appositae et inter se complicatae, contextui celluloso irregulari similes inde factae, fibram sic dictam simplicem constituunt, utpote quae, ex fibris simplicissimis conflata, ob gluten, quod illis inest et cum solidis minimis concrescit, tenuem hac ratione celluloſam telam format, et firmior magis atque cohaerens euadit. Ipsa praeter ea densitas atque tenacitas fluidorum corporis nostri, dum densitate atque tenacitate aquae maior est, facilem eorum cum solidis, inter quae distributa sunt, coniunctionem admittit. Nunquam enim pura et simplex est aqua, quae ex partibus corporis nostri, quibus copiosa inest, destillatione elicitur, spiritum potius alcalino oleosum, ob admixtas salinas et oleosas particulas aequat ita, ut pro saponaceis, ex communi saponis notione, cum recentiorum plerisque, haberi possint nostri humores, nisi ex ante dicta tenacitate, viscidi magis et glutinosi illi appel-

p. 45.

p. 50.

 landi

p. 62. landi sint. Sanguini certe viscidae et mucido pingues chyli partes peculiarem tenacitatem conciliant et spissitudinem, quae in diuersis subiectis varia, ad temperamentum sic dictum constituendum, concurrit. Ipse hic sanguis non in omnibus arteriis aequali motus celeritate procedit, ex maioribus enim et paucioribus, in minores, copiosiores, et simul sumtos ampliores ramos abit, hinc tardius in iis mouetur quam in prioribus; nec obstat, quod rami minores, ratione trunci, plures fibras, hinc robur auctum, quod motus continuatio requirebat, habeant; nam dum trunco non tantum illi sed cordis etiam vi ob id resistunt, suum inde robur in duplicatam agentem potentiam impendunt. Sanguis ex ultimis arteriis ad venas dimissus non coactus nec densus est, sed ob accessum vasorum lymphaticorum, dilutus satis in iis, ut in ampliores semper canales abit, prope cor deinde collectus, non quidem premendo, sed influendo tantum in relaxatam auriculam recipitur et ventriculi anterioris potentia ad pulmones dimittitur, hinc, iam resolutus, magis adhuc in iis in partes minores diuiditur, quoad partes constitutiuas miscetur, in globulos nouos coit, comprimitur et condensatur, quae cuncta ab arteria pulmonali, respirationis tempore in minimis ramis nunc elongata, nunc iterum distenta eueniunt; sequuntur certe hi dicti effectus, quam cunque etiam pulmonum structuram assumamus. In explicando porro cordis alterno motu, cum ad assumtum fibrarum eius antagonismum aeque minus ac ad compressionem neruorum et circulum sanguinis, contractis ventriculis, in coronariis cordis vasis sufflaminatum, respicere liceat, praeter id, quod inter auriculas et ventriculos, ut caua distincta, diuersis temporibus se contrahentia, quidam antagonismus statui queat, ipse sanguis affluens, pressione sua, vel ob stimulum forte, alternum hunc motum efficere valet. Expansum itaque cor, dum sese contrahit, non in primam tantum arteriae partem, sed

p. 64.

p. 69.

per

per omnem arteriam continuatam in totam ſanguinis columnam, vim ſuam impendit, ab ipſa tamen arteria adiuuatur humorum motus, ita ut vires a corde ſolo pendentes aeſtimari determinarique vix poſſint. Cum porro in omni ſyſtole aequalis ferme ſanguinis quantitas, per aequales periodos et interualla, in arterias abeat, et in iis etiam per ſimilia interualla progrediatur, partiales, hae dictae, arteriae contractiones, in minoribus vaſis parum diſcrepant, humoris tamen copia et impulſus, motus porro inteſtinus et elaſticitas arteriarum diuerſa, pulſuum etiam varietatem arguunt. Progreſſio ſanguinis per arterias, continuam particularum mutationem, ſeu motum inteſtinum producit, quippe qui, cum ſanguis, aequabiliter mixtus, ex corde propellatur, in aortae principio nullus, ob lentiorem demum in decreſcentibus arteriis motum, et inde factam reſolutionem particularum, globulos componentium, et diuerſam earum in ſe inuicem actionem, ut a progreſſiuo diſtinctus, exſurgit. Idem hic inteſtinus p. 79. ſanguinis motus, ſecretionis cauſa eſt, quippe quae in ſola mutatione proportionis conſiſtit, quam particulae, fluida componentes, inter ſe habent, hinc abſque reſolutione humoris, in minimis vaſis fieri nequit. Quamuis enim nulla ſecretio immediate ex ſanguine fiat, aliae potius earum, in minimis et longius productis vaſis celebrentur, aliae contra propius a ſanguineorum vaſorum ſyſtemate contingant, continuata tamen ſunt vaſorum propellentium ſyſtemata, reuchentibus ſimilibus reſpondentia. Secernunt 1) arteriae in minores tantum ramos productae, tenue, perſpirabile, 2) glandulae folliculoſae, mucoſum, lubricans, 3) glandulae conglobatae, nutriens, ſolutum et a craſſioribus humoribus ſeparatum, 4) glandulae conglomeratae, reſoluens, ſaponaceum, 5) viſcera denique glandulis analoga, ſingula iis proprium liquidum. Ex his, ſanguine ſpiſſiores qui inueniuntur ſecreti humores, praeter id, quod et ante et poſt excretionem, in cauo

quodam haerere poſſint, exinde etiam hanc forte conſiſtentiam acquirunt, ſi minimi ex ſanguine extricati globuli, ad oſtium ſecretorii vaſis arctius ſibi iunguntur et craſſiores globulos conſtituunt, vel ſi tenuiores eorundem partes, in venas iterum abeuntes, craſſiores, lente mouendas et ſenſim in ſecretorium vas deducendas particulas relinquunt; quod quidem ex ſpermatis ſecretione omnium optime explicari, intelligique poteſt. Particularum tandem ſelectum in variis organis ſecretoriis fieri, et alimenta et medicamenta, ſpecifice in quosdam humores agentia, et mixtiones eorum, ut appropriatas, ingredientia, varia denique morborum certorum in diuerſis humoribus ſedes, arguunt atque
p. 88. euincunt. In nutritionis negotio, praeter reſtitutionem amiſſi fluidi, ſeu repletionem illam, quam ſpuriam nutritionem appellare poſſemus, alia etiam eſt eius ſpecies, ubi nimirum cellulis minimarum fibrarum, aeque ac illis, quae inter ſolidas fibras ipſas inueniuntur, nutritius ſuccus infunditur, et eas replendo nutrit; primo deinde huic nutritionis momento accedit in canalibus atque membranis, ex ſimplicibus eius modi fibris connatis, adhaeſio fluidae nutrientis moleculae. Sunt vero in hominis adulti minimis canalibus, duplicis generis fibrae, denſiores aliae, corpus firmantes, quae, fluido appulſo valide reſiſtentes, parum nutriuntur et tantum humectantur, aliae contra laxiores, molliores, humores in cellulas ſuas recipientes et ipſis parum reſiſtentes, inde etiam largioris nutrimenti capaces. Nutriens itaque humor, in diagonali canalis linea motus, et deſtructionem ſolidi facit, et, dum partes lentius motas, hinc facile ſubſiſtentes et adhaerentes continet, nutritioni ſolidi minimi inſimul opitulatur, quippe quae tandem, a niſu in mutuam cohaeſionem, ob fibram antea diſtentam iterumque quietam redditam, nunc adaucto, abſoluitur, ita, ut particula appoſita loco ſuo inſideat, et in eodem figatur, expulſa praeter ea aquoſa ſui parte, denſior euadat

et

et ſolideſcat. Diſcrepantes porro corporis partes diuerſas etiam nutrientes moleculas exigunt; euenit illud a diuerſa fluidi in variis partibus mixtione, et a vario niſu atque cohaeſione partium vicinarum in appoſitione, quae, licet a priori non clarius cognoſcantur, ex variis tamen, quae in nutritione obſeruantur phaenomenis, ex ſubiectorum in primis et partium unius eiusdemque corporis varietate, colligi poſſunt. Nutrientem hunc ſuccum nobiliſſimum eſſe, eius, cum ſpiritibus animalibus et ſpermate conuenientia docet; ex parte enim nutritionis materiam corpori ſubducunt, ex altera vim applicationis imminuunt, qui actione negotioſa nimium ſpirituum perdunt, aut ſalaciores ſunt, hinc male etiam nutriuntur. Non omnia denique vaſa delineata in corpore praeexiſtere, nouos potius canales durante vita efformari, praeter multa, quae ſuadent, phaenomena, exinde etiam patet, quod fibrae, per incrementum corporis ſolidae factae, intra ſua ſtrata, nouum ſuccum recipiunt, ex quo, in ſimiles ſenſim fibras coalito, et cum vicinis coniuncto, regularia caua ſeu vaſa, per fluida a corde promota, exſurgunt. In fluidi denique neruei natura aeque ac ſenſus et motus, per illud perficienda, functione declaranda anatomica partium conſideratio, quam alias in phyſiologicis eius modi inſtitutionibus, praeſupponendam omnino eſſe ſtatuit Cl. Auctor, prae reliquis neceſſaria eſt. Apparatus certe et copia ſanguinis ad cerebri viſcus deuenientis et tenerrima organi ſecernentis fabrica, ſubtiliſſimum, quam maxime elaboratum liquidum, copioſe ſatis ſecerni euincunt; medullarium potiſſimum fibrarum directiones et varius poſitus aeque ac neruorum, ex iis productorum, conſideratio in obſeruandis et explicandis phaenomenis notari merentur. Diuiduntur equidem nerui, ut vaſa, in ramos, ita tamen, ut ratione cani, quod in vaſis decreſcit, iis diſſimiles ſint, minores potius medullares faſciculi a maioribus ſeparentur et quoad coniunctiones ramorum,

p. 104.

p. 110.

plexus et ganglia, diuerſum a vaſorum actione mechanismum arguant. Nerueum liquidum, a cerebro ad partes deductum, non nutrit neruos aut eos humectat, nec omnes medullares fibrae neruorum compagem ingrediuntur, multae potius earum, varia directione et nexu per cerebrum decurrunt, hinc peculiarem fluidi in cerebro, diuerſis in fibris ſimul contingentem, motum euincunt. Duplici itaque via neruoſum liquidum procedit, in fibris primo medullaribus cerebri et cerebelli, in protuberantia annulari coniunctis, in neruis deinde per totum corpus diſperſis; haec duo fibrarum neruearum ſyſtemata, in dicta protuberantia concurrunt, motus tamen fluidi ipſe, ex reliquorum humorum circuitu, explicandus non eſt, ſed potius, ut velociſſimus, canalem non tantum continentem, ſed indolem etiam fluidi ipſius pro cauſa agnoſcit. In omni namque neruorum actione celerior fluidi contenti impulſus et tremula propagatio motus, in fibra medullari, per hunc ipſum impulſum, ad tremorem ſuſcipiendum diſpoſita, euenit; non omnes interim neruum componentes fibras ſemper ſimul agere, nec totum neruum tremorem ſuſcipere, ſed medullares tantum et quasdam ex iis, ſaepius ſolas, agere, phaenomena docent. Quamuis porro, liquidi huius impulſus, a cerebro, tanquam a fonte proueniat, dictus tamen hic tremor, excitati ſenſus teſtimonio, ab extremo etiam fibrae initium ducens, ad cerebrum usque propagari poteſt. Fluidum ipſum motum, magna in copia non diſſipatur, ad intendendum augendumque tremorem fibrae temporis quoddam ſpatium requiri, ſenſus et motus, ſucceſſu temporis aucti, fortiorem porro impulſum fluidi in debilioribus fieri, cita eorum defatigatio, fluidum denique ipſum mutationis cuiusdam capax eſſe, a corporis non tantum laboribus, ſed ex animi etiam negotioſa actione oborta defatigatio, euincunt equidem, quamuis nerui et fluidi ipſius natu-
p. 116. ram non explicent. Nerui ut ſenſuum et muſcularis

motus

motus organa, finibus ſuis duplici modo excurrunt, vel enim, mediantibus vaſis et celluloſa tela firmati, in membranas abeunt, ut in retina et labyrinthum inueſtiente molli nerui acuſtici portione, vel arctius inter ſe nexi, papillas ſeu eleuata corpuſcula formant, ut in tribus reliquis ſenſoriis organis videre eſt; ad hanc tamen neruorum diſtributionem, non ita, quam ad obiecta, in effectuum diuerſitate diiudicanda, reſpiciendum eſt. Motu porro incipit omnis ſenſatio, interni ſenſus et operationes mentis, quippe qui, per fibras vario tractu et diuerſimode nexas, in cerebro decurrentes propagatur; omnes praeter ea ſenſorii tremores in protuberantia annulari, tanquam in communi ſenſorio conſpirant, corporeis etiam motibus abinde incipientibus. Ea tandem notanda hic venit motuum differentia, ex qua neruus, ad omnem fibram mollem aduenies, elaſticitatem, quam illa ex nexu particularum habet, influxu ſui fluidi auget, vel quaedam ſaltim peculiaris ſtructurae fibrae, nouum quaſi fluidi impetum experiuntur, et inde ad contractionem ſtimulantur; illum elaſticum, hunc vero vitalem fibrarum motum appellat Noſter, et his duobus muſcularem, ut tertium motus genus, adiungi poſſe opinatur. Membranoſae certe partes, cutis v. c. ligamenta et aliae extenſae, in priſtinum quidem redeunt ſtatum, ſed ob vitale tantum atque elaſticum quod obtinent robur, membranoſi alii canales, ut inteſtina, praeter duplicatas has vires, pulpoſas plus minus rubicundas, etiam diſperſas et diuerſimode ordinatas habent fibras, ob quas, contentis reſiſtunt eaque promouent; ipſae tamen hae fibrae, muſculi nomine non veniunt, illud potius collectis eiusmodi, et propria cellulari tela diſtinctis, in utrisque extremis ſolidioribus partibus annexis fibrarum faſciculis plerumque tribuitur. Arterià, vena et neruus minima atque coniuncta, in viſceribus glomerulos, in longitudinem vero decurrentia, fibram ultimam muſcula-

rem conſtituunt, quamuis ipſa coniunctionis ratio in iis aeque ac fluidi neruei, quod cum fabrica fibrae ſimul conſiderandum venit, natura, nobis adhuc incognita ſit, nec ex phaenomenis, in motu muſculari obſeruandis, certi quicquam colligi poſſit. Inter muſculares denique canalibus intextas fibras, nullus antagonismus ſtatuendus eſt; fluida enim, dum canales diſtendunt, fibras ad contractionem, ipſis velut propriam ac naturalem incitant, aliter ac illud in muſculis proprie ſic dictis euenire videmus, quippe qui varii, diuerſimode partem annexam mouent, pro vario ipſius liquidi neruoſi in hunc illumue muſculum influxu. Ad ſymmetriam denique, magis quam ad mechanices vectis regulas, compoſitum corpus, cum ſaepe proxime ad hypomochlion et angulum etiam acutum inſerti ſint muſculi, inſignem inſtrumenti mouentis potentiam et validam liquidi influentis vim comprobant.

Ex priori, quae generalis eſt, phyſiologia, exempla propoſuimus; plures adhuc ex altera, et ſpecialiori illa parte, depromi poſſent ſententiae, quae actiones corporis noſtri, optima eaque non nunquam ab aliorum opinione recedente methodo, demonſtratas ſiſtunt. Praeter id vero, quod multa eorum, quae dici proponique deberent, huc usque dictis, ut fundamentis, innitantur, limites etiam in enumerando ſeruandos eſſe, inſtituti ratio monet. De ſemiotica interim phyſiologica, ut tertia eaque non contemnenda, harum inſtitutionum parte, quaedam ſaltim, in genere tantum, in ſynopticae tabulae explicationem addere
p. 232. liceat. Phaenomena in phyſiologica hominis conſideratione notata, non tantum effectus, ſed cauſas etiam ſanitatis produnt, ita, ut ex actionum, per varia vitae iam actae ſtadia, nota conditione, ſigna anamniſtica, ex iis vero, quatenus nunc comparata ſunt perſpectis, diagnoſtica, ex utriusque vero ſimul ſumtis, prognoſtica ſanitatis ſigna petere, et quamdiu illa perduratura ſit, praeſagire queamus. Non unicum tamen et

ſolum

ſolum illud, ob inſignem actionum vitae varietatem, eſt ſanitatis ſignum, quod pathognomonico, in morborum diſquiſitione occurrenti, aequi parari poſſit; conſenſus namque et conſpiratio omnium actionum corporis ſani ex unico et generaliori quodam phaenomeno non poteſt intelligi. Nec indicato hoc modo, ſanitatis ſigna pertractare conuenit, ex eo, quod reiteratam, dictorum in phyſiologia et inutilem inde ac taedioſam tractationem ille exigat, rectius potius atque fructuoſius longe ea, ut medico ſcitu adeo neceſſaria, in quatuor capita, tanquam in claſſes diſpoſita, recenſeri poſſunt. Horum primum, quod ſigna ſanitatis in p. 234.
genere, ex ſucceſſiuis corporis mutationibus petita, continet, mutationes non tantum a conceptu et natiuitate, ad decrepitam usque aetatem homini ſano ſolennes, ſed generales etiam ſingulis hiſce vitae ſtadiis conuenientes, victus viuendique rationes, ex eo complectitur, quod illae ut cauſae aeque ac ſigna ſanitatis conſiderari poſſunt. Sic iuuenile corpus, nimio in longitudine incremento conſpicuum atque procerum, aut ſuccis praeter modum repletum, priori in caſu ſolida diſtenta, fluida vero vel parcius, vel laxe tantum iisdem appoſita, altero vero in ſtatu humores non rite praeparatos, et in morboſas mixtiones transeuntes, hinc corpora ad diuturnos aeque ac acutos morbos diſpoſita arguit. Caput ſecundum ex actionibus cor- p. 241.
poris humani petita ſigna ſanitatis tradit generalia. Non ſolum vero actionum integritas et promtum earum exercitium, ſed duratio quoque atque conſtantia notanda veniunt, quippe quae praeſentis aeque ac praeteritae atque futurae ſanitatis ſigna praebent. Ad omnes praeter ea corporis functiones et mirabilem earundem nexum atque conſenſum eo maiori iure reſpiciendum hic eſt, quo magis vitales, ut praecipuae, reliquas omnes mutant atque determinant. De circulatione itaque ſanguinis, ex pulſu cognoſcenda, et reſpiratione, digeſtione deinde et ſecretionibus variis,

de

de actionum denique vitalium vigore, ut ſignis ſanitatis, hic refertur, et illa tandem iis ſubiunguntur, quae ab externo corporis habitu deſumi poſſunt, appetitum etiam venereum ſponte, in adulta aetate obſeruatum, ita ut omne, quod homines ex rerum naturalium uſu percipere ſolent, oblectamentum, pro
p. 246. ſanitatis ſigno habendum eſſe, notatur. Omnia tamen huc usque indicata ſanitatis ſigna, per ea determinantur, quae ſanitatem unicuique propriam, ſeu temperamentum indicantia, in tertio capite enumeranda veniunt. Temperamentum vero, varia illa eſt diuerſorum corporum, quoad partes componentes, diſpoſitio, ex qua proportio fluidorum et ſolidorum, ratione copiae, roboris et mixtionis, in diuerſis ſubiectis inſigniter diſcrepat et per ſigna externa dignoſci poteſt. Propria haec unicuique ſolidorum ad fluida relatio, ſi ad ſumma quaedam capita reducenda eſt, quatuor veterum temperamenta, quoad nomina ſaltim, retineri poſſunt; eorum enim, quem huic doctrinae adhibuerunt, labor inanis non fuit, per ſubtiliorem tantum diuiſionem et ſedulum minus in obſeruando ſtudium, moralem tandem, neglectis corporis conditionibus, minus rite declaratam hominis naturam, corruptus magis et inutilis redditus. Fluida itaque ſpiſſa et lenteſcentia, ſolida laxiora exſuperantia, phlegmaticum, fluida contra tenuiora et mobiliora, laxiora ſolida exſuperantia, ſanguineum, ſolida deinde rigidiora, tenuiores et mobiles humores, quoad copiam excedentia, cholericum, rigidiora denique eadem, fluida ſpiſſiora et immobilia exſuperantia, melancholicum ſic dictum temperamentum conſtituunt, et quoad cauſas, ſingula ſigna, effectus et proprias affectiones, deſcripta hic leguntur, cum cautione tamen in ſani, et magis adhuc in aegroti corporis disquiſitione determinanda et probe prius ab idioſyncraſiae conſuetudinis educationisque effectibus, poſteriori vero in caſu ab ipſis, per morbum corpori inductis, mutationibus diſcernenda ſunt.

sunt. Cum porro haud raro de partis cuiusdam corporis nostri, viscerum potissimum ac organorum sanitate, quaestio moueatur medentibus, specialissima etiam, quae sanitatem partium produnt, tradenda sunt signa. Et haec quidem praeter id, quod ex uniuersali functionum corporis integritate, earumque consensu colligi quodam modo possint, ex cognita tamen partium anatome, earumque agendi modo petenda sunt. Quaedam tantum huius rei exempla tradit Cl. Auctor, dum de cerebri, pulmonum, cordis, ventriculi ac intestinorum, hepatis tandem et organi visus integritate et graduali partialis huius sanitatis differentia, sermonem instituit, et normam inde proponit, ad quam medicus, reliquarum etiam partium sanitatem et naturalem secretorum humorum miscelam et constitntionem, si opus est, exigere potest. p. 256.

Tacemus reliquas, in parte quarta exhibitas, salutares diaetae, ad hominem sanum accommodatas, regulas, de adiectis his institutionibus figuris, id tantum monentes, quod priores quatuor earum tabulae, fibrae exortum, vasorumque nexum, variam diametrum et continuationes illustrent, quinta vero, praeter nutritionem minimi canalis, et peculiarem fluidorum, sanguine spissiorum, ibi expressam, supra vero a nobis iam indiçatam, secretionis rationem, una cum sextae tabulae figura ad organi visus declarationem pertineat. p. 260.

XXX.

XXX.

IOANNIS PHILIPPI BVRGGRAVII, D. de aere aquis et locis urbis Francofurtanae ad Moenum commentatio, accedit diſquiſitio de origine et indole animalculorum ſpermaticorum. Francofurti ad Moenum ſumtibus Io. Beni. Andreae, 1751. 8. 13. pl. ſine praefatione.

Quod olim Hippocrates iam dederat ſapientiſſimum conſilium, ut medici, ad peregrina accedentes loca, cognita ſibi reddant eorum ſitum, ventorum, aquarum, morumque, ibi degentium hominum, conditiones, id Francofurti medicinam facturis ſaluberrimum eſſe, bene perſpiciens Cl. Auctor, hanc cum erudito communicauit orbi commentationem. Illud que ita executus eſt conſilium, ut aliis exempli proponi poſſit loco. Licet enim in conſcribendo hoc libello Cl. Auctoris haec non fuerit animi intentio, quippe quem, petitis FRANC. RONCALLI PAROLINI, Europae medicinam meditanti et edenti, ſatisfacturus compoſuerat, et nimis feſtinanter prodeunte hoc libro RONCALLI, ſepoſuerat, poſt ea tamen ex tenebris eum reuocauit, non inutilem, quod ipſi ſpondemus, ſe ſuſcepturum eſſe credens operam. Ita vero hoſce diſpoſuit labores, ut tribus in ſectionibus et phyſica et phyſiologica et pathologico therapeutica exponeret momenta, de quibus ſingulis praecipua ſi adduxerimus argumenta, non ingratum eſſe ſperamus lectoribus, cum et illa, quae uni tantum loco videri poſſent ſingularia et penes alios ſua deſtitui utilitate, ſaepe tamen communem praeſtare poſſint uſum.

Sectio itaque *prima urbis francofurtanae, tum et aeris, aquarum et locorum eiusdem conſtitutionem naturalem, nec non victus et vitae incolarum rationem* declarat.

clarat. Deſcriptis autem iis, quae ad ſitum urbis, diuiſionem magnitudinemque eius ſpectant, ſubterraneas urbis cryptas, arte exſtructas, perpetuo aquae affluxu munditiem iis conciliari docet. Accliues praeter ea colles, ſyluaeque ita defendunt hanc urbem, ut frigidis ſiccisque magis, quam calidis et humidis pateat ventis, qui deinde per longum etiam ſpatium nulla inſalubria attingunt loca. Ager francofurtanus, vel per ſe, vel arte ita fertilis eſt, ut ſuis aliis quoque uberrime inſeruire queat prouentibus. Culinares enim, quas vocant, plantae elegantia ſuauitateque alias fere ſuperant. Ipſius autem urbis ſolum, ſub humo ruſeſcentem arenam, lutum poſt hunc coeruleum, vel ex coeruleo nigreſcens, vel etiam cruſtam ſaxoſo ſpathoſam, ſabulum deinde, et denuo lutum grauis odoris exhibet. Haec dicta ſtrata ſe inuicem excipiunt ad puteorum effoſſorum profunditatem, quorum et magnus numerus eſt, et aquarum, inde ſcaturientium, copia, praeter quas et fontes ſufficientem ſuppeditant quantitatem pluuiae, quarum aquas in varios uſus colligunt incolae. Duriuſculae namque aquae ſunt et frigidae, limpidae tamen et inſipidae, quarum qualitatum notitiam experientiae, a Cl. Auctore adductae, reddunt. Puteales lapideas, fluuiales calcarias in ſe habent particulas, et hae poſteriores quidem ex centum unciis quatuordecim calcareae terrae grana exhibent, quae cauſa ſimul eſt, quod ad lauanda lintea, legumina aliaque coquenda pluuialem praeferant incolae aquam. Sunt et aliae hic loci aquae, medicatae dicendae, ex quibus, a moeno procul in occidentali urbis regione ſitus puteus, *Faulpump*, notandus eſt, qui limpidam et coeruleſcentem aquam fundit, putridum vero odorem exhalat, volatilem tamen, nec diu perſiſtentem. Ex centum pariter unciis, quinquaginta duo grana magmatis terreo ſalini extraxit Cl. Auctor, ex quo et ſal communi admodum ſimile, et calcaream obtinuit terram. Cum hoc conuenit alius, in agro

p. 5.

p. 8.

p. 15.

p. 17.

pro-

profiliens fons, vulgo ſcabioſorum dictus, cuius contenta, ſollicitis ab Auctore inſtitutis tentaminibus explorata, hic adducuntur, et illum de ſale marino multum participare teſtantur. Putat autem Cl. BVRGGRAVIVS, ſulphureas horum fontium ſalinasque particulas vegetabilibus conciliare bonam indolem, vinoque colorem. Praeter has thermae ſodenſes locum hic inueniunt, quae ſcilicet tribus ab urbe horis proueniunt, fugaci acore praeditae, tenuemque ſubpin-
p. 22. guem bolarem emittentes cremorem. Ab aquarum conſideratione ad aerem ſe conuertit Cl. Auctor. Hunc a nociuis liberum eſſe exhalationibus ex iis, quae de ventis ſupra diximus, iam intelligitur, quippe qui temperatum eum ſeruant, ſiccitatem vero praeter ea ſolet tranſitus per moenum, in continuo motu verſantem, emendare, ſi nimirum ſicci per ſe venti ſpirant, quibus has tranſire vias neceſſe eſt. Hanc a natura conceſſam ſalubritatem magis adhuc promouet victus
p. 28. huius urbis incolarum ratio. Plantarum, quae adeo laute hic creſcunt, eſu maximopere delectantur, quem calculoſorum podagricorumque paucitatis cauſam eſſe coniicit Cl. Auctor, LOBBII vero propriisque experi-
p. 30. mentis confirmat. Non tamen deeſt animalis victus, piſcium in primis magna copia. Inter potulenta aqua, excepto plebe, rarius utuntur, abutuntur vero calidis, qui peruerſus nunc fere communis fieri ſolet mos, potuum generibus. Non reticendum autem eſt, plerorumque incolarum vitam eſſe actuoſam. Incolas quod attinet, mediocria, rarius procera habent corpora, macilenta plerumque, coloris ſubfuſci, oculis
p. 38. variis, vix atris inſtructa. Ex capillis ſubfuſcis, raro ruffis, rariſſime atris, quos francofurtanis datos eſſe conſpicimus, ſignum bene temperatorum humorum deſumendum eſſe, Auctoris eſt opinio, non ſine limitatione aſſumenda. Id, quod ipſe noſter concedit BVRGGRAVIVS, adductis ſanguinis, ex vena ſecta
p. 40. fluentis, explorationibus, ita concludens: *forſan horum*

rum colorum rationes in diuerſa ſyſtematis cholipoeiſeos fabrica et in diuerſa inde nata bilis craſi haerent. Animis francofurtani ſunt ingenui, et ſcientiis tractandis apti. Morbis etiam non vexantur endemiis, nec niſi iis, qui et aetatibus proprii ſunt et ab aliis rebus non naturalibus pendent, raro tamen ſcirrhos, cancrosque ſpontaneos, hydropes, calculos, podagras, febresque malignas obſeruari monet Auctor. Ex ſollicite porro collectis demortuorum per dimidium ſeculum indicibus, vernali tempore plurima elata fuiſſe funera conſtitit, quod HIPPOCRATIS effato, huic contrario ſententiae, non reſpondet, quantum autem cum eo conciliari poſſit in fine huius ſectionis a Cl. Auctore docte probatur. p. 40.

In *ſectione ſecunda*, *qualia francofurtanis corpora, urbis, tum et aeris, aquarum et locorum ibidem conſtitutio naturalis formet*, diſquiritur. Ex aeris, aquarumque, ſuperius adducta indole nunc etiam corporum francofurtanorum conditiones deducendae ſunt. Haec autem a frigidis ſiccisque denſantur ventis, hinc bene perſpirant, ſalubribus praeter ea utuntur cibis, et aquis, duris licet frigidisque, ut noxias neutiquam contemnendis. Inferior vero venter hanc ob cauſam ſtringitur obſtipaturque, ſuperioris ventris ſecretionibus fluidioribus exiſtentibus; nec non bile magis quam pituita abundant incolae, quod etiam ex defectu illius, quae in narium cauitate alias ſecerni ſolet, clarum eſt Auctori. Quam ſiccitatem optime in febribus putridis corrigi poſſe idem cognouit, ſi tepida in nares fuerit ſaepius attracta. Interim et ratio in hiſce latet cauſis, quam propter francofurtani longaeuam haud raro attingant vitam, id quod demortuorum ſatis diſtincte demonſtrant indices, de quibus non ſolum, ſed de natis etiam, eorumque numero poſt ea refert. Incolarum vero numerum praeter ea ex domorum copia ſimul diiudicat, nec non de animorum qualitatibus, ſupra breuiter indicatis, fuſius diſpicit. p. 48. p. 53. p. 55.

Cum vero et optima quaeuis, certis ſub conditionibus, poſſint mala euadere, bonae hae et ſalutares, francofurtanis a natura conceſſae, conditiones aliquando
p. 70. noxam inducunt, ex quo factum eſt, ut *tertia ſectione* agat Cl. Auctor, *de incommodis, quae aer, aqua et potus francofurtanis adſerunt, et de modo illis medendi.* In genere aere denſantur fluida, intendendo ſolidorum in illa actionem; augentur hinc cruditates. His expoſitis, de ſexu ſequiori in ſpecie et infantibus agit. Haemorrhagiae narium et haemoptyſes inde haud infrequentes ſunt, quorum morborum occaſionales cauſae intempeſtiuus iuuenum nicotianae uſus et praematura venus ſunt. Contra quos incongruas ſanguinis emiſſiones, praeter venae ſectionem et ene-
p. 75. mata, recentes herbas, cum lacte et conſerua roſarum deſtillatas, ſibi eximium praeſtitiſſe uſum fatetur. Vitanda autem eſſe docet adſtringentia, et aſparagorum, quibus delectantur, uſum, quod ſale nitroſo illos abundare arguat, quod malum hocce recrudeſcere facit. Nec raro ſanguis obſtructiones parit, inflammationesque, multos producentes morbos, quorum generalem curationis methodum proponit Cl. BVRGGRAVIVS. In ophthalmiis, hiſce ex cauſis obortis, ſi iam diſcuſſae illae fuerint, conducit aſellorum viuo-
p. 88. rum, in mortario contuſorum, aſſumtio. De his autem reliquisque morbis ita differit Auctor, ut naturam eorum et methodum medendi ſtudioſe explicet, de quibus tamen omnibus fuſius dicere nobis non licet. Pauca vero adhuc et ſingularia nobis viſa, prae-
p. 101. termittere non poſſumus. In febrium itaque curatione corticis peruuiani, rite uſurpati, magnam eſſe efficaciam, quicquid aliis videatur, recte putat. Viſcerum deinde abdominalium labes ſaepe in viſcido, ibidem aggregato et haerente liquido conſiſtit, quod gummatum ferulaceorum vario uſu ſoluit et expellere
p. 110. tentat. De hiſce vero gummatibus id praecipue notat, large per diem ſumta, praeſcribit enim ad duas et

ſemiſſem

ſemiſſem et ad tres drachmas, viſum afficere, obſcurare paululum, ſed breuiori temporis ſpatio hoſce denuo diſparere effectus. In epilepſiarum curatione oleum animale DIPPELII Noſtro etiam ſeſe comprobauit, quod vero non ſuper cineres aut cretam, ſed per ſe aut ex capite mortuo ut deſtilletur, iubet. In generationis negotio notandum, Francofurti plures maſculos, quam feminas procreari, ſaxenhauſenorum tamen pueri francofurtanorum numerum adhuc exſuperant, quod ex duriori eorum vitae genere deducendum eſſe autumat, et Iſraelitarum, ex ſacro codice repetitis exemplis illuſtrat. Poſt partum Francofurti in communi fere uſu eſt decoctum, cuius virtutes in pellendis lochiis conſpici experientia demonſtrauit Cl. Auctori, qui illud laudat. Paratur autem ex ſeminis cicerum rubrorum et cornu cerui partibus aequalibus unciis tribus, radicis graminis uncia una cum ſemiſſe, floribus quatuor cordialibus ana uncia ſemiſſe, quae cum aqua ſimplici decocta, filtrantur et potantur. Durities aquarum, ſupra expoſita, in puerperis etiam lactis ſecretionem impedit, quae et conuenienti victu reſtituitur et ſequenti in primis puluere, ex puluere ſtomachico BIRCKMANNI, vel ſimili, cum lactis lunae et ſeminum aniſi, foeniculi et nigellae, pauca quantitate admixtis, compoſito feliciter adaugetur. Inter infantum morbos rhachitis haud rara eſt, in adultis tamen, poſt quadrageſimum et quinquageſimum demum annum eundem acceſſiſſe morbum obſeruauit Cl. Auctor. De hiſce igitur pertractatis laboribus plura hic a nobis exponi non debere eam iudicamus ob rationem, quod ob ingens in artem noſtram emolumentum optemus, ut unus quisque, in ſua patria vel peregrino medicinam faciens loco, illamque pertractans comparationem inſtituat, differentias notet, utriusque loci et illis ſuam in iuuando accommodet operam.

p. 119.
p. 127.
p. 135.
p. 136.
p. 137.
p. 141.

Additam vero, *de origine et indole animalculorum ſpermaticorum*, diſquiſitionem, nouam de his proponens theoriam, quantum ipſius rei dignitas permittit, adhuc perluſtrabimus. Refutatis prius aliorum de animalculis ſpermaticis opinionibus, ſuam explicat
p. 150. Cl. Auctor ſententiam, per teſtium fabricam ita efformari animalcula ſeminalia, prout puluis prolificus ſolet in vegetabilibus praeparari, non plus autem de animali continere, ac puluis ille de planta. Cum vero hac in re cum vegetabilium impraegnatione quaedam ſit conuenientia, de antherarum puluere, prius ad ipſius animalis conſiderationem quam accedit ea, quae vel nudo vel armato deteguntur oculo, adducit diiudicatque Cl. Auctor. Praetermiſſis autem iis, quae de incubatione totoque poſt impraegnationem in ouulo apparatu monentur, ea tantum notamus momenta,
p. 156. quae in embryonibus tenuioribus, ſex vel plurium ſeptimanarum, abortu reiectis, ad confirmandam ſuam ſententiam obſeruauit Noſter. In iis ſcilicet deprehendit partes ruditer tantum efformatas fuiſſe, nec perfectas, ſenſim vero magis ex ſe ipſis prodiiſſe: quippe cum et artus primo plane non, deinde vero tuberculorum inſtar apparuerint. In alio etiam exemplo, ſollicite diſſecto, tum externarum quarundam partium, tum internorum viſcerum rudimenta tan-
p. 159. tum, vel nulla eorum inuenit veſtigia. Ex quo conſequitur, ut animalculum ſpermaticum germen futuri ſit foetus, cuius partes appulſu demum humorum, in homine poſt moram aliquam in utero, perficiuntur.
p. 161. Praecipue vero principia ſpinalis medullae et cerebri continet. In origine igitur eius modi animalculorum ad teſticulos nobis reſpiciendum eſt, quorum in fabrica ſe deprehendiſſe viſus eſt Auctor omne id, quod ad formanda eadem pertinet. Diſſecuit autem huius rei cognoſcendae cauſa teſtes taurinos, eosque tam ſtudioſe, ut in eorum fabrica noua quaedam detexerit,
p. 162. notatu maxime digna. Eſt enim in teſticulis etiam cuiusuis

iusuis animalis ſingulare quid, prout in antherarum puluere plantarum, illudque in vaſorum diſtributione per tunicam teſticulorum albugineam primo diſquirendum eſt loco. Quam ob rem vaſa repleuit terebinthina cinnabari tenuiſſima tincta, ultimo tandem loco ceram ſuperiniecit liquefactam, ſeuo hircino et oleo terebinthinae ſubactam cinnabarique coloratam. Licet autem ſubtilis haec maſſa fuerit, ipſa tamen teſtium ſubſtantiae vaſa ingreſſa non eſt, veſtigia vero eius in corpore conſpiciebantur pyramidali. Albuginea horum teſticulorum tunica ſingularem exhibebat fabricam, in p. 165. duplicem ſiquidem findebatur lamellam, alteram exteriorem denſam, ſpiſſam et elaſticam, alteram internam vaſorum ramificationes ſuſcipientem. Hanc ultimam intus denſa alia et pellucida cingebat membranula, quam exinde vitream appellare libuit Cl. Auctori, itidem duplicata, partim interiorem inueſtiens albugineam, partim in ipſam penetrans teſticuli ſubſtantiam. Patet itaque ex his, vaſorum ſummam eſſe ſubtilitatem, ramificationumque innumeram fere quantitatem, nec non ex his, et aliis, quae remoram iniiciunt procedenti ſanguini, clarum eſt BVRGGRAVIO, p. 169. lympham ſanguinis ad minimas haſce fiſtulas ſenſim urgeri, et fabrica quidem, in reliquis corporis partibus haud conſpicua, ita ut in his terminis animalculorum ſpermaticorum aſſumenda ſit origo et formatio. Dubius interim manet Noſter, an hoc prout in modulo hic fiat, an vero per ultimorum vaſorum extenſionem, quod ultimum polyporum generatio ipſi videtur confirmare. Subtilitas enim partium, p. 170. ad ea uſque indagatione, quamuis ſolerti, ut penetremus, vetat. Indoles autem horum animalculorum p. 172. ea eſt, ut ſimplicia et in omnibus fere animalibus, quod et LEVWENHOECKII experimenta comprobant, eiusdem fere ſint magnitudinis. In ouo incubato demum poſt paucas horas maiora eſſe reddita obſeruantur, et ſpinali medullae, quam primo re-

p. 173. ferunt, reliquae partes ſucceſſiue accedunt. Ex quo concludit Cl. Auctor, animalculum ſpermaticum in homine, *ſimpliciſſima futurae ſpinalis medullae, mox etiam cerebri principia continere, cum conditionibus vel legibus enaſciturarum omnium reliquarum partium, data per conceptionem occaſione demum efformandarum, ex quibus poſt ea genitum animal conſtructum obſeruatur.* Nec dubitat, in ipſo ſemine ulterius haec animalcula, relicta ſi fuerint, perfici, quae vero perfectio illo in uterum, quod animalia viuipara ſpectat, immiſſo maior fit, increſcentibus iisdem, partibusque omnibus ſucceſſiue plenius efformatis. Sequuntur porro ex his alia momenta, tanquam conſectaria, quae, cum tota tractatio lectione digna ſit, hic omittimus, ſufficiat Cl. Auctoris de formatione animalculi ſpermatici coniecturam expoſuiſſe. Hoc unicum nobis dubitationem reliquit, quod ingenuo Auctori non putamus moleſtum eſſe, ut moneamus, qua ratione animalculum tale ex ſanguine eiusque lympha, docente eodem, tantum enatum, mouendi ſe et ſen-
p. 174. tiendi acquirat facultatem; tactus enim ſenſum ipſi adſcribit; in primis, cum deſcriptus hic mechaniſmus ſpecialem ſecretionis rationem ſiſtere videatur, pro formando organico corpore non ſufficientem. Plantarum etiam vita ſolo calore, aliisque cauſis externis demum fit actuoſa, polyporum generatio, multis licet accuratiſſimisque TREMBLEYI obſeruationibus illuſtrata, obſcuritatem relinquit, inſectorum tandem metamorphoſes ſunt ſucceſſiuae partium, rite iam formatarum, ſed ſub alio ſchemate latentium, ſucceſſiuae euolutiones; ut cum aliis fateri cogamur, totum generationis opus, a ſapienti naturae auctore non ſine ratione eius modi adhuc obuolui tenebris. Quam acute autem Cl. BVRGGRAVIVS, in momentis omnibus ſit verſatus, neminem, haec penſitantem, latere poterit.

XXXI.

XXXI.

Dissertation sur les medicamens qui affectent certaines parties du corps humain plûtôt que d' autres; et quelle seroit la cause de cet effet: Qui a remporté le prix au iugement de l'académie royale des belles lettres, sciences et arts de Bordeaux. Par M. BOISSIER, D. S. à Bordeaux, chez Pierre Brun. 1751. 4. mai. 5½ pl.

i. e.

Dissertatio de medicamentis, quae certas corporis humani partes prae aliis facile afficiunt, et quaenam sit huius effectus causa?

Post quam remediorum, quid sub iis intelligi debeat, et principiorum, ex quibus eorum actio exponi queat, aliorumque, quae ad generalem de viribus et actione medicamentorum theoriam pertinent, definitiones, ex physica generali desumtas, proposuit Cl. Auctor, mentem suam explicat, quod singularem p. 6.
corporis humani partem tum demum ab aliqua medicina, siue ore sumta, siue externe applicata, affici dicat, quando haec vel in illa parte, solida, licet ei quoque haud immediate applicata fuerit, vel in eius humoribus, determinatum aliquem effectum edat, uti v. c. ab assumtis cantharidibus ardorem urinae, sanguinis per urethram profluuium, et conuulsiuas membri genitalis erectiones excitari obseruamus. Cum re- p. 7
media vero agant in machina animata, seu cui inest principium motus, duplici vi donatum, sensu nempe ac propensione quadam ad auertenda illa mala, quae ipsi imminere sensus ope perceperat, et ad commoda sua quaerenda, quod ab aliis *natura* dicitur: omnes, qui in corpore viuo remediorum usum sequuntur, effectus in primis ad vitale illud principium, ex sententia

Cl. Auctoris, referendi sunt, licet modus, quo agat;
p. 8. saepius nobis sit incognitus. Vnde enim v. c. alias a solo alicuius, quod a natura auersatur aeger, remedii aspectu, aut eius recordatione, vomitus? Quam ob rem proprios medicamentorum effectus, qui a natura distincti sunt, in cadaueribus obseruandos esse ille tradit, cum talia reperiantur, quibus adhuc post mortem et sanguinis fluiditas et solidorum elasticitas remaneant. Num ipse vero tales instituerit obseruationes,
p. 9. non inuenimus. Nec ab impulsu, quo applicatur remedium, ne illo quidem, qui in vasis sanguiferis et lymphaticis accedit, neque a sola eius grauitate, vim illius propriam dependere posse asserit, cum ea nihil praeter illud efficere queant, quam quod occasionem agendi suppeditent, simulque in certis partibus prius, quam in aliis illud agere faciant, prout nimirum ad
p. 11. hanc illamue partem id primo feratur: solam potius medicamenti vim ab illo, experientia comprobato, principio, quod *adhaesionis* vel *attractionis mutuae* appellare solent physici, deriuari posse, uti iam ab aliis rerum physicarum doctoribus, e. g. KEILIO, HAMBERGERO, aliisque factum esse Cl. Auctor ipse concedit, simulque ex hoc ipso principio demonstrare annititur, cur remedia, si ex virtute sua inhaerente agant, certas atque determinatas corporis partes prae aliis afficiant. Ante vero, quam hoc praestet, ad naturam respicit, atque docet, quo modo ab hac medicamenta, ut instrumenta ad obtinendum finem, partesque corporis, uti machinae, adhibeantur. Licet totum nostrum corpus neruis instructum, unaque eius pars prae altera sensu magis acuto praedita sit, diuersique homines diuersa sensuum vi polleant, ita ut unus altero ma-
p. 16. gis sit sensilis: remediorum tamen effectus ex principiis tantum mechanicis explicari nequeunt, cum effectus ipsa causa longe minores esse obseruentur; nec intelligi possit, cur haec potius, nec alia corporis pars, afficiatur; id quod exemplo sternutationis satis fuse expli-

explicatur. Concludit igitur Cl. Auctor, quod natu- p. 17.
ra dirigat atque determinet mutationes, medicamentorum usum excipientes, nec ea his, uti causae sed principio illi vitali, irritationis sensu excitato atque in motum acto, tribui debeant; illique effectus in ratione sint cum ipsius naturae sensibilitate; porro etiam sub eodem irritationis gradu, in ratione cum viribus, quae adhuc insunt subiecto; et tandem, quod medicamenta, iam diu in usum vocata, haud conspicuum edant effectum, natura quippe attentione inde debiliore facta. Medicamenta vero eas corporis partes p. 20.
tantum afficiunt, ad quas deferri possunt, siue ipsorum moles, figura atque indoles in causa sit, quod ad alias partes deduci nequeant, siue ipsarum partium, quas attingunt, fabrica atque motus ulteriori eorum motui et actioni impedimento sint; v. c. si ea non sint soluta, aut eorum moles tanta, ut venas lacteas vel alias resorbentes intrare nequeant, aut in corpore solui non facile possint e. s. p., qua in re leges in primis, secundum quas sanguis mouetur per suos canales, attentionem merentur, quippe quae, prout v. c. grauitas humorum mutata fuit, eorum quoque motum atque impulsum in canalibus diuersae diametri mutant atque dirigunt. Vlterius dein Cl. Auctor progreditur p. 27.
et exponit, quo modo medicamenta ex propria sua virtute seu ex principiis ipsorum physicis in determinatis corporis partibus agant. Iam iam diximus, quod ex *principio adhaesionis* et legibus eidem competentibus effectus illos explicet atque demonstret, quod minimae remediorum particulae pro diuersa grauitate specifica, quam habent tum illae ipsae, tum solidae atque fluidae corporis partes, quibus adplicantur aut admiscentur, praesertim si ad vasa minima seu capillaria delata fuerint, in quibus propter lentum humorum circulum attractio locum habet, diuerso quoque modo et in diuersis vasis operentur. Valere enim constat regulam, quod corpora adhaereant aliis, quorum

ſpecifica grauitas aut eadem eſt, aut iis potius inſignior. Inde fit v. c. ut aqua ſoluat gummata, non vero reſinas. Cum igitur omnes corporis humani partes ſuam habeant grauitatem ſpecificam, quae a Cl. Auctore eo modo inueſtigata fuit, ut quamque eius partem in aere, dein vero in aqua menſuraret; cumque etiam remediis ſua ſit grauitas: fieri non poteſt, quin eorum aliqua in hoc, alia vero in alio corporis loco ſoluta adhaereant, ſuamque exſerant virtutem, prout eorum nimirum grauitas maiorem minoremue cum illius loci fabrica atque humoribus habet conuenientiam. In primis hunc in finem utitur Cl. Auctor illis principiis atque experimentis, quae Cl. HAMBERGER *in elementis ſuis phyſicis* et in *diſſertatione de mechaniſmo ſecretionum* propoſuit, quae anno 1746 ab academia Burdegalenſi praemio coronata fuit, quibus ſua, quae ipſe quoque inſtituit, immiſcet. Cum illa vero omnibus ſatis debeant eſſe cognita, hic loci nunc ea repetere nolumus, omnino tamen digna, quae in
p. 40. nexu legantur. Quamuis vero theoria de propria medicamentorum actione multum inde illuſtretur, concedit tamen Cl. Auctor, quod omnes, qui poſt eorum uſum obſeruantur, effectus ſint compoſiti, ex principiis nempe mechanicis atque phyſicis tum machinae noſtrae, tum eorum ipſorum, explicandi. Mercurius viuus v. c. per cutis poros in corpus introductus, vi cordis, eadem, qua ſanguis, celeritate projectus, alios effectus in vaſis maioribus, nempe inſignem calorem, alios vero in minimis, motu ibidem langueſcente, praeſtat. Cum enim in glandulis ſalivalibus menſtruum ſibi proprium deprehendat, nunc agere incipit ex virtute ſua phyſica, et ptyaliſmum ef-
p. 42. ficit. A vero enim haud alienum eſſe iudicatur, quod dentur diuerſae glandulae, quae diuerſos quoque humores ſecernant, quorum alii horum, alii vero aliorum medicamentorum particulas actiuas ſoluere valeant. Laudare modo indicatam diſſertationem ſuperfluum

fluum erit, eum ab inclita iam societate fuerit laudata. Optamus saltem, velit Cl. Auctor aut alius vir amplificandis scientiis aptus, obseruationes de medicamentorum viribus rite factas colligere, ut experientia adiuti, difficillimam hanc et quoad multorum adhuc medicamentorum propriam indolem atque actionem, non satis clara luce illustratam physicae scientiae partem, penitus perspiciamus.

XXXI.

Noua Medica.

Doctores et Professores medicinam docentes:

1) In Academia Erfordiensi.

HIERONYM. LVDOLF, Phil. et M. D. Fac. Med. et Phil. Assessor. O. Chym. et Math. P. P: Ciuit. Physic.

HERMANN PAVL IVCH, M. D. Sac. Pal. Caes. Comes. Sereniss. Ducum Sax. Goth. et Vinar. Consil. Aul. et Archiat. Fac. Med. Sen. et Assess. Prim. Pathol. et Prax. P. P. O.

IOAN. HIERON. KNIPHOF, M. D. Anat. Chirurg. et Bot. P. P. Fac. Med. Assess. A. N. C. Adiunctus et Bibliothecarius.

IOAN. CHRISTOPH. RIEDEL, M. D. Inst. Med. P. P. O. Fac. Med. Assess. Extr. A. N. C. Socius.

IOAN. HENR. MELCH. WINDHAVER, M. D. eiusd. P. P. Extr. et Physic. Prouinc. Erford.

BERN. MARIANVS LVTHER, M. D. eiusd. Prof. Publ. Extr.

2) In Academia Wirceburgensi.

IO. MART. ANASTAS. ORTH, Phil. Chir. et M. D. et P. P. O. ac Senior.

LAVR. ANT. DERCVM, Phil. et M. D. et Bot. P. P. O.

IO. VOGELMANN, Phil. et M. D. Prax. et Chym. P. P. O.

GEORG.

GEORG. LVD. HVEBER, Phil. et M. D. Anat. et Chir. P. P. O.

ANDR. IOSEPH. RVGEMER, Phil. et M. D. Inſt. Med. P. P. O.

3) Collegii medico-chirurgici Berolinenſis:

1) Directores.

IO. THEODOR. ELLER, M. D. Reg. Boruſſ. Conſil. Aulae et Archiat. Primar. ut et copiarum Boruſſicarum Medicus primus, Claſſis Phyſicae Acad. Scient. rerum etiam medico-chirurgicarum totius regni Director, ſupremi collegii medici Decanus A. N. C. Socius.

CHRISTIAN. ANDREAS COTHENIVS, M. D. Regis Conſil. Aulic. et Archiat. copiarum Boruſſicar. Medicus ſecundus, ſupremi Collegii Medici Decanus ſecundus, urbis Poſtampii Poliater.

2) Doctores et Demonſtratores.

AVGVSTVS BVDAEVS, M. D. Regis Boruſſ. Conſil. Aul. et Archiat. ſupremi Collegii medici Prof. Primar. Coll. medico-chirurgici, Anat. et Phyſic. Prof. A. N. C. et Acad. Reg. Scient. Berolin. Socius.

MICH. MATTH. LVDOLFF, M. D. Medic. Aulic. Med. et Botan. Profeſſ. Acad. Scient. Berol. Socius.

IO. HENR. POTT, M. D. eiusdemque et Chemiae Prof. Acad. Scient. Berolin. Socius.

THEODORVS SPRÖGEL, M. D. Medic. Aulic. Therapiae Profeſſ. Acad. Scient. Berol. Socius.

SIMON PALLAS, Chirurgiae Profeſſ.

FRIDER. HERMANN. LVDEWIG MUZELL, Phyſiol. et Pathol. Prof. Regii Noſocomii Charitatis Medicus ordinarius.

IOH. FRIDER. MECKEL, M. D. Anat. Profeſſ. ſecundus Acad. Scient. Berolin. ut et Göttingenſis Socius.

IOH.

IOH. HENRIC. BONNEST, Chirurgus Generalis, Chirurgorum, ſtipendiariorum aeque ac eorum, qui aegrotos in noſocomio tractant, Inſpector.

Varia huc usque in diuerſis Europae prouinciis, naturalis aeque ac medicae ſcientiae cauſa capta conſilia non absque oblectamento hic ſiſtimus, et ex felici eorum executione non parum utilitatis atque ſplendoris in artem noſtram redundaturum eſſe auguramur.

Haffniae primo, optimi Daniae Regis iuſſu omnium artium et ſcientiarum academiam conditam et in arce, cui nomen eſt Charlottenburg, collocatam iri, illius potiſſimum hortum exoticis aeque ac indigenis plantis colendis dicatum eſſe exinde magis adhuc confirmatur, quod curam noui huius horti botanici Cl. GEORGE CHRISTIAN OEDER, Med. Doctori concreditam iam iam et ſtipendium huius muneris ergo ipſi tributum fuiſſe, relatum legamus.

In *Viennenſi* porro perantiqua Vniuerſitate ex Imperatricis Auguſtae voluntate atque in literas propenſione, praeter alia, quae academiae et ſcientiarum florem et incrementum ſpectant, mandata, qui philoſophicarum aeque ac medicarum diſciplinarum curam atque praeſidium haberet, conſtitutus fuit Ill. GERARDVS VAN SWIETEN, vir in utroque, amicabili ad modum vinculo nexo, ſcientiarum genere, diu multumque cum laude verſatus.

Sueciae ſimiliter Rex, eodem in rei medicae incrementum directo ſtudio, quo rectius cuncta peragerentur, ſuorum conſilio uſus, Liberum Baronem DE HOEPKEN, Regii Collegii medici, quod Holmiae eſt, Praeſidem nominauit, et eo abſente, Regii ſacri palatii Quaeſtorem ipſi ſubſtituit.

Por-

Portugaliae porro Regem praeterito iulii menſe, in urbe Tomar, quae in prouincia, Extremadura dicta, ſita eſt, nouam ſcientiarum academiam condidiſſe, non conditorem tantum, ſed Curatorem etiam illius ſe praebuiſſe, Regia denique ſtipendia ſociis tribuiſſe, nuntiatur. Non parum inde hiſtoriae naturali et medicae ſcientiae utilitatis acceſſurum eſſe, exinde colligimus atque ſperamus, quod regiam, quae Pariſiis floret, academiam, velut exemplar ſibi propoſuit potentiſſimus illius auctor.

In *Tubingenſi* etiam Academia, ex fructuoſa Ducis Wirtembergenſis munificentia, praeter alia, eaque egregia inſtituta, chemicis operationibus dicatum laboratorium nouiter exſtructum, anatomicum vero theatrum amplificatum magis fuiſſe atque adauctum, relatum legimus.

Ex literis denique *Londini* acceptis, non ingratum fore lectoribus noſtris putamus, ſi optimi illius diarii, quod Londini transactionum philoſophicarum ſub nomine prodit, eam nunc indicemus rationem, quam illa clarorum virorum ſocietas, in eo in poſterum edendo poſt mortem CROMWELLI MORTIMER, ſui olim ſecretarii perpetui, ſequetur. Dicta nimirum anglicana ſocietas transactiones illas ut ſuas in poſterum, ipſa curabit, nec ſecretario ſoli, ut hactenus factum eſt, eas edendi officium relinquet, ita, ut de iis ſemper quae inferuntur, omnis nunc ſocietas reſpondeat. Iungimus his nuperrime in nouis publicis relata: Societatis nimirum praeſidem, MARTINVM FOLKES, equitem anglicanum, a variis aduerſae valetudinis iniuriis huc usque tentatum, ab hoc inde munere diſceſſiſſe, eius vero in locum GEORGIVM, Comitem DE MACCLESFIELD, nobilem literis fauentem a. d. 30. nouembris anni praeteriti a ſocietate iterum electum et conſtitutum fuiſſe.

Norim-

Norimbergae degentis sculptoris IO. MICHAELIS SELIGMAN dexteritas atque solertia, in adiuuanda historia naturali adeo conspicua et multis huc usque exemplis confirmata, duorum, quae meditatur, operum mentionem hic loci ut faciamus, exigit. Primum eorum quod edendi consilium coepit, illae sunt Cl. CLAVDII PERRAVLT dissertationes, quae naturalem animalium historiam concernunt, et academiae Regiae scientiarum parisinae, ab anno praeteriti seculi sexagesimo sexto usque ad annum nonagesimum nonum collectis et publicatis commentariis, una cum iconibus insertae reperiuntur. Quinquaginta in iis, quoad anatomen descripta, et in iconibus non tota tantum, sed quoad partes quasdam etiam expressa animalia sunt, quae in tres veluti classes dispositа, solertissimus vir, ob sumtuosam nimis operam, singula seorsim aeri incisa, cum suis descriptionibus, tempore tamen non definito, cum harum rerum cupidis sequenti sub titulo in forma quarta communicabit: CLAVDII PERRAVLT *zur natürlichen Historie der Thiere dienliche Nachrichten, aus dem Französischen ins Deutsche übersetzt von* D. GEORGE LEONHARD HVTH. Primum partis huius prioris segmentum, quod leonis descriptionem et in duabus tabulis eum primo integrum, deinde aliquas tantum, ex eo desumtas hicque expressas, partes continet, pretio quinque grossorum et quatuor obulorum, ita ut sequentium, emitur. Cum ea perraultiani huius operis editio, quae Hagae comitum 1731 prodiit, a parisina, ab academiae sociis ipsis curata, quodam modo differat, SELIGMANNVS noster, qui posteriore utitur, dictam hanc differentiam suo tempore indicaturum se esse, spondet. Idem ille, suasu Ill. TREWII, quem in priori etiam auctorem secutus est, ex splendido illo opere LVDOVICI FEVILLEE * desum-

* Iournal des observations physiques mathematiques et botaniques, faites par l'ordre du Roy, sur les cotes orienta-

desumtas et aeri incisas plantas, earum vero descriptiones ex gallico sermone in germanicum translatas, hoc sub titulo se editurum esse indicat: *Des Pater* LVDWIG FEVILLEE *Beschreiburg zur Arzney dienlicher Pflanzen, welche in den Reichen des mittägigen Amerika in Peru und Chily vorzüglich im Gebrauch sind, in dem Lande selbst auf Königl. Befehl in den Jahren 1709, 1710 und 1711. aufgesezt, nebst verschiedenen andern aus eben desselben Tageregister physischen Beobachtungen gesammleten, und zur natürlichen Historie gehörigen Anmerkungen, übersetzt v. D.* GEORG LEONHARD HVTH. Plantarum sculptarum folia sex una cum additis duabus, earum descriptiones continentibus, plagulis, pretio quatuor grossorum, quatuorue nummorum venales, rerum naturalium cultoribus, et illis in primis, qui plantas exoticas earumque vires scire cupiunt, offeruntur. Prima, quae iam ad manus nostras peruenit, operis huius particula, aeque ac prioris illius, de quo diximus, operis specimen non parum nitoris ac elegantiae conspiciendum praebet.

Regia *Gœttingensis* scientiarum societas in conuentu a. d. 11. mensis nouembris proxime nunc elapsi anni, ex instituto, de quo in commentariis nostris retulimus,* dissertationes de turfi nobilitate atque praestantia conscriptas, disquisiuit, et ex octo earum, praemium illi tribuit, quae a Cl. BANSEN, praefecturae superioris quaestore, Neostadii in ducatu calenbergensi degente, confecta, relationibus Hanoueranis inserta

orientales de l'Amerique meridionale et dans les Indes occidentales depuis l'année 1707 jusques en 1712. par LOVIS FEVILLEE. Tomes III. à Paris 1714. 1725. 4. mai. c. fig. aen. Operi huic iuncta est sequens tractatio: Histoire des plantes medicinales, qui sont le plus en usage aux Royaumes de l'Amerique meridionale, du Perou et du Chily.

* Vol. I. Pars III. p. 528.

ſerta legitur. * Ill. deinde huius ſocietatis Praeſes, praeter ea, quae de elaborationibus, ſalis praeparationem tractantibus et ad diem primum iulii huius anni disquirendis, nos itidem iam ſupra indicauimus, theſin in conuentu publice propoſuit, quam illa disquiſitionibus a. d. 10 menſis nouembris huius anni diiudicandis, promiſſo eodem duodecim nummorum aureorum pretio, deſtinauit. Quaeritur nempe: quaenam forte in germanicis Angliae Regis prouinciis reperiantur vegetabilia, quae opificiis manu factis adhibenda, vel in alia hominum commoda conuertenda, quoad uſum huc usque incognita fuerunt. De hoc utili certe argumento conſcriptae diſſertationes, eodem, quo diximus modo, tradendae ſunt.

Quae *Toloſae* ſcientias, inſcriptiones et elegantiores literas tractat ſocietas, theoriam auditus, tanquam ſelectum, quod ad annum quinquageſimum primum pertinebat, problema, ob argumenti difficultatem, quinquageſimo et quarto huius ſeculi anno iterum dicauit. Illud pertractantibus phyſicis, ſtudioſe non tantum ſingularum auris partium functiones deſcribendae, ſed eae etiam utilitates indicandae ſunt, quae ab earum figura proueniant, et in quantum quaelibet earum ſonorum perceptionem iuuet.

Divioni itidem condita ſcientiarum et bonarum artium Academia, nullum commentariorum ipſi oblatorum pretio dignum iudicauit, theſin potius eandem huic iterum anno deſtinauit, ſequentem ea quaeſtionem continet: quid clima vel aeris conditio prouinciae cuiusdam in temperamento et viribus incolarum conſtituendis valeat, et quomodo illud abinde declarari poſſit.

Bur-

* vid. *Hanoveriſche Anzeigen*, d. an. 1752. n. 4.

Burdigalenſem denique academiam, ad annum quinquageſimum ſecundum pertinentes commentarios, quorum materiem nos ſupra iam indicaſſe meminimus *, ſimiliter ſepoſuiſſe, et idem illud, de uſtilagine frumenti, propoſitum argumentum quinquageſimo et quarto anno iterum deſtinaſſe et aliam praeter ea theſin eidem illi anno conſecraſſe accepimus. Regulas nimirum dicta haecce clarorum virorum ſocietas exigit certas et indubitatas, ex ſoli inſimul atque ſpecierum vitis varietate definitas, ſecundum quas vinea deputari debet.

Lutetiae Pariſiorum, Regis ſub tutamine chirurgiae incrementum curans academia, ex inſtituto viri, dum viueret, Cl. FRANCISCI DE LA PEYRONIE, nummum aureum 500 pondera gallica (*livres*) aequantem, ut praemium ab ipſo conſtitutum, quinquageſimo et quarto huius ſeculi anno, ſequentem theſin omnium optime pertractanti, tribuet: Cum amputatio membrorum in vulneribus, cum oſſium colliſione coniunctis, iis in primis, quae vi ſclopeti facta ſunt, neceſſario ſemper inſtitui debeat: quibus in caſibus ſtatim poſt vulnus acceptum, operatio ſuſcipienda ſit, et in quibus contra, eam ad tempus differre conueniat, indicandum et per ſubnexas validas ſatis rationes confirmandum eſt. Reliqua quae hanc theſin pertractantibus eruditis obſeruanda veniunt, problema huic, quo viuimus, anno dicatum commemorantes, iam iam notauimus. **

Göttingae quae floret regia ſcientiarum ſocietas Cl. CHRISTLOB MYLIVM, ex variis, bonarum artium et naturalis in primis hiſtoriae cauſa, ſuſceptis laboribus, lectoribus noſtris iam cognitum, nunc vero iter in diſſitas Americae prouincias meditantem, iis annumerauit,

* Commentar. noſtror. Vol. I. Pars I. p. 149.
** Commentar. noſtror. Vol. I. Pars III. p. 527.

merauit, cum quibus literarium ipsi est commercium. Eodem similiter correspondentis titulo virum Cl. IONAM SIDREN medicinae doctorem et facultatis medicae Vpsalienſis adiunctum, condecoratum fuisse legimus.

Berolinenſis regia scientiarum academia a. d. 5. octobris anni praeteriti Cl. IO. GODOFREDVM ZINN, medicinae doctorem et MARSIGLIVM VENTVTI, Reginae Hispaniae viduae archiatrum primarium, die vero 19 eiusdem mensis Cl. PHILIPPVM ADOLPHVM BOEHMER medicinae et anatomiae in academia Halensi professorem, qui obseruationum anatomicarum, ad uterum humanum pertinentium, fasciculum nuperrime edidit, ut socios extraneos sibi iunxit.

In *Göttingenſi* porro academia muneri medicinam extra ordinem docendi, haud ita pridem Cl. IO. GODOFREDVM ZINN, quem paulo ante iam nominauimus, admotum fuisse notamus.

Holmiae praeterlapso octobris mense rebus nostris interesse desiit Cl. EWALDVS RIBE, medicinae doctor et Regis Sueciae archiater primarius, collegii medici praeses et academiae scientiarum Holmensis socius, annum agens quinquagesimum primum.

Basileenſis itidem academia, viri Cl. EMANVEL KOENIG, medicinae prof. a. d. 10. septembris subitanea morte defuncti, iacturam passa est.

Tubingae porro decimo tertio eiusdem mensis die obiit IOHANNES CONRADVS CREILINGIVS, matheseos et physices per quadraginta et quatuor annos in dicta illa academia professor, septem vero abhinc annis, ob aetatem, vitam priuatam agens, academiae Regiae scientiarum parisinae socius. De hoc bene de

literis et physicis potissimum doctrinis merito, ut anno praeteriti seculi septuagesimo et tertio iam nato sene, illud ut dignum notatu refertur, eum septuagesimum tertium aetatis iam annum agentem, variolis demum correptum, feliciter tamen hunc morbum superasse.

Dresdae tandem a. d. 16 praeterlapsi mensis decembris fatis cessit FRIDERICVS GOTTLOB GÜNTHER, S. Reg. Mai. Polon. chirurgus, cuius a nobis olim iam inter collegii medico-chirurgici Dresdensis socios nominati*, memoriam hic recolendam esse putamus, quod paucioribus iis germanorum chirurgis, ille iure meritoque annumerandus sit, qui artem, quam callent, sollicite non tantum pertractant, sed rationem quoque cum obseruatione coniungunt.

XXXIII.

Index scriptorum physico medicorum, quae anno 1752. prodierunt.

Histoire de l'academie Royale des sciences pour l'année 1747. avec les memoires de mathematique et physique pour la même année, à Paris, 4. mai. c. fig.

Auserlesene Abhandlungen, welche an die Königl. Academie der Wissenschaften zu Paris von einigen Gelehrten eingesendet, in ihren Versammlungen abgelesen und von ihr herausgegeben worden, erster Theil; darinnen 16 zur Naturlehre und Chymie gehörige Stücke sich befinden; aus dem Französischen ins Deutsche übersetzt, von FERDINAND WILHELM BEER, *Leipzig, 8. mai. mit Kupfern.*

Histoire de l'academie Royale des sciences et belles lettres l'année 1750. Tom. VI. Berlin. 4. c. fig.

Der

* vid. Comment. nostr. Vol. I. Pars IV. p. 711.

Der Königl. Academie der Wiſſenſchaften in Paris, phyſiſcher Abhandlungen, 8ter Theil, welcher die Jahre 1727 bis 1730 in ſich enthält, überſezt von WOLFG. BALTHASAR ADOLPH VON STEINWEHR, *Breslau, med. 8. mit Kupfern.*

K. Swenska Wetenskaps Academiens Handlingar, Tom. XII, Stockholm. 8. c. fig.

Abhandlungen der Königl. Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften, aus der Naturlehre und Haußhaltungskunſt und der Mechanic auf das Jahr 1745 überſetzt von A. G. KAESTNER, *7ter Theil, Hamburg und Leipzig,* 8. mai. *mit Kupfern.*

Eben derſelben 8ter Theil auf das Jahr 1748, ibid. *8.* mai. *mit Kupfern.*

Lettres patentes du Roi portant l'etabliſſement d'un College de Medecine à Nancy. à Nancy, 4. mai.

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften zum Unterricht und Vergnügen aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt, 8ten Bandes 4. 5. und 6tes Stück, Hamb. und Leipz. 8. mit Kupfern.

Eben deſſelben 9ter Band, ibid. eod. *mit Kupfern.*

Eben deſſelben 10ten Bandes 1. und 2tes Stück, ibid. eod.

Mediciniſche Verſuche zu Edimburg, 5ten Bandes, erſter und zweyter Theil, Altenb. 8. mit Kupfern.

Allgemeine Hiſtorie der Natur, nach allen ihren beſondern Theilen, nebſt einer Beſchreibung der Naturalien-Kammer des Königs von Franckreich; nebſt einer Vorrede des Hrn. VON HALLER, *von der Erzeugung, 2ten Bandes erſter Theil, Hamb. und Leipzig,* 4. mai. *mit Kupfern.*

Commentarii ſocietatis Regiae ſcientiarum Göttingenſis Tom. I. ad annum 1751. Göttingae, 4. c. fig.

Acta phyſico medica Academiae Imperialis Naturae Curioſorum, Vol. IX. Norimb. 4. c. fig.

Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und Lande; oder Sammlungen aller Reiſebeſchreibungen 10ter Band, Leipzig, 4. mit Kupfern.

Sammlung neuer und merckwürdiger Reiſen zu Waſſer und Lande, aus verſchiedenen Sprachen überſetzt, 5ter, 6ter und 7ter Theil, welche den 2ten, 3ten und 4ten Theil der Sibiriſchen Reiſe IOH. GEORG GMELINS *in ſich enthalten, Gœttingen, 8. mai. mit Kupfern.*

Voyage hiſtorique de l' amerique meridionale fait par ordre du Roi d' Eſpagne par Don GEORGE IVAN, et Don ANTOINE DE VLLOA; ouvrage orné des tres belles figures, plans et cartes neceſſaires, avec des obſervations aſtronomiques et phyſiques, 2 Voll. Amſterd. 4.

Phyſikaliſcher Beluſtigungen, 11tes, 12tes und 13tes Stück, Berlin, 8. mit Kupfern.

Recueil des pieces en proſe et en vers, lues dans les aſſemblées publiques de l' acad. Royal. des belles lettres de la Rochelle, a Paris, 8. c. fig.

Neue Verſuche nützlicher Sammlungen zu der Natur- und Kunſtgeſchichte, ſonderlich von Ober-Sachſſen, 2ter Band, geſammlet von einem Liebhaber derer Wunder und Wercke Gottes, CHRISTIAN GOTTLIEB GRVNDIG, *Schneeberg, 8. mit Kupfern.*

Eben derſelben 2ſtes Stück, 8.

Schauplatz der Natur; oder Unterredung von der Beſchaffenheit und den Abſichten der natürlichen Dinge, wodurch die Jugend zu weitern Nachforſchen aufgemuntert, und auf richtige Begriffe von der Allmacht und Weisheit Gottes geführet wird, 7ter Theil, welcher einige der vortreflichſten Künſte, die Handlung, das Reiſen, und die Einrichtung eines Landes betrachtet, aus dem Franzöſiſchen überſetzt, Wien und Nürnberg, 8. mit Kupfern.

Selecta phyſico-oeconomica; *oder nützliche Sammlungen von allerhand zur Naturforſchung und Hauß-*

haltungs-

haltungskunſt gehörige Begebenheiten, Erfindungen, Verſuchen, Vorſchlägen, und darüber gemachten Anmerkungen, ſammt einer Nachricht von alten und neuen hierzu dienlichen Büchern und Schriften, 1ter Band, Stutgart, 8.

Oeconomiſch phyſicaliſcher Abhandlungen 3ter Theil, worinnen unter andern eine ausführliche Abhandlung von der Viehſeuche, wie ſolche ſeit dem Anfang dieſes Seculi in Deutſchland, beſonders in Sachſen graſſiret etc. Leipz. 8.

Eben derſelben 4ter Theil, ibid. 8.

Oekonomiſcher Nachrichten 4ter Band, welcher das 37te bis 48te Stück enthält. Leipz. 8.

Gründliche Auszüge aus denen neueſten mediciniſch- und chirurgiſchen Diſputationen, welche auf denen hohen Schulen in Deutſchland gehalten worden, 3tes Stück, Stutgart, 8.

Geſellſchaftliche Erzehlungen, 1ſtes bis 3ote Stück, Hamburg, 8. mai.

Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land- und Stadtwirthſchaftlichen Polizey- Finanz- und Cammer-Weſen dienlicher Nachrichten, etc. 94tes-104tes Stück, Leipz. 8.

Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle ſur la phyſique et ſur la peinture avec des planches imprimées en couleur, Tom. I. trois parties, à Paris, 4.

Idem liber, 12. c. fig. coloratis, ibid. eod.

Varietés hiſtoriques phyſiques et literaires, ou recherches d'un ſavant, contenant pluſieurs pieces curieuſes et intereſſantes, Tom. III. à Paris, 12.

Motus phyſici analyſis in uſum ſtudioſae iuuentutis, Breslav. 8. c. fig.

Explication des premieres cauſes de l'action dans la matiere, et de la cauſe de la gravitation, à Paris, 8.

Anmerkungen über einige in der heutigen, ſonderlich Wolfiſchen Phyſick angenommene Lehrſätze, Franckfurth und Leipz. 8.

Traité d'optique, ou l'on donne la theorie de la lumiere dans le ſyſteme Newtonien, avec des nouvelles ſolutions des principaux problemes de dioptrique et de catoptrique, à Paris, 4.

Anhang der Anleitung zur Markſcheidekunſt, Dreſden, 4.

Entdeckung nützlicher Oefen, welche das Zimmer warm machen, ehe noch der Ofen warm iſt, und welche man mit leichten Koſten ſich anſchaffen kan, Leipz. 8.

Hiſtoire du tremblement de terre de Lima et de Callao, avec la deſcription de Perou, touchant les moeurs, coutumes, religion, gouvernement, commerce etc. et recherches ſur les cauſes des tremblemens de terre, avec des figures et des cartes etc. traduit de l'anglois, à Paris, 12. 2 parties.

Hiſtoire generale et particuliere de l'electricité: ou ce qu'on en dit de curieux et d'amuſant, d'utile et d'intereſſant, de rejouiſſant et de badin, quelques phyſiciens de l'Europe, Tom. III. à Paris, 12.

Recueil ſur l'electricité medicale, dans lequel on a raſſemblé en deux volumes les principales pieces publiées par divers ſavans ſur le moïen de guerir les maladies en electriſant les malades, Tom. I. et II. à Paris, 12.

Hiſtoire des ſinges et autres animaux curieux comme le caſtor l'elephas etc. ibid. 12.

Dictionaire botanique et pharmaceutique contenant les principales proprietés des mineraux des vegetaux et des animaux etc. nouvelle edition augmentée, ibid. 8.

Wohlbewährte Garten-Geheimniſſe, wie Pflanzen und Blumen zu tractiren, nebſt ſympathetiſchen Wirkungen der Natur etc. 5te Auflage, Wien und Nürnberg, 8. mit Kupfern.

Der wohlunterwieſene Anfänger in der Chymie, Wien, 8.

Falſcher und wahrer Lapis philoſophorum; *oder eines vornehmen Philoſophi unſchätzbarer Unterricht von allen*

allen, was ihm bey koſtbarſter Suchung des Steins der Weiſen begegnet iſt etc. ibid. 4.

Kern der ganzen Medecin, worinnen auf die kürzeſte Art die Arzeney-Mittel, ſo bey den vornehmſten Kranckheiten nothwendig ſind, in Recepten angegeben werden, daß ein ieder ſein eigner Arzt ſeyn könne, auf Befehl des Herzogs von Cumberland zum Gebrauch des Kriegs-Hoſpitals von denen Königl. Leibaerzten, Wundaerzten, Ober-Wundarzt und Ober-Apothecker zuſammen getragen; aus dem Engeliſchen ins Deutſche überſetzt, Rudolſtadt, 8.

Mediciniſcher Hauptſchlüſſel, oder gründliche Einleitung zur vernünftigen Cur aller innerlichen Kranckheiten, durch welchen einer ieden eigentlichen Beſchaffenheit genau unterſuchet, und die Cur nach den neueſten, ſonderlich Stahlianiſchen Principiis *begreiflich gezeiget wird, durch den* Autorem *des mediciniſchen und chirurgiſchen Schlüſſes* (auctor eſt Dietrich), *3te Auflage, Leipzig,* 4.

Granatapffel, freywillig aufgeſprungener, des chriſtlichen Samariters; oder eröffnete Geheimniſſe vortrefflicher Mittel und Arzeneyen, wieder alle Zuſtände des menſchlichen Leibes; aufs neue vermehret; nebſt einem Kochbuche, 2ter Theil, Wien, 4.

Der geſchickte Franzoſen-Doctor; oder gründliche Anweiſung alle veneriſche Kranckheiten ſicher und leicht, auch ohne Hülfe eines Medici zu curiren, 8.

Programma in memoriam RVD. FERDINANDI DE SILVERSTEIN, de cura paſcuorum, (auct. eſt IO. ERNEST. HEBENSTREIT,) Lipſ. fol.

Unterſuchung der ſich zeithero einſchleichenden Horn-Viehſeuche, worinne ſie beſtehe, wie ihr möglichſt vorzubauen, und wie das krancke Vieh zu pflegen iſt, Köthen, 8.

Der nach mediciniſchen Lehrſätzen ſicher und gewiß curirende Pferde Arzt, Franckfurth, 8.

La cuiſiniere bourgeoiſe, ſuivie de l'office, à l'uſage de tous ceux qui ſe mêlent des depenſes des maiſons, concernant la maniére de diſſequer, connoitre et ſervir toutes ſortes des viandes, Tom. II. à Paris, 12.

IOH. FRIDER. ACKERMANN, Diſſ. ſiſtens praeſagia medica ex praecordiis, Reſp. *George Wilh. Feuerlein*, Göttingae, 4.

Memoria MICH. GOTTLIEB AGNETHLERI, M. D. academiae nomine celebrata a IO. BENED. CARPZOVIO, Helmſtadii, 4.

Agriculture parfaite, ou nouvelle decouverte touchant la culture des arbres par M. G. A. AGRICOLA, 2 Voll. Amſterd. 8. c. fig. aen. (*titulus ſaltim nouus*).

MICH. ALBERTI Diſſ. de voto obedientiae medico, Reſp. *Chriſt. Gotthold Stoltzenberg*, Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. de cauſis vitiorum auditus, Reſp. *Chriſt. Fridemann Piſtorius*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de haemorrhagiarum complicatione, Reſp. *Gottfr. Chriſt. Wilfroth*, ibid. 4.

Abregé de toute la medecine pratique etc. ouvrage publié ci devant tant en latin qu' en anglois par M. I. ALLEN, edition quatrieme augmentée de quantité de pieces et d'articles intereſſans pour la pratique medicinale et chirurgie par Mr. BOVDON, 7 Voll. Paris, 12.

Reflexions ſur les vaiſſeaux de cuivre, de plomb et d' étain, et diviſion de l'extrait du livre intitulé: nouvelles fontaines domeſtiques; avec une diſſertation ſur la veritable cauſe des obſtructions dans les reins et dans tous les viſceres, venant des principes des alimens et des eaux, ou de la diſſolution des filtres, qui ſe mêlent dans la digeſtion avec le chyle et cauſent differens maladies, par Mr. AMY, à Paris, 8.

Extrait du Livre intitulé: nouvelles fontaines domeſtiques, approuvé par l' acad. Roy. des ſciences;

ou

ou deſcription des vaiſſeaux neceſſaires dans les cuiſines et ſans danger, pour l'eau et la preparation des alimens en conformité des deciſions de la faculté de medecine de Paris, confirmées par pluſieurs morts ſubites de 1751. avec deux inſtructions pour la connoiſſance et l'uſage des nouvelles fontaines par Mr. AMY, à Paris, 8.

The hiſtory of the Island of Minorca, by IOHN ARMSTRONG, Lond. 8. (*continet topographica, ad naturalem hiſtoriam pertinentia*).

CAROL. AVRIVILLI Diſſ. ex opere cosmographico IBN AVARDI particulam latine verſam et illuſtratam notis, ſiſtens; Reſp. *Ephraim Axelſon*, Upſal. 4. (*continet haec diſſert. obſeruationes philologico-botanicas*).

HIACYNTH. THEOD. BARON quaeſt. med. an in curanda ani fiſtula ferro praeſtant cauſtica? Reſp. *Io. Bapt. Barjolle*, à Paris, 4.

De principiis animalibus, exercitationes habitae a GVILIEMO BATTIE, Londini, 4. (*continuatio trium aliarum iam 1751. notatarum.*)

CAR. AVG. A BERGEN Diſſ. de animalibus hieme ſopitis, Reſp. *Franciſc. Heyn*, Francf. ad Viadr. 4.

Eiusd. Diſſ. de Trachea, Reſp. *Frider. Wilh. Wachter*, ibid. 4.

Obſervations phyſiques et medecinales ſur les eaux minerales d'Epoigny de Pourain de Dige et de Touci aux environs d'Auxerres, avec une conſultation à l'uſage de ceux qui en boivent par M. BERRYAT, à Auxerres, 12.

Memoires ſur la ſtructure interieure de la terre, par Mr. ELIE BERTRAND, à Zuric. 8.

HENRIC. BESNIER, quaeſt. med. utrum in uſtionis uſu medico culpanda neotericorum timiditas, an veterum audacia? Reſp. *Carol. Gillot*, à Paris, 4.

IOH. BESSE, quaeſt. med. utrum aneurismati cruralis arteriae ligatura? Reſp. *Iacob. Gourler de la Motte*, à Paris, 4.

IACOB. BEVMER, Diſſ. de morbis ex conſtitutione ſingulari tam ſolidorum, quam fluidorum in qualibet aetate oriundis, Lugd. Bat. 4.

ANDREAS BINA Ragionamento ſopra la cagione de terremoti, Perugia, 4.

IOH. FRANCISC. ADOLPH BLAW, Diſſ. de hydrope peritonaci, Argent. 4.

IO. BENI. BOEHMERI, proluſio, in qua callum oſſium a rubiae tinctorum paſtu infectorum deſcribit, Lipſ. 4. c. fig.

PHIL. ADOLPH. BOEHMERI, obſeruationum anatomicarum rariorum faſciculus, notabilia circa uterum humanum continens, cum figuris ad viuum expreſſis, Halae, fol. mai.

GEORG. RVDOLPH. BOEHMER, Pr. de plantis faſciatis, Viteb. 4.

Elemens de chymie par Mr. HERM. BOERHAAVE, traduit du latin par I. N. S. ALLAMAND, Voll. II. Amſtel. 8. c. fig. aen.

Eiusd. de viribus medicamentorum, Ienae, 8. c. fig.

Conſultationes medicae, ſiue ſylloge epiſtolarum cum reſponſis HERM. BOERHAAVE in Britannia primum editae, nunc aliquot exemplis auctiores, acceſſerunt eiusdem introductio ad praxin clinicam et praelectiones de calculo. Editio Göttingenſis altera, Götting. 8.

NICOL. BÖRNERS *Kinder - Arzt, nebſt den Lebensumſtänden des Verfaſſers, Frf. und Leipzig, 8.*

FRIEDRICH BÖRNERS *Nachrichten von den vornehmſten Lebensumſtänden und Schriften ieztlebender berühmter Aerzte und Naturforſcher in und um Deutſchland, 2ter Band, Wolffenbüttel*, 8.

George

Eiusd. de tabe ſicca lethali a mirabili duodeni anguſtia et praeternaturali plane ventriculi ſitu, Lipſ. 4. c. fig.

(GEORGE FRIEDR. MOOR,) *die gebährende Frau ſammt ihrer Leibesfrucht in Lebensgröſſe etc. in Frag und Antwort erkläret und mit einem doppelten Anhange und Vorrede erläutert von D.* FRIEDR. BÖRNER, *4te Auflage, Ffr. Leipz.* 8. *mit Kupfern.*

10. BAPT. BOHADSCH Diſſ. de veris ſepiarum ouis, Pragae, 4. c. fig.

10. HENR. BONHOEFFER, Diſſ. de ſaccharo eiusque viribus et uſu, Altorf. 4.

Beſchreibung einer ganz neuen Erfindung allerley Arten von Getraide mit geringen Koſten zugleich auszuſaeen, unterzupflügen und zu eggen, nebſt beygefügter Zeichnung der darzu gehörigen Machine. Frckf. und Leipz. 4. (auctore C. F. VON DEM BORNE.)

Memoire ſur l'huile de Petrole en general et particulierement ſur celle de Gabian. Lue à l'acad. des ſciences et belles lettres de Beſiers, approuvée par l'Univerſitè de medecine de Montpellier, à Beſier, 4. (*auctor eſt* Mr. BOVILLET.)

LVD. CLAVD BOVRDELIN, quaeſt. med. an tuſſi puerorum clangoſae vulgo Coqueluche, emeſis? Reſp. *Io. Bapt. Baſſeville*, à Paris 4.

10. GOTTFR. BRENDEL, Diſſ. de lethargo, Reſp. *Bened. Henr. Löbr*, Götting. 4.

Eiusd. Diſſ. de iuſta methodi refrigerantis in morbis aeſtimatione, Reſp. *Io. Frider. Eichfeld*, ibid. 4.

Eiusd. Progr. de fabrica oculi in foetibus abortiuis obſeruata, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de valetudine ex hypochondriis, Reſp. *Io. Ludwig Süſtermann*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de uſu calefacientium in morbis uſu, Reſp. *Ludwig Chriſt. Baumgarten*, ibid. 4.

Eiusd. Progr. ſiſtens commentarioli practici in coacas Hippocratis praenotiones penſum I. et II. ibid. 4.

De

De veneno animantium naturali et acquiſito tractatus auct. DOMINICO BROGIANI, Florenz., 4.

Oratio Harueiana, principibus medicis parentans; medicinam, academias utrasque laudans; empyricos eorum cultores perſtringens; collegium usque a natalibus illuſtrans, in theatro collegii Regalis medicorum londinenſium habita a GVILIELMO BROWNE, Lond. 4.

VRBAN FRIDR. BENEDICT BRÜCKMANN *Unterſuchung der Urſachen, woher die beſtändige Bewegung der untern Kinlade bey einigen alten Leuten rühre, Wolffenbüttel*, 4.

CORNELIS VAN BRVGGEN, Diſſ. de temperamentis, Traiect. ad Rhen. 4.

ANDR. ELIAS BVCHNER, Diſſ. de prudenti medicamentorum mutatione, Reſp. *Traugott Dreyſig*, Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. de olfactus ad capienda ſigna uſu, Reſp. *Frider. Langer*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de obſoletis quibusdam remediis frequentiori uſu reſtituendis, Reſp. *Traugott Gotthilf Voigtel*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de vomitu cruento plerumque per ſe non lethali, Reſp. *Io. Heinr. Lichtenberg*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de nexu podagrae cum calculo renum et veſicae, Reſp. *Dan. Gottl. Zierold*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de Trepanatione, Reſp. *Ioſeph Röſſel*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de oleis eſſentialibus aethereis, eorumque operandi modo et uſu, Reſp. *Ioſ. Fried. Vangerow*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de incongruo diaphoreticorum uſu frequenti affectuum exanthematicorum cauſa, Reſp. *Conrad Dahl*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de tremore artuum eiusque cauſis, Reſp. *Iulius Iob. Mollweide*, ibid. 4.

ANDR. ELIAS BVCHNER, Diſſ. de modo agendi metallorum in C. H. Reſp. *Ioh. Henricus Mollweide*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de ore ut ſigno, Reſp. *Io. Conrad Philip. Zimmermann*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de aquis medicatis praeſertim fonte medicato Cliuenſi, Reſp. *Chriſt. Henr. Schütte*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſingulari quadam Indorum orientalium dyſenteria eiusdemque praecipua a noſtrate differentia, Reſp. *Ioh. Thom. Laurich*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de oculo ut ſigno, Reſp. *Chriſt. Frider. Oswald*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de inſolito corporis augmento frequenti morborum futurorum ſigno, Reſp. *Caſp. Ioach. Quabeck*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de inflammatione ſanguinea, Reſp. *Ioh. Iac. de Steinen*, ibid. 4.

Contenta in hac parte:

1. Commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Göttingenſis Tom. I. p. 3
2. DE HALLER Iconum anatomicarum Faſcicul. V. p. 21
3. EISENMANN Tabulae anatomicae quatuor uteri duplicis p. 24
4. CHRISTELL Diſſ. de partu gemellorum coalitorum p. 28
5. Acta phyſico - medica academiae naturae curioſorum, Vol. IX. p. 32
6. TREW Plantae ſelectae, Dec. III. p. 49
7. MARTINE Diſſertations ſur la chaleur p. 52
8. BOVRDELIN An tuſſi puerorum clangoſae, vulgo *Coqueluche*, emeſis? p. 53
9. FALCONET An legitimae vulnerum ſuppurationi promouendae cortex peruuianus? p. 55

10. CHEVALIER An per ſuffitum felicior et tutior, quam per inunctionem mercurialem morbi venerei curatio ? p. 57
11. BVTINI Traité de la petite verole p. 58
12. *Hamburgiſches Magazin, VIII. Band* p. 61
13. *Oeconomiſch phyſicaliſche Abhandlungen, 3 Theil* p. 71
14. *Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch, 1. Hundert* p. 73
15. TREW Hortus nitidiſſimus florum p. 79
16. KNORR Regnum florae p. 80
17. MARTYN Hiſtoria plantarum rariorum Dec. I. p. 81
18. MEYERS *Vorſtellung der Thiere und Scelette* p. 82
19. SEELIGMANNS *Sammlung ſeltener Vögel* p. 84
20. CATESBY Piſcium, ſerpentum etc. imagines p. 85
21. ROESELII Hiſtoria naturalis ranarum noſtratium p. 85
22. KNORR Lapides diluuii uniuerſalis teſtes p. 92
23. Deliciae naturae ſelectae p. 92
24. GMELINS *Reiſe durch Siberien, erſter und anderer Theil* p. 93
25. ANDRE Diſſertation ſur les maladies de l'urethre p. 107
26. DE PAYVA de affectu atrabilario mirachiali p. 113
27. HILL Hiſtory of plants p. 118
28. HEISTERI Pr. quo iniquum iudicium in commentariis noſtris de noua ſuarum inſtit. chirurg. edit. Amſtel. eneruat p. 134
29. LVDWIG Inſtitutiones phyſiologiae p. 141
30. BVRGGRAVII de aere, aquis et locis urbis Francofurtanae ad Moenum p. 158
31. BOISSIER Diſſertation ſur les medicamens etc. p. 167
32. Noua medica p. 171
33. Index ſcriptorum phyſico - medicorum quae anno 1752 prodierunt p. 180

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS II. PARSII.

LIPSIAE
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
venduntur etiam
AMSTELODAMI apud PETRVM MORTIER.
M D C C L I I I.

Jos: Banks



I.

Hiſtoire de l'academie royale des ſciences, année MDCCXLVII. avec les memoires de mathematique et de phyſique pour la même année, tirés des regiſtres de cette Academie, à Paris de l'imprimerie royale 1752. 4. mai. Hiſt. 18. pl. Mem. 4. alph. 1. pl. tab. 24.

Hoc eſt:

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum anni 1747. cum commentariis mathematicis et phyſicis ad eundem annum pertinentibus. etc.



Commentarios academiae ſcientiarum regiae pariſinae anno 1747. collectos et nunc publici iuris factos, curatius perluſtrare et indicare eo magis neceſſarium eſſe videtur, quo excellentiores, praeter varias mathematico-phyſicas, quae noſtrum inſtitutum non preſſius concernunt, phyſico-medicae in iis occurrunt elaborationes. Antequam vero ad commentarios ipſos accedamus, ſummam eorum, quae in hiſtoria proponuntur, in commentariis autem ipſis nec repetuntur, neque fuſius declarantur, explicabimus.

p. 51. Obſeruationes phyſicae generales:

1) Lapides pretioſi orientales magnum ignis gradum ſine coloris mutatione ſuſtinent, cum occidentales ignis vehementia agitati, aut cryſtallo ſimiles fiant, aut ſi opaci ſunt, colore amiſſo, albi appareant; topaſius vero braſilienſis in crucibulo, cineribus repleto, excandeſcens colorem luteolum in roſeum mutat rubino balaſſo (*rubis balais*) ſimilem. Obſeruationem hanc DUMELLE aurifaber cum Cl. GUETTARD communicauit.

2) De iride figurae ferme ellipticae, cuius pars concaua verſus ſpectatorem directa erat, Salmurii ad littora Ligeridis hora tertia pomeridiana a Cl. BOTIER obſeruata.

3) Sonus campanarum tempeſtates et tonitrua diſſipare vulgo creditur; Cl. DV HAMEL vero obſeruauit, turrim, in qua campanae agitabantur, fulgure tactam fuiſſe.

4) In piſcina quadam Saxo-gothana carpionibus repleta, an. 1747. piſcis carpioni ſimilis, longitudine quatuor pollicum inueniebatur, cuius caput auiculae, motacillae dictae, ſimile erat, roſtrum tamen ad latera coalitum, in ſuperiore parte rimam quatuor circiter lineas longam oſtendebat.

p. 54. Obſeruationibus anatomicis annumerantur ſequentia:

1) Vrſus, cui varia vehementiſſima venena exhibita fuerant, iiſdem non necabatur, duae tamen, eaeque leuiores punctiurae cum ſagitta venenata, quali incolae Americae ſeptentrionalis ad littora fluminis Maragnon utuntur, inflictae eundem inter quatuor vel quinque minuta horae trucidabant, quod experimentum, ſimili ratione in aquila tentatum, eundem habuit euentum, id quod vehementiam veneni illius declarat.

2) Medicinae quidam ſtudioſus in itinere botanico a vipera morſus, paulo poſt immobilitatem brachii, eiusque tumorem ſentiebat. Cl. IVISSIEV, qui aderat, de

de efficacia alkali volatilis in morſu viperae certus, medicamenti ex alkali volatili et oleo ſuccini parati (*eau de luſſe*) ſex guttulas in vehiculo aquae exhibebat, et vulnera digitis inflicta eodem medicamento fricabat. Hora praeterlapſa, cum aeger lipothymia corriperetur, idem medicamentum cum vino datum, eum excitabat, et delirio quidem et vomitu paulo poſt accedentibus, effectu tamen ſalutari pollebat ita, ut nox ſatis tranquilla ſuccederet, et aeger a medicamento aſſumto multum ſudaret. Sequenti die cum manus adhuc tumida inueniretur, fomentatio ex oleo oliuarum, cui pauxillum alkali volatilis admixtum erat, applicabatur. Sic tandem omnia diſſipata fuerunt veneni incommoda; et aeger, qui poſt ea per octo dies, binas guttulas medicamenti ter de die aſſumſerat, integra nunc fruitur ſanitate.

3) Vir quinquaginta ſex circiter annorum inſultibus arthriticis leuioribus per interualla vexatus, frigore vehementi ex improuiſo corripiebatur, et paulo poſt urinam lacti ſimilem reddebat, in qua ſedimentum album ſubſidebat argillae ſimile, quod tamen intra bihorium circiter duritiem cretae referebat. Haec excretio per nouem circiter menſes durabat, quo temporis ſpatio ſeptuaginta circiter libras cretaceae huius materiae excreuit, quae eum a feroci podagrae ingreſſu liberauit *.

 4) Binae

* **Similem urinae excretionem duplici exemplo confirmare poſſumus: Vir, qui ad ſexageſimum annum iam accedebat, diaetae regulis non adeo obediens, et in variorum medicamentorum uſu vitae et ſanitatis praeſidia quaerens, et pyrmontanas aquas pro potu ordinario eligens, per plures annos urinam ſimilem, cretaceo ſedimento conſpicuam, emiſit, et, ut viribus naturae validis, fractam quodam modo ſanitatem diu ſuſtinuit, ſic hac potiſſimum excretione praeſente, (interdum enim illa per aliquot dies remittebat,) melius ſe habere perhibuit. Alium quoque virum, qui**

4) Binae foemellae cuniculorum pasta ex puluere radicis gallii *, cum furfuribus et minutim concisis brassicae albae foliis remixta nutriebantur, quem victum lubenter assumebant, et iusto tempore pullos generabant, quorum ossa rubro colore tincta erant, licet matrum ossa nulla mutati coloris indicia ostenderent; lac tamen colore roseo tinctum inueniebatur.

5) Psittacus Florentiae custoditus albus crista plumosa rosea notatus, rostro pedibusque nigris, aetatem centum et triginta trium circiter annorum attigerat, id quod testimonium de longa harum auium vita praebet.

p. 78. Ad obseruationes chemicas refertur, tygridis urinam collectam odorem cantharidum praebuisse, et spiritum destillatum inde collectum in hystericis profuisse.

p. 79. In botanicis, occasione libri a Cl. GVETTARD editi, ** in quo Auctor systema Cl. LINNAEI in fragmentis methodi naturalis declaratum adoptauerat, et characteribus TOVRNEFORTII et LINNAEI suas de glandulis et filamentis in superficie plantarum reperiundis, obseruationes apposuerat, fundamenta characterum in plantis methodice disponendis in genere consi-

qui sexagesimum iam annum superauerat, similem, sed magis viscidam et mucosam urinam per aliquot menses excernentem vidimus, qui, cum ante hanc euacuationem de variis valetudinis aduersae insultibus conquereretur, post excretionem hanc vegeta sanitate et nunc fruitur. In neutro eorum podagrici dolores obseruati fuerunt, videbatur tamen aliqua ad hunc morbum dispositio adesse.

* vid. Acad. Roy. des Sc. ad an. 1746. Mem. p. 98. et Commentarii nostri. Vol. I. Part. II. p. 275.

** Obseruations sur les plantes. Tom. I. et II. à Paris 1747. 8.

consiederantur. TOVRNEFORTIVS nimirum corollae figuras ad classes plantarum constituendas assumserat, et LINNAEVS ad stamina et stylos respexerat, in iisque maiorem naturae constantiam deprehendi arbitratus fuerat. Licet enim tenera partium fabrica in non nullis floribus visum effugiat, illa tamen, lente magnitudinem pauxillum augente, considerari poterit. Cl. GVETTARDVS tandem in subdiuisionibus siue generibus inferioribus distinguendis, nouam quasi methodum iunxit; elegit nimirum glandulas in foliorum superficie positas, et pilos siue filamenta, quae ut ductus excretorii harum glandularum considerari possunt, hasque partes minutissimas auxilio lentis saepius tantum disquirendas, ad methodum plantarum perficiendam aptas iudicauit. Hanc vero methodum occasione commentariorum paulo infra fusius examinaturi erimus.

Ultimum denique locum in historia occupat *elogium* p. 130.
FRANCISCI DE LA PEYRONIE, ex quo praecipua tantum notare hic licet momenta. Natus ille in Montepessulano a. d. 15. ianuarii 1678. patrem habuit RAYMVNDVM, chirurgum illius loci celebrem, a quo literis, philosophicis in primis et physicis disciplinis bene imbutus, aeque minus, quam a Cl. CHIRACO patri amico, eo adigi potuit, ut medicinae se consecraret; chirurgiae potius fauens, antea quam ob aetatem ad eam addiscendam admitteretur, NISSOLIVM GERMANVM et BARANCY, chirurgos Monspelienses, primum in anatomicis demonstrationibus, reliquos vero in chirurgicis institutionibus priuatis et operationibus secutus est. Et ob hanc quidem, quam exhibebat, industriam, veniam aetatis nactus, anno seculi nonagesimo quinto, a chirurgorum societate discipulorum numero adscribebatur. Hoc facto, patris et CHIRACI consilio Lutetiam parisiorum, artis causa discedens, in MARECHALLI, primi tunc nosocomii,

comii, quod a charitate nomen habet, Regis poſt ea primarii chirurgi, domum atque familiaritatem peruenit, et praeter chirurgicas, anatomicas iterum, mathematicas etiam doctrinas tractauit, domum deinde reuerſus, duas priorum diſciplinarum priuatim primo, publice poſt ea, alios edocuit, et artem, quam didicerat, exercendo medicinam inſimul addidicit. Ipſe poſt ea chirurgus primus noſocomii Monſpeſſulani factus, pontifici maximo, a quodam ex eius miniſtris, quem curauerat, commendatus, numero equitum, qui Pii participantes dicuntur, adſcriptus, ſexto praeter ea huius ſeculi anno, Regiae ſcientiarum ſocietatis Monſpelienſis ſocius, cui anatomicae partes commiſſae erant, nominabatur, anno vero decimo quinto ob ſummam, quam ex artis exercitio conſecutus erat famam, Lutetiam pariſiorum, ut artem ibi profiteretur, Regis iuſſu vocatus, et in chirurgorum pariſinorum ſocietatem receptus, anatomen non ſolum in ſancti COSMAE collegio, ſed in regio etiam horto edocebat, et praeter chirurgica alia ipſi tradita officia, noſocomii charitatis chirurgus primarius euadebat. Decimo ſeptimo poſt ea anno ipſius protochirurgi regii locum, poſt obitum MARECHALLI occupandi ſpem atque promiſſionem acquirebat, ita, Regi commendatus, ut ille eius praeſentiam poſtulans, in regio non tantum palatio, quod Tuileries vocant, domicilium ipſi aſſignare iuberet, ſed nobilem quoque anno vigeſimo primo, eum nominaret, ipſi etiam, praeter alia gratiae ſuae documenta, praefecti palatii reginae, poſt aliquot annos, munus ac titulum tribueret. Haec, quae tantos ipſi honores, famam et commoda comparauerat, manuum medicina, eius etiam operam et in iuuando ſolertiam experiebatur. Praeter id enim, quod ſcholae chirurgicae pariſienſes a ſancto COSMA dictae et ex teſtamento chirurgorum quorundam inſtitutae, ob redituum defectum, labem quandam percipientes, eius cum MARECHALLI opera unita cura, ita

ita adiuuarentur, ut demonſtratores, a Rege conſtituti et ſtipendiis exornati, in iis docerent. Chirurgorum etiam academia, quae Pariſiis nunc eſt, a Rege, anno huius ſeculi trigeſimo primo inſtituta, natales ſuos, laudabili illius, in incrementum artis directo ſtudio, debet, neque inutile fuiſſe hoc eius conſilio perfectum inſtitutum, ſuis, quos hactenus edidit commentariis, comprobat, quorum nimirum primum volumen anno quadrageſimo tertio, Regi, ut conditori, offerendi noſtro contigit voluptas. Eodem illo trigeſimo primo anno inter nouos duos, quos ſcientiarum regia academia quatuor antiquis adiungere conſtituerat, legibus ſocietatis non adſtrictos eruditos, locus is noſtro tributus eſt, ex quo phyſicum et anatomicum ageret, quas partes tam ſtudioſe ille adimpleuit, ut, quamuis ex ipſa loci, quem occupabat, conditione, aliis praeter ea negotiis implicatus, ab academicis iſtis laboribus liber eſſet, ipſe tamen egregios quosdam commentarios ſocietati exhiberet, inter quos anatomica, animalis moſchiferi deſcriptio,* animae ſedis in parte cerebri declaratio **, et alia, Cl. MORANDO, in academiae utilitatem, tecto tamen nomine, communicata et ab illo poſt ea peculiari commentario illuſtrata, obſeruatio, quae nouam herniae curationem, et inteſtinorum coalitum, mediante meſenterii noua coniunctione procurandum, ſpectabat ***, tanquam praeſtantiores in rei demonſtrationem adducuntur. MARECHALLO poſt ea defuncto, ſolus noſter, primarii Regis chirurgi muneri praeerat, medici non tantum conſiliarii titulo, ſed clauigeri etiam regii honore condecoratus, ab inſtituti denique Bononienſis academia, quadrageſimo tertio anno, ſociis annumeratus. Non vero ut peritus et literis imbutus

 ſolum

* Memoires de l'acad. Roy. des ſciences l'an. 1731. p. 624. edit. Amſtel. 8.

** ibid. l'an. 1741. p. 271.

*** ibid. l'an. 1735. p. 335.

ſolum modo, ſed ſedulus etiam rebus ſuis inuigilabat et ſenex iam iam, Regem inſequente anno in caſtra ſecutus, ipſe vulneratos non tantum tractabat, ſed noſocomiorum etiam caſtrenſium curam gerebat eorumque integritati et ordini proſpiciebat. Quadrageſimo denique ſeptimo huius ſeculi anno febre per menſem et ultra detentus a. d. 24. april. fatis cedebat, annum agens ſeptuageſimum. Ob ſingularem vero in chirurgicis rebus, dum viueret, peritiam, et, quod operationibus ſic dictis chirurgicis, quantum absque detrimento aegroti fieri poterat, ſuperſedebat, omnibus et magnatibus etiam permultis, qui eius opera et conſilio utebantur, carus, poſt mortem adhuc de artis ſuae augmento adeo fuit ſollicitus, ut multis et variis modis ex teſtamento illud iuuare tentaret. Praeter illos enim, quos ſuis propinquis reliquit reditus, duas opum haud exiguarum tertias Pariſienſi chirurgorum ſocietati et academiae, reliquam vero Monspeſſulanis chirurgis legauit, eo animo, ut anatome in primis ac chirurgia, obſtetricia etiam ars et bibliotheca, munifico hoc inſtituto excolatur et ſuſtentetur, eorum denique, qui, chirurgorum academiae adſcripti, hocce conſilium exſequentur, ſtudium, aeque ac eorum, qui in themate ab hac academia, quotannis proponendo, omnium optime laborabunt, induſtria, nummis memorialibus aureis compenſetur, omnibus vero, encomio dignis hisce praeceptis, civium aeque ac artis commoda curentur et adaugeantur.

Ab his ad commentarios ipſos transeundum nunc eſt, ex quibus eos, qui ad nos pertinent, ordine eorum per numeros indicato, reliquis relictis, commemoramus.

p. 23. 2) *Deſcriptio pulli ceruini monſtroſi, a Rege ad academiam miſſi.* Auctore Cl. MORAND. Ad illam monſtrorum claſſem hocce pertinet, quod perfecte bicorporeum eſt, ſolo tantum pectore connatum. Exteriora enim

enim membra omnia rite se habebant, visceribus solum pectoris et abdominis mutatis. Cor nimirum simplex, cum statu naturali conueniebat, nisi, quod anteriori auriculae praeter ea accresceret saccus carnosus, cordis figuram imitans, et in auriculam hians; exibat vero minor ex hoc sacco arteriola, variis anastomosibus arteriae aortae iuncta, duobusque ramulis cum pulmonali etiam arteria communicabat. In venarum cauarum superiorum disquisitione duae inueniebantur, inferiorum autem unica tantum extabat. Vnicum hepar, unica vena portarum instructum, alterius pulli splen unicus, et naturalis, alterius vero duplex inueniebatur. In intestinis autem illa detegebatur varietas, ut duodenum utriusque corporis confluendo in communia utrique intestina prope suam originem terminaretur, ileum tamen circa finem diuisum in crassa, singulo pullo singula, abiret. Sexu erant pulli masculi, in umbilicali fasciculo, ex utroque foetu communi, alterius arteria quaedam deficere conspiciebatur. In sceleto tandem, ut in eius modi foetubus fieri solet, costae in unum confluebant sternum.

4. *De flamma olei terebinthinae per acidum nitri purum ad methodum* BORRICHII *excitata, et de incensione plurium oleorum essentialium et expressorum cum ipso hoc acido et coniunctim cum acido vitriolico.* Auctore Cl. ROVELLE *. OLAVS BORRICHIVS, duo liquida frigida inter se commista flammam concipere, exemplo olei terebinthinae et acidi nitri puri comprobauerat **; cum autem enchireses non accurate satis descripsisset, pluribus chemicorum tentaminibus occasionem praebuit, quibus quidem varia egregia experi- p. 34.

* d. 12. apr. 1747.

** Vid. TH. BARTHOLINI acta medica et philosophica hafniensia. Vol. I. ad an. 1671. 1672. Obs. *LXXI.* p. 133. Hafniae 1673. 4.

perimenta de flamma, a liquidis excitata, debemus, licet ipsum BORRICHII experimentum non satis declaratum fuerit. Cl. Auctor de veritate assertorum BORRICHII per alia experimenta satis certus, et hanc olei terebinthinae incensionem tentauit, et summam experimentorum tribus articulis sequentibus proposuit. Agit itaque

p. 36. Articulo primo. *De flamma olei terebinthinae, cedro, iuniperi et lauendulae per acidum nitri purum excitata.* BORRICHIVS quatuor uncias olei terebinthinae recenter destillati et sex uncias aquae fortis aut acidi nitri optimi in vase amplo commiscuit, agitauit et vas cooperiit, post horae dimidium vas aperuit, et validam efferuescentiam cum fumo denso, et paulo post flammam inde natam, obseruauit. Auctor noster acidum nitri accuratius definiuit, ita, ut cum volumine unciae unius aquae comparatum, primum, quod debile erat, sub eodem volumine, pondus unciae unius drachmarum sex et scrupulorum duorum, secundum concentratum unciam unam et semis, exceptis granis duodecim, tertium magis concentratum unciam unam et semis scrupulosque duos obtineret; cuncta vero ita examinauit, ut certus esset, acidum peregrinum iisdem non admisceri. Inter plurima tentamina unicum tantum flammam exhibuit; cum etiam virga quadam massam commixtam agitasset, in ea agitatione causam phaenomeni, sed frustra quaesiuit; tandem in commixtis his et agitatis liquidis, corpus fungoso carboni simile, quale oleum Guaiaci exhibet, quando acido nitri flamma producitur, generari vidit, et in carbone illo incensionis causam quaesiuit: attamen et hac re cognita, non semper flammam excitauit, usque dum tandem, carbone formato, parum acidi nitri adderet et ita de euentu semper certus esset. Postquam igitur veram experimentum instituendi methodum exposuit, rationem, cur exoptatus euentus non semper sequatur, in eo ponit, quod carbo oleo cinctus in

contactum

contactum acidi nitri venire non possit. Si vero casu in contactum veniat, tunc succedit incensio, ideoque et haec commixta, addita quadam acidi nitri parte, flammam concipiunt. Reliqua cum indicatis oleis susceptа experimenta lubenter omittimus, quoniam quaedam tantum de proportione commiscendorum et in primis gradu concentrationis acidi nitri docent.

Articulo secundo, *de incensione oleorum expressorum lini, nucis iuglandis, caryophyllorum, cannabis, per acidum nitri tantum et per additum acidum vitrioli facta.* p. 43. Oleum lini, primo acido nitroso admixto, licet fortius agitatum fuerit, flammam non excitauit, uncia semis tamen olei lini et acidi nitrosi secundi, post agitationem et insignem efferuescentiam, nouo acido nitri carboni fungoso applicato, flammam concepit; tres tamen drachmae acidi nitri addendae erant. Uncia semis olei lini cum uncia acidi nitrosi tertii remixta, vehementius longe efferuescebat, et tunc pauxillo acidi nitrosi carboni addito, flamma excitabatur. Idem euenit, si ad anaticam portionem olei et acidi nitri, eadem copia acidi vitriolici affunditur. Oleum nucis iuglandis a primo et secundo acido nitri non incendebatur; si vero acidum nitri tertium vel vitriolicum adderetur, tunc, enchiresi consueta, scilicet applicatione pauxilli acidi nitrosi ad carbonem, res ex voto cessit. Reliqua olea commemorata vix alia phaenomena exhibuerunt.

Articulo tertio, *de oleis expressis oliuarum, amygdalarum dulcium et napi, quae flammam per acidum nitrosum solum non concipiunt, sed concursum acidi vitriolici et enchiresin singularem exigunt.* p. 46. Tentamina cum primo et secundo acido nitroso inutilia fuisse, ex eo apparet, quod et tertium acidum, idque maiori copia additum, efferuescentiam quidem et fumum, nullam vero flammam, exhibuerat, et ideo quidem, quoniam nullus carbo in his remixtis liquoribus formabatur. Partes igitur aequales v. c. uncia semis olei oliuarum,

acidi

acidi nitroſi et acidi vitriolici, agitationem, fumos, primo nitroſos, poſt ea ſulphureos, nullam vero flammam, excitabant, quae et tunc quidem non oriebatur, ubi uncia circiter acidi nitri addita erat. Idem cum reliquis oleis nominatis euenit; in his tamen omnibus eodem modo, ut in oleo oliuarum ſequenti ratione flamma excitata fuit: Aequalis portio v. c. uncia ſemis acidi nitroſi et vitriolici remiſceatur, et poſt ea unciae ſemis olei oliuarum admiſceatur; haec remixta paululum quieſcant, et poſt ea vehementer efferueſcant; tunc in phiala praeſto ſit uncia ſemis acidi nitroſi tertii, quae per partes addita efferueſcentiam auget, usque dum carboni interea formato ultima portio acidi nitroſi affundatur, et ita flamma oriatur, quae tamen non adeo inſignis eſt, ut in praecedentibus experimentis, ſed partiales tantum flammae per foramina maſſae commiſtae quaſi ſcintillant. Ex variis corollariis, quae ex praecedentibus experimentis eliciuntur et a Cl. Auctore exponuntur, unicum illud, quod explicationi phaenomenorum potiſſimum inſer-
p. 52. uit, adducturi ſumus. Acidum vitriolicum non agit in oleum, ſed in acidum nitroſum, ideoque ad flammam excitandam immediate nihil confert, ita potius agit, ut acido nitroſo phlegmaticam partem ſubducendo flammae eruptionem acceleret. Hoc quidem aſſertum ex eo potiſſimum probatur, quod acidum vitriolicum aquoſam partem facile attrahat.

p. 59. 7) *Varia experimenta circa calcem inſtituta.* Auctore Cl. DV HAMEL *. Anno trigeſimo tertio huius ſeculi, Cl. Auctor ſibi propoſuerat, calcis praeparationem, reſorptionem humidi a calce viua, obſeruata circa calcem extinctam, et aquae calcis viuae compoſitionem per experimenta cum variis acidis et alcaliniş ſalibus facta, definire; aliis vero negotiis huc usque impeditus nunc, cum hanc ipſam rem a chemicis celeber-

* d. 2. aug. 1747.

celeberrimis MALOVIN et MACQUER diligentius tractatam conſpiceret, varia tantum, quae haec experimenta concernunt, in hoc commentario tradit, ex quibus primaria breuibus indicabimus. Marmoris albi librae 26. unciae 8. poſt calcinationem 17. libras ponderabant, ideo 9. libras et 8. uncias ponderis amiſerant. Lapidis calcarei libra una in calcinatione amiſerat uncias 8. drachmas 5. ſcrupulos 2. et grana 4; huic calci in pollinem redactae et aeri expoſitae unciae 3. drachmae 3. et grana 6. acceſſerunt. Marmoris itaque tertia pars calcinatione diſſipata fuit, cum lapidis calcarei dimidium in auras diffflatum fuerit, quod quidem duritiei marmoris adſcribendum eſt. In ſolutio- p. 65.
ne calcis viuae per aquam quoque cognouit, calcem ex lapidibus durioribus paratam plus aquae bibere, quam illam, quae ex mollioribus lapidibus paratur, ideoque etiam calx ex marmore parata maiorem copiam aquae imbibit, quam illa, quae ex lapidibus calcareis durioribus parata fuit. Calcis ex marmore paratae libra una in menſura una gallica (*pinte*) aquae extinctae non adeo pinguis apparebat, ſed poſt octiduum tantam acquirebat duritiem, ut cultri apice vix diſcindi poſſet, et ſuperficies candidiſſima et ſplendens obſeruaretur. Duae librae calcis viuae cum binis aquae p. 66.
menſuris extinctae, et poſt ea exſiccatae poſt octodecim menſes libras 3. uncias 4. ponderis habebant, et in conclaui calefacto magis exſiccatae parum omnino ponderis amittebant; calcinatio ſat fortis pondus illud ad libras 2. uncias 14. et drachmas 2. reducebat, calx vero eo gradu calcinata cum ſtrepitu in aqua non extinguebatur, ſed hanc tantum non nihil adſtrictoriam reddebat. Calcinatio tandem vehementiſſima cum uncia una huius maſſae ſuſcepta, drachmas 3. et grana 18. humiditatis expellebat, ita, ut drachmae 4. et grana 42. ſolidae calcis ſupereſſent, quae tandem aquae immiſſa cum ſtrepitu extinguebatur. Ex his quidem aquam cum particulis calcis intime uniri cognoſcimus,

calcem

calcem extinctam per calcinationem nouam reddi iterum viuam, adhaesionem aquae affusae tam firmam esse, quam naturalem in lapide calcareo, aquam ideo
p. 69. duritiem corporum augere. Aqua calcis viuae per filtrum depurata et euaporata laminas seleniticas ostendebat; aqua remanens pauca flaua, pinguis, acris, cum oleo vitrioli efferuescebat, et halitus acido salis communis similes spirabat, instillato oleo tartari per deliquium terra alba subsidebat. Sal calci proprium pro differentia lapidum, ex quibus calx viua praepara-
p. 70. tur, varium esse videtur. Spiritus vini cum aqua calcis remixtus in euaporatione primo odorem spiritus vini, in fine vero aromaticum vanillae similem exhibuit, et laminae seleniticae formatae magis pingues
p. 71. deprehensae fuerunt. Oleo vitrioli affusa aqua calcis, similia phaenomena, quae ab aqua communi excitantur, producebat: commixtus liquor pellucidus manebat, et in euaporatione interni parietes vitri supra liquorem nigro puluere conspersi et quasi fuligine inquinati conspiciebantur; calci in aere libero in pollinem resolutae oleum vitrioli affusum efferuescentiam et calorem excitabat, sed calx non resoluebatur; massa vero remixta post nouem menses examinata, insigne voluminis augmentum acquisiuerat; aqua enim ex aere resorpta debilitauerat acidum, quo eo melius in calcem agere posset. Interior vitri paries fuligine tenui obductus reperiebatur, et aqua, et frigida et calida affusa crystallos seleniticas eluebat. Calx ex ostreis parata laminas seleniticas magis albas, nullam vero fuliginem in vitro ostendebat. Vapores ex remixtione calcis et olei vitrioli emergentes collecti, non acidum
p. 74. salis, sed acidum vitriolicum referebant. Eadem experimenta cum acido nitri instituta exiguas tantum crystallos in subsidente et gummoso quasi magmate exhibuerunt, cuius examen non absolutum fuisse videtur, ex eius tamen destillatione per retortam apparet,
p. 77. acidum nitri calcem volatilem reddere. Calcis in aere extinctae

extinctae particula cum affuſo ſpiritu ſalis efferueſcebat, diſſoluebatur, et maſſa flaua butyro ſimilis ſubſidens inueniebatur; haec quidem in aqua diſſoluta terram primo ponderoſam, poſt ea leuiorem praecipitabat; in ſpiritu nitri, exceptis laminis quibusdam ſeleniticis, diſſoluebatur: idem ferme cum oleo vitrioli ſucceſſit. Ex retorta tandem deſtillatus ille liquor in vaſe recipiente leuem acidi ſaporem praebebat et caput mortuum in retorta relictum in aere deliqueſcebat. Acidum ſalis itaque illam, quam acidum nitri efficit volatilitatem, producere nequit. Acetum deſtillatum, p. 79. cum aqua calcis, et calce in aere extincta, remixtum, non cryſtallos, ſed filamentoſas concretiones exhibuit. Calx cum ſale tartari calcinata et in aquam immiſſa non extinguebatur, ſed poſt aliquot dies maſſa in fundo concreſcens gypſo ſimilis inueniebatur. Aqua per filtrum traiecta in margine vitri quasdam cryſtallos formabat, terra vero in fundo ſubſidens parum cryſtallina, in aqua tandem ſolubilis, erat. Oleum tartari per deliquium aquae calcis inſtillatum terram albam praecipitatione deponebat, et liquor iterum per filtrum traiectus poſt euaporationem, cryſtallos in lixiuio pingui alkalino natas monſtrabat. Colligitur inde, in aqua calcis acidum eſſe, quod terram diſſolutam retinet, et cum alkali cryſtallos format, quae ad tartarum vitriolatum accedere videntur, ſed lixiuioſum ſaporem referunt, et in aceto deſtillato debilique ſpiritu nitri ſoluuntur.

Plura, quae ad electricitatem pertinent, illuſtrat p. 102. Cl. NOLLET, ea praecipue, quae contradicere ſibi videntur, et *primo* quidem hoc ſcripto, regulas, *ex quibus diiudicetur, ſitne corpus magis, an minus electricum?* Facile hic errari poteſt, quum quaecunque electricis corporibus dignoſcendis adhibeantur, etiam non electricis fere omnia conueniant. DV FAY, electricus factus manu chartam tenuit foliolis aureis con-

ſperſam, haec ad digitum non electrici advolarunt, repulſaque fuerunt, ac ſi digitus eſſet vitrum frictione excitatum. Neque verum eſt ex ſolo corpore, quod electricum vocari ſueuit, electricam vim exire. Hominem pici impoſitum, fortiter electricum reddit Cl. NOLLET. Alius, nihil communicatae electricitatis habens, ſolo inſiſtens, manui prioris extenſae digitum ſuum adpropinquat, ex quo pro diſtantiarum diuerſitate, ventus, fremitus, ignis, exeunt; per omnia ſimilia illis, quae a non electrico, qui vulgo dicitur, ex electrico eliciuntur, ut, qui phaenomena ſaltem, non apparatum conſpexerit, uter amborum pici inſiſtat globo vicinus, diiudicare plane non poſſit. Ergo non in alterutro ſolo eſt vis electrica, ſed in ambobus et utrique effluit ac adfluit.

Res vero quaedam cum, ut notiſſimum eſt, facilius transmittant materiam, quam aliae; leuia corpuſcula ſeu paleas a corpore quodam fortius, quam ab alio trahi, non indicat illi maiorem vim ineſſe, ſi forte paleae exponantur ipſi ope rei liberum materiae tranſitum concedentis, v. g. metalli, ſcilicet paleae metallo impoſitae, materia ex hoc effluente, verſus tubum vehuntur, ab huius vero effluuiis verſus metallum repelluntur. Contra ex reſinoſis corporibus parum materiae exit, et hinc difficulter ab illis tubus paleas auocat, niſi forte reſinoſa incaluerint; tunc enim liberius materiam transmittunt. Igitur hominis duae manus aequaliter electricae, non aequaliter mouent paleas duabus chartis impoſitas, quarum unam homo ſolo inſiſtens manu ſuſtinet, alteram fila ferunt, ſed manus electrica, cui prior charta contigit, fortiores in ea motus excitat. Praeter ea materies et figura corpuſculorum, quae moueri debent, plurimum diuerſitatis producunt. Electricitas frictione excitata aliis quibusdam ſignis ſe prodit, quam communicata. Globus vitreus mediocriter frictus particulas odoriferas ad pedis diſtantiam eiicit, homo eius ope electricus reditus

ditus non item: Raro etiam communicata electricitas eo modo, quo originaria, tubi frictione excitata, in facie hominis ipsi propioris eum sensum excitat, ac si araneae tela per illam duceretur. Contra, scintillae ex animali aut metallo electrico fortiores multo, quam ex vitro ipso eliciuntur, ut his signis illa magis electrica videantur hoc, unde habere dicuntur vim electricam.

Electrica vero materies ex corpore effluens, aufert inde quicquid in superficiebus illorum reperit, fluida praecipue, quibus madent. Dum frictione globos excitauit Auctor, vidit in illis maculas fuscas, quas pro impuritatibus a corpore suo aut vestimentis vitro adhaerentibus habuit, sed collecta harum macularum materie, et carbonibus combusta, odorem cutis ustulatae sentiit, cauit deinde, ne ea ex vestibus suis accedere posset, satisque adhuc copiosam reperit, ut e corpore ipso accessisse certus sit, transpiratione scilicet vehementiore, a materia electrica exeunte, ad globum delata. Scintillae etiam variant, non solum vis electricae diuersa magnitudine, sed aliis etiam circumstantiis, quas uberius exponit Auctor, quam ut sequi illum hic liceat, cum ab iis, qui electricis occupantur, scriptum ipsum necessario legendum sit, aliis adducta sufficiant.

11) In secundo scripto Cl. NOLLETVS *de circumstantiis externis, quae fauent vel obsunt electricae vi*, loquitur, frigore, humiditate, densitate aeris, et oppositis, actione luminis, flammae, vaporum, corporum, quae electrica reddi debent, figura et magnitudine atque cum iis, quae non electrica fiunt, nexu et similibus. Et hic multa accuratius distinguit, quam factum est huc usque a physicis. Negat in experimento leidensi simpliciter ex succussu inferri posse, corpus, quod eum patitur, electricum reddi, aut electricitatem per id spatium propagari, per quod succussus p. 149.

cuſſus propagantur, etſi non neget eo modo, quo experimentum inſtituitur, corpus, quod ſuccutitur, electricum reddi: ſed ſimiles ſuccuſſus gradu ſaltim diuerſi habentur eliciendo vulgari modo ſcintillam ex ferro magno fortiſſime electrico. Humidam aeris temperiem obeſſe electricitati, confirmat ſuis et GORDONI experimentis, notatque eos, qui alia ſibi obtigiſſe ſcribunt, talem aeris ſtatum, quo pluuiae per interualla decidunt, pro *pluuioſo*, quo ut continue pluat oportet, accepiſſe. Manum vitro fricando puluinaribus praefert, ſed eius cutis, ſi mollior ſit, non ſatis fortes frictione in vitro vibrationes excitat, ſi humida eſt, lubricitas motus inter manum et vitrum impeditur, quae duo, ut vis electrica frictione excitetur, neceſſaria ſunt. Ceterum, ſi manus ſaltem ſicca ſit, reliquum corpus ſudore vel aqua madeat, nihilo infelicius frictio ſuccedit. Nicotiana utentes, et ſudore diffluentes, electricos reddi, tuetur contra BOSIVM, cui ceteroquin id laudis tribuit, numquam fere in factis videndis eum falli et rem electricam egregie auxiſſe, aliaque ad negotium, in quo verſatur, pertinentia exhibet rectius apud ipſum legenda.

p. 207. 13) Tertium NOLLETI ſcriptum electricum definit, poſitis ſuperficiebus aequalibus, maiorem maſſam, fortius electricam fieri minore homogenea, neque ſemper poſitis maſſis aequalibus maiorem electricitatem ad ſuperficiem maiorem pertinere. Deinde num figurae certae aut dimenſiones, melius, quam aliae, corpori electrico reddendo conueniant, et num electricitas longo tempore continuata, aut ſaepius in eodem corpore repetita, qualitates eius alteret, vel maſſam minuat, diſquirit. Sed haec omnia, longiora pluribusque cautionibus munita ſunt, quam ut excerpi hic queant.

15) *Exa*

15) *Examen fontium quorundam mineralium Galliae ſpeciatim Baredgianae vallis* (Baredge). Auctore Cl. LE MONNIER medico *. In examine aquarum mineralium Galliae occupatus Cl. Auctor in hoc commentario non niſi eas aquas, quae in valle Baredgiana ſcaturiunt, diſquirit. Mons praealtus, arboribus obſitus, ex ſabulo et non nullis venis marmoris albi compoſitus, ad radicem plures ſcaturigines aquae calidae emittit, quae in quatuor balnea colliguntur. In his vapor calidus ſulphureus, non adeo ingratus ut vapor hepatis ſulphuris, percipitur, in refrigerata vero aqua talis odor non obſeruatur; ſapor ſubdulcis diutius durat, quam odor, nec adeo ingratus eſt; tangenti digito laeuigantem ſaponis ſenſum imprimit; aqua etiam oculo vel vulnuſculo inſtillata nullum dolorem excitat. Aqua haec pellucida aquae communi ſimilis, tenui tamen pellicula oleoſa obducitur, et calor pro balneorum varietate a 90. ad 100. usque ad 113. gradus thermometri Farenheitiani aſcendit. Aqua frigori expoſita nec motum quendam, nec bullulas copioſas aeris, nec ſedimentum oſtendit, ſed pellucida manet; nec aer ſiue elaſticum non nullarum aquarum mineralium principium, nec martiales particulae in ea reperiuntur. Aqua ipſa ſyrupum violarum non mutauit, concentrata vero ſmaragdinum colorem eidem induxit; acida varia mineralia affuſa, nullam efferueſcentiam excitarunt; acidum vitrioli, dilutum tamen, odorem ſulphureum auxit. Nec oleum tartari per deliquium, nec aqua ſalis calcis, nec ſolutio ſublimati corroſiui, nec ſpiritus ſalis ammoniaci pelluciditatem aquarum mutarunt, ſola ſacchari ſaturni ſolutio aquam non nihil turbidam reddidit et nubeculam albam in ea contraxit. Aqua calida laminae argenti ſenſim ſenſimque colorem nigrum induxit, frigida non aeque. Solutio argenti cupellati in ſpiritu nitri optimo, aquae calidae immiſſa, hanc turbidam reddidit, quae tamen, ſedimento

p. 259.

p. 262.

* d. 9. dec. 1747.

mento piceo depoſito, quod argentum praecipitatum cum ſulphuris vel petrolei parte remixtum oſtendit, iterum pellucida facta fuit. Sed hoc quoque experimentum in aqua refrigerata non ſucceſſit. Cl. Auctor porro 60. libras aquae blando calore in vaſe ſtanneo euaporatione ad duas libras reduxit, quas in lagena collectas ſecum Lutetiam pariſiorum apportauit. Sub ipſa euaporatione aqua calefacta odorem ſulphuris non amplius ſpargebat, argenti laminam nigredine non inquinabat, nec pelliculam pinguem nec ſedimentum
p. 265. ullum oſtendebat. Lagena, in qua aqua aſſeruabatur, in collo anguſto vacuo tantam aeris copiam collegerat, ut ſuber, quo obturatum erat orificium, vix motum vehementi impetu explodereturet foetidiſſimum ſulphuris halitum, et fortiorem, quam aqua prope ſcaturiginem praebet, emitteret. Quousque Cl. Auctoris aſſertum valeat, aquam putrefactione dotes in ſcaturigine praeſentes et amiſſas iterum recipere, definire vix poſſumus. Experimenta quaedam ſuperius iam recenſita, quae in euaporatione aquae non amplius ſucceſſerant, nunc denuo in aqua hac aſſeruata cum ſucceſſu inſtituta fuerunt. HALESIVS quidem in aquis martialibus obſeruauit, ochram praecipitatam in aquis corruptis iterum ſolutam fuiſſe, in noſtra vero aqua nullum praecipitatum aderat iterum ſoluendum. Hae duae aquae librae, euaporatione ad dimidium reductae, flocculos exhibuerunt, qui collecti mucorem retulerunt ei ſimilem, qualis in aquaeductibus haeret; hic exſiccatus triginta grana aequabat, ab aſperſo oleo vitrioli vix mouebatur, et carbonibus iniectus leuem bituminis odorem ſpirabat. Euaporatione continuata, flocculi minores, ſed grauiores et copioſiores apparebant, qui collecti et exſiccati 25. grana aequabant, aſperſo oleo vitrioli, vehementer efferueſcebant, carbonibus iniecti non decrepitabant, ſed grauem corii aduſti vaporem ſpargebant. Quod reliquum erat liquoris, ulterius inſpiſſatum mellis conſiſtentiam

sistentiam referebat, igne aucto ut sal tartari turgescebat, aerisque humiditatem breui attrahebat; oleum vitrioli vehementissimam in eo excitabat efferuescentiam, et paulo post in massa residua tenues salis mirabilis GLAVBERI crystalli apparebant. In omnibus residuis calcinatis vestigia martis nulla inueniebantur. Aquae hae minerales, licet copiose bibantur, ventri- p. 269.
culum nunquam grauant, sed corpus blando motu transeunt, nulla vis purgans in iis animaduertitur, sed per vias urinarias transeunt et magis adhuc perspiratione insensibili dissipantur. Gradus vero perspirationis auctae Cl. Auctor ad stateram in proprio corpore disquisiuit, et in commentario annotauit.

17) *Dissertatio continens emendationes ligni parcendi* p. 287.
causa in coquendis mineris obseruandas, in qua methodus facilis traditur, mineras lapideas ducatus burgundici eodem, quo terreas eiusdem prouinciae mineras cum fructu tractandi. Auctore DE COVRTIVRON*. Magnam lignorum copiam in varios domesticos usus comburendo consumi certum est, ita, ut incrementa nemorum in plerisque Europae prouinciis, etiam cultura accedente, non tanta esse, quam eorum decrementa, Cl. Auctor ostendat. De lignorum itaque parsimonia in Gallia quoque obseruanda fusius disserit, et potissimum in coquendis metallis ad eandem respiciendum esse monet. Ipse quidem opus meditatur, in quo de mineris, furnis et reliquo apparatu, ad metallurgiam pertinente, in primis de ferri officinis in ducatu Burgundiae stabilitis, dicturus est: nunc eius tantum partem, in consideratione ferri minerarum, proponit. Ferri minerae non in venis decurrunt, sed particulae martiales per aquas adductae, argillae aliisque terris adhaerent, iisque mineralem hanc indolem inducunt. Mineras has terreas dicit, quando crocus martis siue grana ferri varia terris insperſa deprehen-

 duntur;

* d. 12. april. 1747.

duntur; poſtquam vero hae ipſae in variis tractibus ducatus burgundici rariores fieri coeperunt, minerae ferri lapidoſae disquiſitae fuerunt, in quibus variae huius metalli particulae vel ante earum mutationem in lapidem, vel, eo iam formato, in poros et interſtitia eius ſeſe inſinuant. Tales minerae lapideae nunc copioſius effodiuntur et ad ferri coctionem adhibentur, in primis cum terreae minerae rarius nunc inueniantur. Uti vero minus conueniens erat, primo integras mineras in furnum immittere, ſic contuſio paulo poſt aptis quibusdam machinis ſuſcepta, ideo non probanda erat, quod lauando plures particulae martiales abripiebantur, aliaeque non metallicae relinquebantur. Suadet itaque et experimentis inſtitutis declarat, mineras ferri lapideas per aliquot annos tempeſtatum viciſſitudinibus exponendas eſſe, quo fatiſcant et inde quaſi in mineras terreas mutentur. Concedit etiam commixtionem variarum minerarum ferri, in Germania uſitatam, ferri coctionem adiuuare poſſe, de qua tamen re, per experimenta inſtituta et inſtituenda certior redditus, alio loco dicturus eſt.

p. 309. 19) *Obſeruationes botanico-meteorologicae* * *per annum 1746. a Cl.* DV HAMEL *factae*, continent ventorum, frigoris, caloris, uno verbo tempeſtatum per ſingulos fere dies annotatas viciſſitudines, variumque inde mutatum vegetabilium creſcendi, florendi, fructusque ferendi modum, quem deinde, generali illarum viciſſitudinum idea deſcripta, ulterius exponit Cl. Auctor, ratione ſcilicet habita cerealium, aliorumque vegetabilium, quorum uſus in primis domeſticus atque oeconomicus eſſe deprehenditur, ſimulque is docet, quaenam prae aliis inſecta prouenerint, et quid apibus, feris et manſuetioribus animalibus acciderit. Ex his, quarum princeps uſus in eo loco, ubi inſtitutae

* d. 17. iunii 1747.

tae fuerunt, esse intelligitur, obseruationibus generales quasdam, quae communi magis usui esse poterunt, recensebimus. Notari enim meretur, quod omnis fere sementis iam dicto anno facta fuerit talibus granis, quae iam germinauerant. Agricolae enim experientia didicerant, quod grana, germinata quidem, sed in metis coaceruata, iterumque sicca facta, dummodo germina non insigniter longa fuerint, ea denuo noua protrudant. Oeconomicus usus inde proueniens satis conspicuus est, cum grana talia pani coquendo haud bene apta fuissent. Tempus diu pluuiosum, quo messis anno 1745. facta fuerat, occasionem dederat, quod multa frumentorum genera in campis adhuc germina emiserint, quæ, si duobus aut tribus longiora essent pollicibus, nec ad sementem, neque ad panis coctionem, saltem ad pabulum pro animalibus idonea fuerunt; panis tamen, qui ex farina granorum, qnae breuiora habuerunt germina, coctus fuit, boni fuit saporis: sed farinae sat modicam ea praebuerunt copiam, ita, ut horrea quidem replerentur frumentis, usus inde tamen vix ad quartam frugiferi anni partem accederet. Mense maio auenae partem corrupit aliquis morbus, qui a succorum abundantia dependere visus fuit, (*les avoines bouloient*). Talis enim dicitur, quando in extremitate inferiore bulbi genus, et ex hoc parua spica oritur, auena tum ulterius non crescente. Contra pestem boum, quae, uti in reliquis Europae prouinciis, sic et in Gallia huc usque grassata fuit, ne ulterius serpat, unicum quoque praesidium in fuga contagii, ideoque omni interdicendo commercio, Cl. Auctor ponit. Veritatem eius rei obseruationes quoque, a nostratibus factae, confirmant. Excipit hunc commentarium alius epitomen obseruationum de morbis, eodem anno Aureliae et circa eam urbem, aliamque *Pluviers* dictam, prae aliis obuiis visis, continens; quarum illas Cl. ARNAVLT DE NOBLEVILLE, medicus regius Aureliae constitutus,

p. 328.

p. 329.

p. 330.

p. 336.

p. 337.

has vero Cl. DE MVLCAILLE, medicus regius, cum Cl. DV HAMEL communicarunt. Ad modum eae breues sunt, et quod ex iis adducamus, notatu digni
p. 339. parum continent. Mense ianuario ophthalmia inter infantes frequens fuit, contra quam ad eluendos oculos, simplex altheae decoctum maiori cum fructu, quam alia longe celebrata collyria, medici adhibuerunt. Rebelle tamen saepe fuit istud malum, tantaque lacrymarum acrimonia, ut in plurimorum infantum
p. 339. oculis ulcera et pterygia efficerent. Mense maio febres continuae putridae ut plurimum lethiferae multitudinem hominum aggressae fuerunt, aegris ab initio delirantibus, et de capitis grauitate et serosis deiectionibus alui conquerentibus. Die nono aut undecimo saepius accessit sanguinis per nares profluuium, nullo modo compescendum, quod die duodecimo aut decimo quarto aegris vitam eripuit; eorum autem, qui euaserunt, totum corpus intumuit. In quibusdam sub finem morbi eruptiones herpeti similes, magnitudinem thaleri aequantes, in abdominis superficie ortae, conspicuae fuerunt. Methodus contra hunc morbum ea visa fuit optima, ut ab initio vomitus excitaretur, dein sanguinis modica quantitas bis detraheretur, laxantibus tum illico aegris propinatis. Contra
p. 341. febres intermittentes duplicatas tertianas, mense augusto regnantes, medicamenta refrigerantia copiose data, tales etiam clysteres, venae sectio, et post ea demum data laxantia citius profuerunt, quam vomitoria in principio et ante refrigerantium usum ingesta, licet morbus cum vomitu bilioso inceperit.

p. 363. 22) Cl. MAIRANVS librum suum de aurora boreali illustrat, et iis quidem, quae hoc volumine continentur, potissimum contra Cl. EVLERVM in scriptis academiae prussicae Vol. II. aliter sentientem disputat. Et MAIRAN quidem causas lucis eius ab atmosphaera solari deduxerat; EVLERVS, una cum caudis cometarum.

rum, a particulis radiorum ſolarium ope impulſis. Oſtendit igitur MAIRAN, nec plane nouam eſſe EVLERI ſententiam, ſaltim de caudis cometarum, nec, quae ille ſuae hypotheſi obiecerat, ſatis firma eſſe, praecipue quae de atmoſphaera ſolari in annulum, ut annulus ſaturni eſt, abeunte, dixit, geometricis ratiociniis refellit.

29) *Obſeruationes botanico-meteorologicas a* Cl. GAVTIER, *medico regio, in Canada factas* cum academia communicauit Cl. DV HAMEL. Continent eae omnes aeris viciſſitudines a menſe octobre anni 1745. ad ſeptembrem usque ſequentis anni in illa prouincia annotatas, cum vegetabilium vegetatione eorumque ſimul fructificatione, et morbis per ſingulos menſes prae aliis obuiis, exacte deſcriptis. Ad finem annexae ſunt tabulae, ſex interciſionibus diſtinctae, in quibus per ſingulos cuiusuis menſis dies gradus thermometri tam matutino quam veſpertino tempore obſeruatos, porro varium coeli ſtatum, dein pluuiarum, tandemque ventorum rationem, ex qua plaga hi fuerint orti, multo ſtudio notata legimus. Sua omnino hiſce laboribus manet utilitas, quae tamen in ea potiſſimum prouincia, ubi talia obſeruata ſunt, ſeſe exſerit. Quid a nobis vero inde referendum eſſet, haud inuenimus. In genere illud modo dicere poſſumus, quod aeris temperies per totum illum annum in Canada tam grata tamque ſalutaris fuerit, ut nulli non ſolum morbi epidemice in ea prouincia ſaeuierint, ſed omnia quoque, quae terra ibi fert, vegetabilia laete creuerint, iuſtoque tempore abundantem meſſem praebuerint. p. 466.

31) *Commentarius ſecundus de glandulis plantarum, qui prior eſt de uſu harum partium in definiendis generibus plantarum.* Auctore Cl. GVETTARD. In flore plantarum characteres, quibus genera definiuntur, quae- p. 515.

quaerendos esse, Cl. Auctor cum praestantissimis nostri aeui botanicis concedit, in limitibus tamen generum inferiorum distinguendis, et glandulas et filamenta, in superficie plantarum passim deprehendenda, ita a natura distincta inuenit, ut dubia genera inde definiri queant. In editis anno 1745. academiae scientiarum parisinae commentariis * considerationem harum partium proposuerat, septem glandularum, et viginti pilorum vel filamentorum, differentias constituerat, iconibusque illustrauerat, in primo autem illo commentario de glandulis miliaribus et vesicularibus fusius egerat, in obseruationibus praeter ea plantarum, supra citatis **, varias plantarum species, his characteribus additis, distinxerat: in hoc vero secundo et paulo post in tertio commentario in eo est, ut obseruatas glandularum et filamentorum differentias ad ea potissimum genera definienda applicet, quae a variis botanicis distincta, a LINNAEO iterum coniuncta fuerunt. Quaestionem quidem nec mouebimus, nec discutiendam nobis sumemus, num corpuscula adeo exigua, per varias plantarum partes, folia in primis, disseminata, et lentis ope disquirenda, definiendis generibus inseruire possint, id tantum nostrum erit, ut quaedam specimina proponamus, quo lectoribus nostris ideam methodi Auctoris exhibeamus. Sed et hoc institutum difficillimum esse, praeuidemus. Praeter id enim, quod ex priori commentario differentias glandularum et filamentorum nec repetere, nec iconibus illustrare, et ita lectoribus nostris cognitas reddere valeamus; nomina specierum, de quibus in his commentariis sermo est, pro arbitrio Auctoris assumta, nec ex recentiori quodam botanico citata deprehendimus, et hoc, quo haec scribimus, tempore characteres, a Cl. Auctore assum-

* vid. Histoire de l'academie roy. des sc. an. 1745. Hist. p. 53. Mem. p. 261.

** p. 196.

assumtos, in plantis viuis nec disquirere nec confirmare possumus: exempla itaque nunc proponenda proxima aestate a botanicis curiosis examinari poterunt. *Vesicaria* et *alysson* TOVRNEFORTII, sub uno genere *alyssi* LINNAEI comprehensa, non tantum ob siliquae figuram, sed et ideo distinguenda sunt, quoniam *vesicaria* in omnibus partibus glabra est, *alysson* vero filamenta, y graecum referentia, horizontalia et papillae cuidam instar stellae imposita, obtinet. *Stellaria* et *corispermum*, a LINNAEO coniuncta *, praeter fructus differentiam ita quoque distingui possunt, ut *stellariae* nulla filamenta, sed glandulas globulares, *corispermo* vero filamenta fasciculata, (*houppes*) parua, horizontalia, adscribamus. *Hypociſtis* filamenta habet cupulata in ramis; *asarum* vero simplicia, magis cylindrica, quam conica in superficie superiori et inferiori foliorum et in flore interius obtinet. *Blattaria* a *verbasco* flore et fructu non tam accurate distinguitur, quam filamentis; *verbascum* enim lanugine, per filamenta fasciculata et asperforio similia formata, obducitur, *blattariae* laeues apparent, cupulas tamen paucas et filamenta non nulla, parua, valuulis distincta, obtinent, in utrisque stamina clauatis quibusdum filamentis, luteis, albis et violaceis, ornata sunt. *Verbascum* nigrum et album specie differunt, in nigro pauciora filamenta, in albo vero adeo numerosa sunt, ut implicata densam lanuginem forment, et vix discerni queant. *Cicer* copiosas glandulas cupulatas habet, quae liquorem viscidum et pellucidum exhibent; *lens* filamenta simplicia, cylindrica sine nodis valuulis et articulis obtinet, ut papilionaceae omnes, haec bina genera tamen et fructu distincta LINNAEVS coniunxit. Simili modo *bursa pastoris* et *thlaspi* a LINNAEO coniungun-

p. 518.
p. 519.
p. 521.
p. 527.
p. 531.

* *Stellariam* iterum a *corispermo* distinxit LINNAEVS et ad *callitrichen* reduxit. vid. Comment. nostros Vol. I. Part. III. p. 501.

iunguntur, licet praeter ſiliculorum differentiam, a variis botanicis propoſitam, *burſa paſtoris* filamenta, quae y graecum referunt, ramis erectis, et *thlaſpi* fi-
p. 538. lamenta ſimplicia conica oſtendat. *Vrticae* glandulas veſiculares et filamenta ſubulata habent. *Ceratoides* TOVRNEFORTII filamenta faſciculata obtinet. Sufficiant haec ex pluribus ſelecta exempla, cum occaſione tertii commentarii varia adhuc addenda ſint.

p. 563. 33) *Hiſtoria morborum epidemicorum una cum aeris viciſſitudinibus per annum 1747. Pariſiis obſeruatorum.* Auctore Cl. MALOVIN. Praemittit huic hiſtoriae Cl. Auctor diſſertationem de uſu aeris in corpore humano, eiusque ad vitam conſeruandam neceſſitate, et docet, quo modo, grauitate eius atque elaſticitate immutata, noſtrum quoque corpus inde affici debeat. Aer enim praeter illum, quem reſpirando ducimus in pulmones, cum alimentis aeque ac ſine iis in ventriculum etiam deſcendit, eiusque ibidem exſolutae particulae alimentorum digeſtionem adiuuant. Tales quoque ſanguini, omnibusque eius reliquis humoribus immixtae ſunt, tamquam elateres conſiderandi, motus et functiones organorum corporis ſuſtinentes. Huius itaque aeris interni elatere ab interno corporis calore ſemper excitato, aer externus erit neceſſarius, quo huius grauitas illius interni nimiam dilatationem impediat. Contra etiam elater interno aeri a natura conciliari debebat, quo illius externi preſſionem ſuſtinere poſſet. Quodſi igitur is externus deficiat, aut nimis rarus fiat, uti in experimentis cum antlia pneumatica inſtitutis cernere licet, aut in montibus praealtis obſeruatur: phaenomena, quae tum ſequi conſtat, ab interno aere nimis dilatato, quem ſcilicet ex-
p. 566. ternus non ſatis comprimit, oriuntur. Ut plurimum etiam accidit, ut aer externus alteri interno non ſufficienter reſiſtere queat, tumque varia ſequantur mala, in haemorrhagiis praeſertim obuia, cum per ſangui-

nis

nis iacturam, aer humoribus inhaerens maius, in quo sese extendere valeat, spatium occupet. Propter hanc causam in iis morbis, in quibus sanguis iam rarefactus esse solet, uti v. c. in variolis, venam non esse secandam Cl. Auctor existimat, ex eo, quod, sanguinis copia imminuta, aeris inde vis atque dilatatio augeatur, ideoque vasorum ruptura metuenda sit. Sed pace eius monebimus, quod vis corporis vitalis atque elastica ipsi non venerit in mentem, a qua nimirum vasa, sanguine misso, ideoque copia eius minore facta, validius, ac antea contrahi obseruantur. In genere aeris interni elasticitatem longe saepius ac externi variare, Cl. Auctor putat, quia non ab eo solum externo, sed a calore etiam corporis naturali, eoque, pro diuersis hominum temperamentis diuersoque viuendi genere, multoties quoque diuerso, mutari possit, ita, ut homine ipso in uniuersa natura mutabilius nihil esse videatur. Cum igitur aeri tanta vis contra nostrum corpus inesse deprehendatur, variam eius rationem atque temperiem simul annotauit Cl. Auctor, morbos, qui prae aliis dicto anno obseruati fuerunt, enarraturus. Ne vero absque necessitate longi simus, lectores nostros, ut methodum, qualis Cl. Auctori solet esse familiaris, olim a nobis iam descriptam *, relegere velint, rogamus: eadem enim in praesenti quoque is usus est. Ex instituti vero nostri ratione quaedam tantum generaliora communique usui aptiora cum lectoribus nostris communicabimus. Sub initium mensis ianuarii tempestas valde erat humida et pro ratione temporis parum frigida, quam vero post octiduum alia, eaque plane contraria, sicca nempe et vehementer frigida, subito excipiens, subitaneis mortibus occasionem dabat, quibus prae aliis iunioris aetatis homines, delicatuli atque sanguinei obnoxii erant, si frigori sese exposuerant. Violenti dolores subito omnes corporis partes occupabant, et aliquot horis post aeger morie-

p. 567.

p 570.

* vid. Comment. nostr. Vol. I. Pars 3. p. 280.

moriebatur. Quibus autem hac aegrotatione correptis illico ſub ipſum morbi eorumque dolorum ingreſſum ſanguis mittebatur, cito quoque ad ſe redibant curati, ita ut eorum multi, qui morbo ſuccumbebant, mori viderentur, vel quod noctis tempore morbus hic eos inuaſerat, vel quod ipſis vena non ſtatim fuerat ſecata. Uniuerſalem quandam hunc morbum fuiſſe
p. 571. inflammationem, Cl. Auctor iudicat. Eodem menſe apoplexia multos homines ſuſtulit, in quibus hoc notari meretur, quod in variis corporis partibus, praeſertim vero in latere paralytico, ſtigmata ſubcaerulea apparuerint, ſub quibus interdum cutis intumuit. Inter alios femina iuuenis, a triginta inde diebus puerpera, inſignem ſanguinis iacturam paſſa, hoc morbo extincta fuit; qua obſeruatione contra eos medicos Auctor utitur, qui ab humorum redundantia
p. 573. morbum illum ſemper oriri exiſtimant. Menſe februario, per cuius maximam partem moderata tempeſtas et praeter conſuetudinem grata erat, praeter alios morbos, praeſertim catarrhales, qui varias corporis partes, et inter has quoque ſaepe vias urinarias occupabant, paralyſes etiam obſeruabantur, quae, ſine praegreſſa apoplexia, extremitates tantum corporis affligebant, idque ſimul ſingulare non numquam habebant, quod eodem tempore, quo una corporis pars ad naturalem ſtatum redibat, altera fieret paralytica.
p. 574. Morbi huius menſis frequentiſſimi et periculoſiſſimi erant diarrhoeae, quibus verſus veſperam febris accedebat. Quae contra tales ut plurimum adhiberi ſolent, medicamenta parum aduerſus has iuuabant, decoctum vero e cortice chinae chinae et ſcolopendrio et glycyrrhiza paratum, optimi erat uſus. Annotatum ſimul vult Cl. Auctor, quod morbi tales catarrhales, qui tormina ventris ſaepe excitarant, a ſcorbuticorum indole haud alieni viſi, confirment eorum ſententiam, qui ſerum iſtud catarrhale cum ſero ſcorbutico ſimilitudinem habere, colicosque dolores proprium

um ſcorbuti dare ſignum, perhibent. Occaſione febrium pleuriticarum et peripneumonicarum, cum malignis coniunctarum, quae menſe martio multos homines aggreſſae fuerant, viri clariſſimi DV MALOVIN et ARNAVD, medicus aurelianenſis, animaduerterunt, quod laxantia prae crebriore ſanguinis miſſione utilia fuerint. Menſis iunii tempeſtas prae reliquis omnibus udoſa fuit, et plurimos quoque aegros fecit. Inter alios morbos, qui fauces in primis afflixerunt, adhuc obſeruata quoque fuit angina iſta infantum ſtrangulatoria et peſtilentialis, quam a Cl. Auctore in ultima eius morborum epidemicorum hiſtoria narratam, et a nobis * quoque repetitam, aliisque pluribus in locis commemoratam, in memoriam reuocare licet. Eam plane nouam eſſe, nec, praeter recentiores, ab ullo auctore, niſi SEVERINO et THOMA BARTHOLINO, deſcriptam fuiſſe, pluribus is contendit. Anginam enim, quam BOERHAAVIVS §. 785. et 786. in aphoriſmis ſuis deſcripſit, ideo aliam eſſe iudicat, cum ea, in fine morborum diuturnorum, in primis pulmonalium, nec, uti praeſens maligna, cum excretione membranarum accidat. Diſparem quoque hanc noſtram ab illa eſſe dicit, quae ab eodem viro §. 802. et 816. exponitur, cum haecce maligna fere numquam cum aliquo tumore nihilo tamen minus ſemper cum membranarum abſceſſione et excretione coniuncta fuerit. Accidere quidem poſſe concedit, ut aegri, pulmonum labe affecti, membranarum particulas cum ſputo purulento reiiciant, ſed poſt inſigne iam, quod morbus ceperit, augmentum illud euenire; in infantibus vero, hacce maligna angina laborantibus in ipſius morbi initio, certe vix non ſemper ante morbi diem quintum, id fuiſſe obſeruatum, monet. Ineunte menſe iulio ea Pariſiis quoque febris ſudorifera obſeruata fuit, quae Picardis, inter quos anno huius ſeculi decimo

p. 576.
p. 580.
p. 581.
p. 583.

* vid. Comment. noſtr. loc. cit.

cimo octauo primum in Gallia comparuit, tumque dein in Flandriam migrante, *ſuette* dicitur, poſtquam per duos praecedentes menſes oras pariſinas depopulata fuerat. Hicce morbus illi, qui ſudor anglicus dicitur, et ſeculo decimo ſexto in Britannia in primis multitudinem hominum e medio ſuſtulit, haud abſimilis nobis eſſe videtur. Quam ob cauſam, et cum huc usque in literis, noua publica nunciantibus, eius mentio ſaepe facta fuerit, primaria, quae Cl. Auctor
p. 584. de eo annotauit, hic loci repetere libet. Ad acutos morbos ideo ille refertur, quoniam intra breue tempus, et ex obſeruatione Cl. BOYER, qui ſummi magiſtratus iuſſu aegrorum, in oris pariſinis decumbentium, curam habuit, non numquam poſt quindecim ab ingreſſu horas, necuit; ad malignos autem ablegatur, quia ex improuiſo, ſine ullis ſignis praegredientibus, et cum tanto periculo homines inuaſit. Tertio ut plurimum quintoue, rarius ſeptimo die, poſt hunc vero ſuperatum haud facile, aegri perierunt. Omnibus quidem anni temporibus, praeſertim autem aeſtate frequens, et hominibus robuſtis prae aliis omnibus infenſus, morbus hic obſeruatus fuit; ſenibus autem, et magis adhuc infantibus, in primis vero hominibus infirmis atque debilibus, parcere viſus. Qui eo umquam decubuit, ideo ab eo iterum immunis non fuit. Quid? quod notatu omnino dignum ſit, quod quouis anno, quando rediit, eodem etiam menſe, quo prima vice ingreſſus fuit, denuo deinde inuaſerit.
p. 585. Aegrorum plurimi, quos corripit, de vehementi renum atque ventriculi dolore conqueruntur, trement per totum corpus, ſpiritum difficulter trahunt, viribus proſtrati menteque perturbati ſomnum capere nequeunt; totum corpus urit cum acri madore, quem mox diffuſi ſequuntur ſudores et doloroſae inquietudines, in cute ſimul exanthemata parua, rubra, rotunda, granorum ſeminis ſinapi magnitudinem explentia, conſpiciuntur. Morbo ad hunc usque gradum progreſſo,

progreſſo, ſudores urinae corruptae odorem ſpirant' facies aegri videtur eſſe inflammata, oculi vehementer ſcintillant, nigri facti; tumque aeger ipſe fulgure quaſi tactus in delirium lethiferumque ſoporem incidit. Exanthemata in iis ſubiectis, quae ſeruantur, ſeptimo die albeſcunt, poſtque indolis farinaceae fiunt. Licet vehementiſſima ſiti vexentur aegri, lingua tamen manet humida, interdum modo arida et nigra fit. Pulſus frequens et mollis, ſaepe nauſea, urina modo copioſa, modo parca, aluus modo clauſa, modo aperta et in quibusdam aegris copioſum ſanguinis per nares profluuium, obſeruata fuerunt. Cl. BELLOT * hunc morbum febrem eſſe dixit putridam, plus minusue inflammatoriam; et Cl. BOYER, id, quod mirum eſſe videtur, ex contagioſorum morborum numero eum vult eſſe exemtum. In benignum, ubi ſudores critici ſunt, et malignum, quando illi, tamquam ſymptoma, morbo ſuperueniunt, huncce morbum Cl. Auctor diuidit. In priore caſu ſudores tollere morbum intra ſeptem ut plurimum dies, tumque quietem, regimen, ptiſanam, interdum a primo morbi initio venae ſectionem, tandemque, ſudoribus imminui coeptis, purgans datum curationem abſoluere dicit; contra malignos autem ſudores ab initio vomitum excitandum, lotiones in aluum immittendas, et potiones ex acidis remediis compoſitas commendat. Ne longi nimis ſimus, reliquarum plurimas Cl. Auctoris de morbis huius anni obſeruationes omittere cogimur. Earum tamen ſequentem adhuc repetere liceat. Sub exitum menſis octobris febres irregulares cum horripilationibus, et inſignibus, quibus totum corpus affligebatur, doloribus, obſeruabantur, qui ceſſabant, ſudoribus aut exanthematibus in cute erumpentibus; his vero euaneſcentibus, iterum redibant. Inde iudicat Cl. Auctor, quod tales eruptiones non pro morbo cuti pro-

p. 587.

p. 596.

 prio,

* vid. eius quaeſt. med. An febri putridae Picardis *ſuette* dictae ſudorifera? Paris, 1733.

prio, ſed pro ſymptomate tantum haberi debeant; et cum quaedam harum febrium poſt ſanguinis miſſiones aluique repetitas purgationes curatae fuerint, cumque ſimiles illis dolores vix non ſemper morbillorum variolarumque eruptionem antecedere obſeruentur: eorum inde confirmari videri ſententiam opinatur, qui exiſtimant, humores illos, qui tales effectus in cutis ſuperficie producunt, per glandulas inteſtinorum e corpore eliminari poſſe, praeſertim cum experientia conſtet, alui purgationem ad praecauenda mala, quae variolas ſequi obſeruantur, optimum eſſe auxilium.

p. 603. Sub finem tandem huius commentarii in genere notat Cl. Auctor, quod in plurimis, qui per hunc annum, maximam ſui partem humidum, graſſati fuerant, morbis decubitus materiae peccantis ad cutem factus ſit, eademque haec epidemia uno eodemque tempore in Americam usque ſe propagauerit, teſte Cl. ARTUR, medico ibidem regio in urbe *Cayenne* dicta; unde Cl. Auctor probat, unos eosdemque morbos in diſſitis locis diuerſisque climatibus affligere poſſe homines, ideoque etiam generales et certas in arte medica dari poſſe regulas, quae in omnibus terrarum locis ſubque omnibusque caeli regionibus valere debeant.

p. 604. 34) *Commentarius tertius de glandulis plantarum et ſecundus de uſu harum partium in definiendis generibus plantarum.* Auctore Cl. GVETTARD. In hoc commentario Cl. Auctor in enumerandis characteribus, a glandulis et filamentis deſumtis, pergit et oſtendit, iis genera, a non nullis coniuncta, partim diſtingui, partim alia noua conſtitui poſſe, nos itaque obſeruationes

p. 606. quasdam propoſituri ſumus. *Beccabungae* ſpecies laeues ſunt, et glandulas globulares, *veronicae* autem ſpecies filamenta conica articulata et glandulas cupulatas obtinent. Inter triginta et plures veronicarum ſpecies, quas Cl. Auctor diſquiſiuit, nullas inuenit cupulis et filamentis deſtitutas, licet has partes in aliis

copioſius

copioſius in aliis parcius diſſeminatas detexerit, ſpecies, caule et foliis pubeſcentibus inſtructae, plurima filamenta conica paucasque glandulas exhibuerunt, quas in fructu potiſſimum conſpexit. Accurate omnino diſquirendum eſt, num in *veronicis* aliisque plantis, in quibus locus natalis filamenta mutat, tantum, ut Auctor putat, in copia, an forte etiam in figura mutentur? Lanugo plantarum in varietatibus quoque maxime diuerſa eſſe videtur. *Saxifraga* et *geum* a ſitu fructus diſtinguuntur, Cl. Auctor aliam quoque inuenit differentiam, omnes quidem glandulas cupulatas in quadam parte et filamenta conica articulata obtinent, in diuiſione autem foliorum *geum* inflatum corpuſculum oſtendit, quod nunquam aperitur, in *ſaxifraga* vero glandula acetabuliformis (*a godet*) et filamentum, plus minus eminens, prope apicem conſpicitur. In ſitu vero harum partium in variis *ſaxifragae* ſpeciebus differentiam adeſſe, ulterius monet. *Oxycoccus* et *vitis idaea* filamenta conica habent, in *vite idaea* margini foliorum glandulae cupulatae in apice crenularum adhaerent, et in ſupina folii parte ſimiles clauatae in quibusdam ſpeciebus occurrunt, quae quidem in *oxycocco* non conſpiciuntur. *Napus* et *rapa* a TOVRNEFORTIO non niſi habitu diſtinguuntur, et LINNAEVS *braſſicam* his iunxit. Ratione filamentorum priora bina genera conueniunt, conica enim et ſatis rigida, tactu diſquirenda, obtinent, *braſſica* vero filamenta cupulata habet, vel cum haec non ſatis conſtantia ſint, *braſſicae* ſpecies omnes laeues dici poſſunt, quae tantum materiam quandam albam ex foliorum ſuperficie exſudant. Cl. HEISTERVS *gakeniam* ex *heſperidis* ſpeciebus ſelegerat et ob ſiliquam cruciatam, ſiue tuberculis binis a latere apicis inſtructam, peculiare genus formauerat. Hanc differentiam quidem Cl. Auctor non adeo inſignem iudicat, concedit tamen *gakeniae* genus ex iis *leucoii* et *heſperidis* ſpeciebus formari poſſe, quae praeter filamenta, y graeco ſimilia,

p. 609.

p. 611.

p. 613.

p. 615.

etiam cupulas habent: licet enim in his cupulis magnam differentiam deprehendi asserat, ex earum tamen consideratione species horum generum apte in or-
p. 620. dinem redigi posse credit. Dedit tandem Auctor et in altera parte huius commentarii quaedam specimina, quo modo ex fundamentis methodi sui noua genera formari possint, et in eo tandem promeruit, quod nomina nondum mutauerit et auxerit, sed obseruationes suas ulteriori botanicorum disquisitioni proposuerit. Inter *leucoii* et *hesperidis* species quaedam laeues sunt, quae, cum omnes reliquae filamentis scateant, in nouum genus cogi possent. Attendi etiam merentur, quae de *cheiranthо* et speciebus permultis congenerum plantarum monuit, et quae, licet hic longius repeti nequeant, partes tamen, ab auctore consideratas, ad genera inferiora definienda minus apte adhi-
p. 626. beri posse, euincere videntur. *Alkekengi* species non nullae filamenta conica, valuulis distincta, aliae similia quidem filamenta, sed ex valuulis ramosa, vel instar cornu cerui diuisa obtinent, in his tamen et ratione floris aliquam differentiam ostendi posse assumit.
p. 633. *Ericae* species corollam partim crotalo, partim campanulae similem, ostendunt, et ideo in duo genera distingui possent, quae etiam distinctio magis confirmatur, cum praeter filamenta simplicia conica eae species, quarum corolla crotali figuram exprimit, glandulas quoque cupulatas obtineant. Vidit tamen Auctor speciem, quae his destituitur. *Vuae ursi* species, quae a LINNAEO ad *arbutum* referuntur, filamenta simplicia conica habent, inuenit tamen in herbario Vaillantiano speciem, quae filamenta fasciculata, horizontalia ostendebat, in quorum medio longissimum eminebat. *Arbutus* vero, licet filamenta conica habeat, tamen et glandulis cupulatis simul instruitur. Species quaedam *royenae*, foliis rosmarini villosis, filamenta fasciculata, ut dicta *uvae ursi* species obtinet. Sed ex dictis his plantis haud leuis dubitatio contra methodum

dum auctoris exsurgit, cum in illis filamenta facile exsiccentur et decidant, laeuitatemque partibus inducant. Haec et alia, quae adducere non potuimus, summam Auctoris, in minutissimis plantarum partibus disquirendis industriam ostendunt, num vero haec obseruata definitiones generum ingredi queant, in suspenso relinquimus.

37) *Obseruationes de calce et gypso.* Auctore Cl. p. 678.
MACQUER *. De calcis et salis calcis natura multa adhuc dubia relicta esse, omnes perspiciunt chemici, Cl. Auctor itaque in examine calcis occupatus, experimenta, circa lapidem calcareum instituta, in prima, et varias de gypso coniecturas in altera huius commentarii parte tradit. Cum vero lapides calcarei adeo differant, experimenta cum lapide molliore Arcus iuliani (*d' Arcueil*) et duriore ex lapidicina *Saint-leu* et lapide gypseo montis martyrum (*Montmartre*) instituta fuisse, in principio monet. Tres itaque drachmas horum lapidum, cum acidis, vitrioli, nitri et salis marini concentratis, nec non cum solutionibus saturatis salis tartari, sodae et boracis digessit, comminutos etiam supra dictos tres lapides eadem proportione cum liquoribus his soluentibus in pastam redegit, omnibus vero exsiccatis, partes lapidis integras et sale saturatas, et alias inpastatas in crucibulis aptis ad calcinationem disposuit, ita, ut craticulae imposita omnem flammae vehementiam experirentur, carbonibus tamen non commiscerentur. Igne sensim sensimque excitato et ad summum aucto omnia excandescebant, et summum ignis gradum passa fuisse ex eo cognouit, quod lapidis durioris particulas simul impositas plane calcinatas esse perceperit. Sed nulla ex his calcareis partibus praeparatis calcem, nec vilissimam, exhibebat, ita, ut cum acidis saturatae et calcinatae post calcinationem magis ab acido commouerentur et

 esser-

* d. 19. iulii 1747.

efferuescerent, quam quae cum alcalinis et neutris salibus saturatae erant. Inexpectata haec erant phaenomena, ex eo tamen forte explicanda, quod, cum lapis gypseus comminutus, cum sodae solutione in pastam redactus, vitrificationem quandam subiret, etiam colligi inde potuerit, salia reliquas particulas ad vitrificationem dispositisse et in calcinatione impediuisse; id quod inde confirmabatur, cum per noua experimenta, a Cl. Auctore instituta, gradus saturationis et ignis diuersimode in variis imminuerentur, et ita maior aptitudo ad calcinationem suscipiendam perciperetur.
p. 682. Concludit itaque Cl. Auctor in calcareo lapide quasdam esse particulas salinas, reliquis ita proportionatas, ut quaelibet lapidis species, eam copiam contineat, quae ad mutationem in calcem necessaria est, accessionem vero plurium particularum calcinationem impedire. Hoc porro probat phaenomenon, ex eo, quod calcem viuam, cum cineribus remixtam, vim suam amittere cognoscimus. In altera parte huius commentarii coniecturas quasdam circa differentiam lapidis gypsei et calcarei proponit; licet enim uterque lapis in calcinatione et reliquis mutationibus similia ferme phaenomena ostendat, gypsi tamen mutationes debiliores sunt, quam calcis, praecipua vero differentia in eo posita est, quod calx viua extincta humiditatem difficile dimittat, et massa sicca semper friabilis maneat, gypsum vero facile siccetur et insignem duritiem
p. 686. acquirat. Assumit itaque lapidem gypseum non esse homogeneum aliquod compositum, quale lapis calcareus deprehenditur, sed collectionem particularum, in calcem mutandarum et aliarum, quae in vitrum mutari possunt, ut sabuli diuersae species. Assertum hoc a vero non alienum esse, explicatione variorum phaenomenorum declaratur, ex quibus primarium adduxisse sufficiat; calx nimirum extincta, cum sabulo mixta, duritiem gypso maiorem acquirit, hinc etiam gypsi duritiem satis insignem ex admixtione sabuli pendere

dere posse asserit. Hoc iis quoque experimentis confirmatur, quibus lapidis calcarei partes, in pollinem redactas, cum variis sabuli partibus remixtas et calcinatas ita mutauit, ut gypsum artificiale exhiberent, in quo casu proportionem unius partis lapidis calcarei et octo partes sabuli optimam inuenit. Concedit tamen artificialem mixtionem difficiliorem esse, quam naturalem et acidum vitriolicum, tanquam tertium in lapide gypseo accedere. His in sequentibus fusius explicatis differentiam, quae gypsum et calcem sabulo mixtam, seu ad lapides combinandos praeparatam, intercedit, examinare suscipit. Gypsum nimirum citius indurescit, tantam tamen duritiem non acquirit, quam calx praeparata, illud quando, durescit, volumine augetur, quod in hac non obseruatur. Ad aquae admixtionem, hac in re attendendum esse Cl. Auctor urget. Gypsum, dum extinguitur, duritiem acquirit, calx vero iam extincta est, quando sabulo admiscetur et praeparatur, ideoque haec non nisi illam humiditatem amittit, quam inter miscendum acquisiuerat, induratur itaque volumine imminuto; illud vero aquam in calcareis particulis, quae non calcareis interspersae sunt, hauriendo, eandem non nisi successiue suscipit, partes itaque, quae primum aqua irrorantur, cum sabulo coeunt et indurantur, et reliquam aquam in poros suscipiendo, totius massae volumen augent, eousque, donec omnes partes calcareae aquam inbiberint, quod ex obseruatis Auctoris intra bihorium absoluitur, et in principio potissimum insignis calor obseruatur. Quatuor unciae calcis praeparatae eodem tempore cum quatuor unciis gypsi recenter extincti, per duodecim horas aeri liberiori expositae, ea, quae auctor asseruit, experimento confirmant, calx praeparata enim duodecim grana, gypsum tria grana ponderis amiserunt. Experientia porro docet, gypsum in frigido aere extinctum, duritiem conuenientem non acquirere; aqua enim vel congelascit, vel in calcis particulis resoluen-

p. 690.

p. 694.

dis, frigore impedita, minus actiua est. Hinc etiam colligitur, cur omnibus, circa gypsum extinguendum obseruatis, cautelis illa tamen non obseruetur durities, quam calx praeparata acquirit.

p. 697. 38) *Obseruationes meteorologicae in specula regia, ex qua sidera obseruantur, per annum 1747.* a Cl. DE FOVCHY *factae* breues sunt, et quantitatem pluuiae per modo dictum annum Parisiis delapsae, thermometri atque barometri diuersam altitudinem, acusque magneticae declinationem denotant.

p. 699. 39) *Continuatio commentarii, qui continet obseruationes lithologicas, historiam naturalem Languedociae et theoriam de terra illustrantes*, auctore DE SAVVAGES, Abb. Cum felicioris descriptionis causa placuerit Cl. Auctori, regiones, circa Alais, oppidum Languedociae, in certas distinguere stationes, quarum rationem supra dedimus *, in *nona* harum *stationum* declaranda nunc pergit. Duorum haec lapidum latitudinem superat, a reliquis autem partim pariete (*bande*) mineris martialibus et terra ochracea, partim mineralibus aliis et natura soli rupiumque distinguitur. Vbi enim ferri minerae vel ochra deficit, ibi silex quarzosus, cinereus et irregularis formae deprehenditur, nec vestigium minerae ferri ibi supercst, nec petrificata ex animalibus ibidem obseruantur. Vitriolicae potius minerae, dendritae et plantae, in lapidem conuersae, se offerunt, de quibus tamen alio iam in loco cum disseruerit Cl. Auctor **, nil nisi mineralium ipsi relicta est disquisitio, de quibus autem ita refert, ut carbones, fossilia reliqua, fontes medicatos, vel alios, in quibus lapideae concretiones et tophi existunt, sigillatim ex-

* vid. Comment. nostr. Vol. I. P. II. p. 307.

** Conf. Memoires de l'acad. Roy. des scienc. an. 1743. p. 556. ed. Amsted.

expendat. Carbones foſſiles hinc inde diſperſi ſunt, p. 700.
in venas collecti, a latere utrinque rupibus cincti. Ad ſuperficiem terrae ſi acceſſerit carbo, colore et conſiſtentia mutatus apparet, tandemque nigricans ſolum terra reperitur, quae ſenſim, profundius eruta et nigra magis et ſplendidior redditur. Differt a carbone, quo fabri ferrarii utuntur, (*charbon des forges*) quod magis ſubactus ſit, vehementer enim ignem alit, et ipſa flamma in rufescentem friabilem terram conuertitur. In inferiori parte bituminoſi extant fontes, qui vero, licet magnum pariant incommodum ibi laborantibus hominibus, eo perfectiorem carbonem reddunt. Ex his ſulphureae et bituminoſae exhalationes aliquando eleuantur, quae vel amaritiei ſenſum in ore excitant, ſi leuiores fuerint, vel ſuffocationis, grauiores factae, periculum inducunt, *la touffe* ibidem, noſtris in fodinis *Wetter* dicuntur. Quod vero calidiſſi- p. 703.
mo tantum tempore obſeruantur, non, qui plerumque aſſumitur, ſubterraneus ignis, ſed ſolis efficacia et atmosphaerae actio eius cauſa eſſe videtur Cl. Auctori. Ad carbonum latera ponitur duplex ſchiſti ſpecies; prima ubiuis carbones ſequitur, terramque teneram et nigram bituminoſam ſiſtit, ſeu ampelitidem, cum qua ita conuenit, ut ob plicatam et undoſam tantum differat nec non ob politam ſplendidamque ſuperficiem. Altera ex pluribus magisque planis conſtat ſtratis, ceu foliis, mox rubris, mox nigris. Et haec plantarum impreſſiones continet, vel incognitarum vel ad filices magis appropinquantium. Harum itaque deſcriptiones et delineationes Tab. 21. et 22. exhibentur, de quibus tamen ſine figuris plura referre non poſſumus, hoc unicum notantes, accuratiſſimam foliorum delineationem et ſtratorum ſchiſti cum carbonibus communicationem denegatam, his enim tantum imponuntur, Noſtrum in eam deducere opinionem, hunc ſchiſtum mollem olim fuiſſe, et limum, illum componentem, liquidum, in varia ſenſim ſtrata diſpoſitum,

tum, quoniam foliaceam habent ſtructuram, nec non hanc limi ſubſidentiam, in alio aeque loco ac ſitu fuiſſe
p. 705. factam. Confirmat hanc coniecturam granorum, quae carbonem componunt, figura fere cubica, quae ſuſpicionem mouet, materiam eorundem bituminoſam, ut ſchiſtum, olim mollem extitiſſe, diſſolutamque huc acceſſiſſe, in primis, cum experientia probauerit, euacuata a carbonibus olim ſpatia, denuo iisdem fuiſſe repleta. Ex hisce tamen ſchiſtis perpetuo certum carbonum, ibidem conſtitutorum, haberi poteſt indicium, quod ſimiliter, durior per ſe praebet geodes. Huius autem tanta exiſtit copia, ut rupem quaſi conſtituat, ex quo aeris iniuriae, ſi iis exponitur, externa ſtrata ita auferunt, ut eorum ſitus facillime dignoſci queat, quod itidem Auctor Noſter tab. 23. ſingulari delineatione comprobat. De ortus horum lapidum ratione tantum inter phyſicos diſceptatur, quem, licet obſcurior ſit, ſequenti tamen coniectura illuſtrare an-
p. 707. nititur SAUVAGES. In omnibus lapidibus rotundis, qui acceſſu alius materiae augentur, ſtratorum ſucceſſio diſtingui poteſt, idem fit in geode, hanc ſucceſſionem igitur ſi contemplamur, ſenſim quidem eam factam eſſe intelligimus, minus autem recte illa percipitur, ſi nucleum praeſupponamus adfuiſſe, cui iteratis vicibus liquida et dureſcens circumponatur maſſa, tunc etenim liberum undique fuiſſe nucleum et ſuſpenſum
p. 708. quaſi credendum eſſet. Id quod clarius perſpicitur, ſi attendimus quod materia, geodem efformans, terra ſit humectata et liquida, uti ex plantarum, in iis deprehenſarum, ſchematibus patefit, quod ſucco lapideſcente impraegnata ſit, et quod haec paſta ſatis apta ſit ad ſuſtinendos minores lapides aliaque corpuſcula. Cum his ſi notare placet, hos nucleos quaſi ſicciores fuiſſe, et magis apertis poris inſtructos, quam illa, in quam demerguntur, paſta eſt; hos deinde ſuccos lapideſcentes prioris ſtrati in ſe reſorbere et ob hanc ipſam cauſam illud, ad exſiccationem diſponere, hoc tandem

tandem ſtratum in ſubſequenti eadem repetere, ſtratorum viciſſitudo, quare fiat, manifeſtum erit. Addit porro huic coniecturae, ſi geodes in martiali enaſcuntur terra, ſuccos lapideſcentes et ſalia vitriolica in hiſce operationibus perficiendis concurrere. His expoſitis p. 709. ad minerales tranſit Cl. Auctor fontes, qui ex ferro, vitriolo et carbonibus, partes admixtas oſtendunt, hinc ſalutares etiam vel noxios pro diuerſo gradu admixtorum effectus produnt. Dyſenteriam autem aliosque difficiles morbos ſanant, alius fons *la Rogne*, alius *Daniel* appellatur. Omnes ochraceam deponunt terram, exceptis duobus, quorum alter prope *Mas de bovac* ex rupe defluit, limpidam continens aquam, quae vero deguſtata amara eſt, intermixtis paucioribus acidis particulis, quas ex carbonibus, per quorum ſtrata fons fertur, deriuat Noſter. Alter ex fiſſuris nigri et tenerioris ſchiſti prope *de la Rogne* proſilit, aquae ſaponaceae ſimilis, et ſedimentum album deponens. Praeter hos deinde fontes alii quoque, la- p. 711. pidea cruſta ſolida obducentes corpora, animaduertuntur in hac ſtatione, ad confinia nimirum eiusdem deteguntur in terra ex ſilice vel ſabulo promanantes, tophi autem generantur partim ex limo, partim ex ſucco lapideo ſelenetico, calcareis vel marmoreis lapidibus ſimili. Ex ſalibus vitriolicis, mineralibus partibus impraegnatis, eosdem enaſci putaſſet Cl. Auctor, ni vidiſſet fontes eiusmodi in terra ſabuloſa, nec minima minerali particula ſcatente. Praecipuus horum fontium *le Ruſſau* eſt, qui molas agitat, et diuerſa concretionum genera obtinet, quorum quaedam aeri perpetuo, quaedam vero mox aeri, mox aquae exponuntur. Priora in muſcis oriuntur, et eorum infe- p. 712. riori in parte, quippe qui, reliquis felicius vegetabilibus, ſpongiae inſtar ſuccum lapideum retinent, et incruſtantur. Poſteriora, in aqua generata, duriorem et compactam magis maſſam ſiſtunt, et in locis, ubi aquae magnus eſt impetus parciſſime proueniunt,

in

in receptaculis contrario, ubi lentus aquae progreſſus fit, ſucci lapidei tempus coniungendi ſeſe acquirunt, et cum priores tophi per ducentos annos ad digiti vix excreuiſſent altitudinem, hi omni anno dimidii pedis magnitudinem aequant. In ſuperioribus etiam aquae receptaculis maiores copioſioresque inueniuntur concretiones, quam in inferioribus. Exinde autem, quod ſuperius receptaculum alternatim repletur aqua et euacuatur, concretionum diuerſitas fit, in ſuperficie namque moleculis ſcatent rotundis. Deinde ex iis, illae, quae aeri patent, tenuiores et molliores ſunt, umbra et aqua perpetuo tectis. Ad veram itaque petrificationem producendam aeris acceſſus auertendus eſt, ex
p. 715. quo Cl. Auctor concludit, eandem a natura, in producendis rupibus ſeruatam fuiſſe methodum, hae enim, terra tectae, ſucci lapidei euaporationem impediebant, et hinc eo citius petrefacta producebant, quam etiam conditionem ex diuerſis ſeſe excipientibus terrae ſtratis illuſtrat. In eo loco, ubi ex receptaculis aqua iterum emittitur, ardeſia tenera et compacta concreſcit, tardius et per annum ad ſex tantum lineas aucta, quod aqua celeriter tranſit. Superſunt in hac ſtatione mineralia adhuc recenſenda, quae alio ſe tempore eſſe deſcripturum Auctor promittit, et ad *decimae ſtationis* diſquiſitionem progreditur. Haec ad terminos tractus cimmenii ſita eſt, et ex marmore rudi, calcem non adeo bonam ſuppeditante, componitur. Iisdem, quae aliis in ſtationibus deſcripta fuere, haec abundat conchyliis, excepto monte, *la chenaye des ſauvages*
p. 717. nominato, in quo *Oſtracites teſta craſſa*, *griphites* LVIDII copioſiſſime occurrit. Superiora duo vel tria ſtrata hunc oſtendunt, inferiora vero ingentem aſteriarum numerum obtinent, nec non alia eiusdem generis lapidefacta corpora, de quibus ſigillatim exponitur. Aſteriae plerique diuiſi conſpiciuntur, et a rupe ſeparati, quod ſuſpicionem mouet Cl. Auctori, hanc mutationem et petrificationem ante acceſſiſſe, quam

illa

illa cum rupe fuerint iuncta corpora, praecipue, quod maxima montis pars ex calcareo conſtat lapide. Belemnitae, qui hic inueniuntur, ſingularis ferme ſpeciei ſunt, vix enim digiti longitudinem ſuperant, baſi nouem et decem linearum, et cauitate, ad apicem continuata, inſtruuntur, externa autem et interna eorum ſuperficies, concentricorum circulorum vorticibus abundat, quod commune eſſe dicit Auctor, petrificationibus, in ſilice factis, ſimulque argumenta proponit, quibus, eos non fortuito naſci, ſed ex animali regno originem repetere euincitur. Intus enim aliquando, ut in biualuibus conchyliis, ex peripheria undique ad centrum deductos radios obſeruabat, aliquando internam cauitatem alius et articulatus fere lapis replebat, aliquando intus cellulis per uniuerſum diſtribuebantur lapidem, tandem aliquando *belemnites electrinus* apparet, qui pellucidus eſt, ſuccini vel cornu ſemitransparentis inſtar, acuminatus, intus non cauus, ſed numeroſis lamellis plenus, qui mediae anguſtum comprehendunt canalem. Subſequuntur poſt ea ſtrata, quae conchyliis deſtituuntur, quae vero tandem excipit aliud, pectunculitis, portentoſa quantitate refertum, omnibus unius eiusdemque ſpeciei. Hi vero non ut priores in ſilice, ſed in lapide calcareo in lapidem ſunt conuerſi, nullo modo a rupe diuerſi; ſolusque exterior habitus et duae, accurate ſibi reſpondentes, valuae, ſed calcareae, ſuperſunt. Inde conſtat, eius modi montium deſtructiones poſt ſtratorum formationem, et aliquam ipſius montis craſſitiem demum contingere poſſe. Talem autem et hic extiſſe, conuincit anguſta admodum vena horizontalis, ex dura et vitreſcibili terra facta; cuius partes rotundae ſunt, non nunquam politae, admodum conuenientes cum fluminum ſabulo, ut ea propter eiusdem eſſe videatur originis, certe pro peregrina et acceſſoria habenda ſit. In montibus quidem cimmeniis haec terminatur ſtatio, de eorum tamen ſtratis quaedam

p. 718.

p. 721.

placuit

in receptaculis contrario, ubi lentus aquae progreſſus fit, ſucci lapidei tempus coniungendi ſeſe acquirunt, et cum priores tophi per ducentos annos ad digiti vix excreuiſſent altitudinem, hi omni anno dimidii pedis magnitudinem aequant. In ſuperioribus etiam aquae receptaculis maiores copioſioresque inueniuntur concretiones, quam in inferioribus. Exinde autem, quod ſuperius receptaculum alternatim repletur aqua et euacuatur, concretionum diuerſitas fit, in ſuperficie namque moleculis ſcatent rotundis. Deinde ex iis, illae, quae aeri patent, tenuiores et molliores ſunt, umbra et aqua perpetuo tectis. Ad veram itaque petrificationem producendam aeris acceſſus auertendus eſt, ex
p. 715. quo Cl. Auctor concludit, eandem a natura, in producendis rupibus ſeruatam fuiſſe methodum, hae enim, terra tectae, ſucci lapidei euaporationem impediebant, et hinc eo citius petrefacta producebant, quam etiam conditionem ex diuerſis ſeſe excipientibus terrae ſtratis illuſtrat. In eo loco, ubi ex receptaculis aqua iterum emittitur, ardeſia tenera et compacta concreſcit, tardius et per annum ad ſex tantum lineas aucta, quod aqua celeriter tranſit. Superſunt in hac ſtatione mineralia adhuc recenſenda, quae alio ſe tempore eſſe deſcripturum Auctor promittit, et ad *decimae ſtationis* diſquiſitionem progreditur. Haec ad terminos tractus cimmenii ſita eſt, et ex marmore rudi, calcem non adeo bonam ſuppeditante, componitur. Iisdem, quae aliis in ſtationibus deſcripta fuere, haec abundat conchyliis, excepto monte, *la chenaye des ſauvages*
p. 717. nominato, in quo *Oſtracites teſta craſſa*, *griphites* LVIDII copioſiſſime occurrit. Superiora duo vel tria ſtrata hunc oſtendunt, inferiora vero ingentem aſteriarum numerum obtinent, nec non alia eiusdem generis lapidefacta corpora, de quibus ſigillatim exponitur. Aſteriae plerique diuiſi conſpiciuntur, et a rupe ſeparati, quod ſuſpicionem mouet Cl. Auctori, hanc mutationem et pretrificationem ante acceſſiſſe, quam

illa

illa cum rupe fuerint iuncta corpora, praecipue, quod maxima montis pars ex calcareo conſtat lapide. Belemnitae, qui hic inueniuntur, ſingularis ferme ſpeciei ſunt, vix enim digiti longitudinem ſuperant, baſi nouem et decem linearum, et cauitate, ad apicem continuata, inſtruuntur, externa autem et interna eorum ſuperficies, concentricorum circulorum vorticibus abundat, quod commune eſſe dicit Auctor, petrificationibus, in ſilice factis, ſimulque argumenta proponit, quibus, eos non fortuito naſci, ſed ex animali regno originem repetere euincitur. Intus enim aliquando, ut in biualuibus conchyliis, ex peripheria undique ad centrum deductos radios obſeruabat, aliquando internam cauitatem alius et articulatus fere lapis replebat, aliquando intus cellulis per uniuerſum diſtribuebantur lapidem, tandem aliquando *belemnites electrinus* apparet, qui pellucidus eſt, ſuccini vel cornu ſemitransparentis inſtar, acuminatus, intus non cauus, ſed numeroſis lamellis plenus, qui mediae anguſtum comprehendunt canalem. Subſequuntur poſt ea ſtrata, quae conchyliis deſtituuntur, quae vero tandem excipit aliud, pectunculitis, portentoſa quantitate refertum, omnibus unius eiusdemque ſpeciei. Hi vero non ut priores in ſilice, ſed in lapide calcareo in lapidem ſunt conuerſi, nullo modo a rupe diuerſi; ſolusque exterior habitus et duae, accurate ſibi reſpondentes, valuae, ſed calcareae, ſuperſunt. Inde conſtat, eius modi montium deſtructiones poſt ſtratorum formationem, et aliquam ipſius montis craſſitiem demum contingere poſſe. Talem autem et hic extiſſe, conuincit anguſta admodum vena horizontalis, ex dura et vitreſcibili terra facta; cuius partes rotundae ſunt, non nunquam politae, admodum conuenientes cum fluminum ſabulo, ut ea propter eiusdem eſſe videatur originis, certe pro peregrina et acceſſoria habenda ſit. In montibus quidem cimmeniis haec terminatur ſtatio, de eorum tamen ſtratis quaedam

p. 718.

p. 721.

placuit

placuit addere Cl. Auctori; illa enim ratione compoſitionis, foſſilium et vegetabilium differunt, hic potiſſimum denſae caſtanearum ſyluae conſtituuntur. Omnis regio ex duplici rupium ſerie et terris iisdem
p. 724. analogis conſtat. Maxime communes rupes ſunt talcoſae, talcum illud opacum eſt, nec calcinatur nec vitreſcit, ex tenerioribus compingitur lamellis, pro ratione admixti quarzi plus minusue duris, plerumque verticalibus et inclinatis, ſaepius plicatis. Hae lamellae aequabiliter iunctae et applanatae ſunt, eorumque imbricum loco in contegendis aedificiorum tectis uſus eſt. Succus tamen quarzoſus, inter plana effuſus, albas efformat venas, veramque cryſtallum montanam conſtituit. Sed nihilo ſecius venae fragiles ſunt, et ſilicibus quarzoſis, albis et rotundatis fluuiorum, originem ſuppeditant, qui in obſcuriori loco, ad ſe in-
p. 725. uicem dum affricantur, lucem excitant. Pluuiales, ſi acceſſerint, aquae in his deſtructionem pariunt, et reſoluunt talcum in laminas, quarzoſae vero venae exinde cubicam referunt figuram, vel irregularem et polyedram, decurrentes ſphaericae fiunt, ſuperius enim
p. 727. anguloſae magis deprehenduntur. Altera rupium ſeries ex granitis conficitur, diuerſae magnitudinis coloris et conſiſtentiae, firmiſſimi fatiſcunt in aere, alii ex granis quarzoſis conſtant, quibus nigra et ſplendentia grana intermixta ſunt, alii componuntur ex granis lapideis, vel terreis, facile conterendis. Hi rupes non ſtrata ſed informem maſſam formant, cum talcoſis vero pluribus confunduntur in locis. Per granitas ſuccus lapideus non penetrat, et raro albi cryſtallinique lapidis venae tranſeunt, quae, ut fluores, ſemipellucidae, ſplendentes et duritiei inter ſpathum et quarzum mediae obſeruantur. Recta porro procedunt, unius ubique eiusdemque craſſitiei, extremitatibus vero quadratis et reſectis. Interruptiones harum venarum mutationis, ibidem factae, euidens ſunt indicium, magis manifeſtum illud fit, quod parallelepipi-

dis

dis forma in iis diſperguntur corpora, fracta eandem ſemper quae retinent figuram. Horum granitorum ſingularis datur ſpecies, ad oppidum, *ſalle de ſaint Pierre*, ex teneris flexilibusque particulis conflatorum, qui nec colorem nec auri, quem referunt, ſplendorem in igne perdunt, micaceae autem ſunt, licet aliquas genuini auri particulas et hic adeſſe dubitandum non ſit, quas deinde per pluuias exſolui et in fontibus congregari teſtatur experientia. p. 729.

Praecipua nunc, quae de hiſce ſtationibus adnotari debent, momenta, quantum rei dignitas permittit, conciſe tradidimus; non poſſumus autem non ex iis adhuc quaedam referre, quae in uniuerſum de diuerſis terrarum conditionibus monet ſolertiſſimus SAVVAGES. Suas vero ſic proponit obſeruationes, ut explicationes et coniecturas de non nullis addat phaenomenis. Saepius iteratae itaque diſquiſitiones edocuerunt Noſtrum, in graniticis eius modi et talcoſis rupibus, nunquam conchylia aut petrefacta, aut animalis aut vegetabilis progeniei inueniri, multo minus in quarzo et cryſtallo montana eadem detegi. In nona ſtatione nil animalis, numeroſiſſima contra vegetabilium quantitas adeſt, et in carbonum ſolum ſuperficie, quae in ſabuloſis iterum deficiunt montibus. Et plantae in carbonibus differunt ab iis in topho, quae minus profunde poſitae ſunt, ex quo clarum eſt, earum petrificationem recentiorem eſſe. Porro terrae, conchyliis deſtitutae, matricem praebent mineralibus, quorum quaedam hodie adhuc eruuntur. Plumbi et argenti praeſentiam arguunt venae, pedem craſſae, *filons* vocat Auctor, inclinatae, longae, quae etiam quarzum, ſpathum, cupri mineras et pyritem fouent. Ad terrae ſuperficiem delatae minera nigricans quidem ineſt, quae *mine morte* appellatur, ſed experientia teſte, certiſſimum de boni metalli praeſentia ſignum exhibent. Aerem igitur veri metalli formationi obſtitiſſe inde conſtat. Conchylia petrefacta in limoſis tantum p. 730. p. 731. P. 733.

terris conſtituuntur, ſub quo nomine et Auctor illas comprehendit, quarum baſis limus eſt. Illa ipſa etiam conchylia in montibus, non vero in circumiecta illis terra aliquando obſeruata fuerunt, quod ex caſu certe fortuito repetendum non eſſe putat Noſter, quae olim philoſophorum et communis fere erat opinio. Ex marinis enim pleraque eorum ſunt, et fluuiatilibus aliis haec, ut paraſitica adhaerent, indubitato teſti-
p. 735. monio, eorum magnam eſſe antiquitatem. In marmoribus deinde, vel aliis, maximam partem ex conchyliis conflatis, lapidibus venae albae decurrunt, ex puro quae ortae ſunt ſucco lapideo et cryſtalliſato, immo corpora vegetabilia marina intus continentur, ut compoſitionem eorum primo loco factam fuiſſe, poſt modum in interſtitia ſuccum petroſum effuſum, inde concludi queat. In iis etiam montibus, qui ad horizontem inclinantur, differentes inclinationis gradus ſunt, ad unum tamen latus propendent, op-
p. 736. poſitum enim praeceps eſt. Dantur tandem montes, calcareis et limoſis ſtratis tecti, nunquam haec ſtrata radicem conſtituunt. Ex quibus omnibus nunc declarare ſuſcipit Cl. Auctor, quod hi montes et ſtrata, in quibus conchylia petrefacta et marina deteguntur, vel fuerint maris ſedes, vel ab uniuerſali eiusdem inundatione hiſce corporibus dotati. Quidquid vero contigerit, conchylia ad has partes deducta, in limo contenta, ſimul cum eo, per ſuccum lapideum penetrata, indurata, immo cum limo arctiſſime combinata, montes admodum longos, latosque conſtituere potuerunt. Aſt haec omnibus phaenomenis explicandis non ſufficit hypotheſis, qua propter Cl. Auctor ſitus mutationem in ſolidis globi terreſtris partibus aliam, ſiue generalem ſiue particularem aſſumendam eſſe ſtatuit, quae per exempla etiam, a nobis adducta, ab illo confirmatur. Ex quibus ſimul clarum fit, eius modi cataclyſmos recentiores eſſe, neque omnes
p. 740. uno eodemque tempore factos. Quodſi deinde addere

dere liceat, maiorem vel minorem terrae partem intumeſcendo eleuatam fuiſſe, et in cauum, inde factum, limum ſuccumque lapideum immiſſum, montium origo, ſtratorum terreorum ſucceſſiones, nunc eaedem, nunc mutatae, dignoſci poſſunt et explicationem admittere, licet non ſyſtema quoddam condere, ſed ex cognitis concludere ſe velle modeſte Cl. SAVVAGES moneat. Vnico adhuc confirmans exemplo, ex formatione vallis, in monte *Eſperou*, inter cimmenios ſito, obſeruatae et muſco obſitae deſumto, hanc conformationem neque pluuiis neque alio aquarum impetui tribui poſſe, ſed cum montium origine conſpirare. Dolemus, nos hic praecipua tantum adducere debere momenta, cum tota tractatio non lectu ſolum ſit digniſſima, ſed, quantum pro rerum cognitione fieri poterat, notabilia et veritati proxima contineat argumenta.

II.

De colica pictonum tentamen. Accedit de natura ſede et origine hydatidum disquiſitio. Auctore IOANNE GRASHVIS, M. D. Amſtelod. apud Is. Tirion, 1752. 8 mai. pl. 9.

Vt colicae, pictonum dictae, ſub qua *dolorem colicum atrociſſimum ſimul et pertinaciſſimum* intelligit, veram indolem atque naturam, huc usque nondum ſatis cognitam atque claram redditam, inueſtigaret Cl. Auctor, optimam, qua in perſcrutandis morbis incedere debemus, viam ingreſſus eſt, omnia nimirum, quae huic morbo competunt, ſymptomata obſeruans, eaque cum aliis morbis, qui omnium illi ſunt ſimillimi, comparans, eaque inter ſe et cum naturali partium, quae affliguntur habitu et actione conferendo, cauſam diri huius morbi proximam eruens. Quo iuſta ratione facto, maximam inter illius atque p. 12.

p. 2.

dyſenterici affectus et teneſmi dolores intercedere conuenientiam iudicat, ac utriusque eius morbi cauſam proximam in defectu vel nimis facili abſceſſione muci illius ponit, quem ex cryptis et glandulis expreſſum toti inteſtinorum internae ſuperficiei, uti permultis etiam aliis corporis partibus ſenſilibus, illinitum eſſe, ex anatomicis et phyſiologicis obſeruationibus com-
p. 17. pertum habemus. Similem quoque morboſi ſtatus rationem in multis aliis morbis obſeruari dicit, ita ut v. c. in aphthis, iſtaque ſingulari, infantibusque huc usque in pluribus fere Europae prouinciis adeo infenſa, angina gangraenoſa vel ſtrangulatoria quibusdam dicta, cuius nos etiam variis in locis deſcriptionem dedimus, porro atque in primis in ſtranguria et veſicae teneſmo, lubricantis illius muci inſignis copia excernatur, eiusque inde defectus diris, qui in talibus morbis obſeruantur, cruciatibus occaſionem ſuppeditent.
p. 22. Iis igitur, quae ex obſeruationibus de morbis ſimilibus Cl. Auctor attulerat, ad colicam pictonicam applicatis, docet, quod, muco illo quacunque demum ex cauſa abraſo, acutiſſimus omnino dolor, vel a perpetuis internorum inteſtinorum parietum ad ſe inuicem fricationibus, vel ab omnibus ingeſtis ibiue ſecretis acribus aut duris, ortus, interiorem illius canalis tunicam denuda-
p. 26. tam afficiat; id quod ex natura illius tunicae villoſae, cuticulae externum corporis habitum inueſtienti ſimilis, prout a Cl. MONROO * ea demonſtrata fuit, ul-
p. 29. terius illuſtrat. Reliqua dein huius morbi frequentiora ſymptomata ex eadem cauſa proxima explicantur, prout nimirum partes affectae magis vel minus nudae factae, vel etiam excoriatae ſunt, aut dolorum vehementia grauior aut mitior ſpasmodicas contractiones excitat, ideoque reliquum neruorum ſyſtema in con-
p. 33. ſenſum trahit. Paralyſis, quae ſaepe huic morbo ſuperuenire ſolet, pro critica quaſi eius mutatione a multis quidem medicis habita fuit: ſed dolores, ea iam oborta,

* Medic. Eſſays Edinb. Vol. IV.

oborta, vel adhuc dum saeuiisse, vel redintegrata ferocia recruduisse, Cl. Auctor affirmat. De morbi, per se curatu difficilis, iamque curati visi facile redeuntis, euentu incertum omnino a medico ferri potest iudicium. Si sola muci abrasio morbum fecerit, curationem is non adeo difficulter recipit: longe difficilius autem curatur, si intima intestinorum membrana excoriata fuerit, quippe quae restituenda erit: pessimum autem morbi statum, qui dirissima excitat mala et omnem fere curationem respuit, faciunt ulcera, intestinorum substantiam erodentia. Nec aliqua euacuatione critica, uti auctorum quidem plurimi tradiderunt, solui morbum posse, Cl. Auctor iudicat, nisi forsan solo praegressae causae respectu, quae tamen obscura, vel saepe prorsus incognita sit. Quodsi etiam v. c. aluus sponte soluatur, aut sudor erumpat, morbi potius iam sublati eos esse effectus, existimat. Vt morbum igitur, omnibus fere medicorum studiis atque laboribus huc usque resistentem, profligaret, modumque, quo curari is posset, discceret, omnem mouit lapidem; nuncque sequentem, uti causae proximae respondentem, sic et tutissimam usuque comprobatam, methodum aduersus istum commendat. Ad leniendos igitur dolores, qui medenti primus esto finis, sine eo, quod ad causam specialem respiciat, ingens diuque continuata anodynorum remediorum copia necessaria est. Dein, ut causa proxima vel auferatur, vel extinguatur, lubricantia, emollientia, uno verbo demulcentia dicta, tam interne adhibenda, ut oleosa, mucilaginosa, farinacea, quam externe applicanda is suadet, v. c. lotiones, in primis oleosas, in anum iniiciendas, balnea, fomenta, cataplasmata, ex lenientibus composita, et quae ad ea pertinent, e. g. omentum recens mactati animalis, e. s. p. Tertio post ea curet medicus, ut partes affectas, quantum quidem fieri potest, instauret, earumque vitium corrigat. Hic autem saepe opus, hic labor! Si quis enim

p. 34.

p. 36.

p. 41.

p. 42.

p. 45.

iam enarratis quoque ſatis fecerit indicationibus, curatio tamen nondum erit tuta. Quam difficile omnino ſit, vitiatam muci inteſtinalis, in glandulis tam paruis, quales ſunt folliculoſae, ſecernendi, ſecretionem mutare, is facile intelliget, qui perpendit, quam parum ars noſtra in tales particulares ſecretiones valeat. Stimulantibus quidem et calefacientibus motum augeri poſſe, conſtat: in mucoſorum tamen humorum ſecretionibus tardiore potius, quam celeriore ſanguinis circulo opus eſſe, ex phyſiologicis principiis aeque ac ex natura aliorum morborum, e. c. coryzae, cognita, nouimus. Apparet ergo, omnia calefacientia, in aliis colicae generibus non nunquam proficua, huic noſtrae prorſus eſſe aduerſa. Gluten enim illud blandum, quodſi interdum quoque non prorſus deficiat, certe tamen, dum morbum facit, nimis eſſe ſolet tenue, ideoque facile abſcedit. Huic igitur vitio talibus occurrendum eſt remediis, quae ſine calefaciendi ſtimulo roborant et adſtringunt. Horum quoque uſum inſignis illa utilitas commendare videtur, quam talia in aliis quoque morbis, qui ſimilis interdum obſeruantur eſſe naturae, praeſtant, fluore ſcilicet mu-
p. 49. lierum albo, ſtranguria, dyſenteria, aphthis. Cum interim his aegris aluus vehementer eſſe ſoleat conſtipata, quartam denique indicationem, per totum morbi decurſum, ante oculos habeat medicus, ut illa nimirum libera ſit atque talis maneat. Vrgente quidem dolore, purgatio haud debet inſtitui; eo autem paulo mitiore facto, clyſmata vocentur in uſum; his vero ab aegro, uti interdum fieri ſolet, non facile admiſſis, leniſſima dentur laxantia, optimi in primis uſus, quan-
p. 51. do anodyna, ſuadente id etiam Cl. HVXHAMO, cum iis combinentur. In genere autem per ſe liquet, omnia, quae ad has modo dictas indicationes pertinent, pro morbi ſymptomatibus aut ſingula, aut inter ſe mixta, aut ſibi interpoſita, applicari poſſe atque pro
p. 52. re nata debere. Venae ſectio, veſicantia et ſimilia locum

cum in hoc morbo tum demum habebunt, quando urget inflammationis metus; emetica vero vel purgantia, quando dati veneni ſuſpicio adeſt. Diaeta aegri p. 54.
ex demulcentibus, eupeptis et facile nutrientibus ſit compoſita. Conuulſiones et paralyſes, rari tamen, ſi dolores cito refraenantur, morbi huius comites, methodo alias uſitata curentur. Ne morbi redeant, a p. 56.
medico quidem curandum eſſe dicitur: quam difficulter autem id ab eo praeſtari queat, is lubentiſſime concedet, qui cauſae cuiuslibet morbi proximae cauſam προηγουμενην tum praecauendam eſſe cognouit. Haec vero, cum lente inque partibus remotis ſaepe agat, ne vix quidem umquam, raro ſaltem, indagari poteſt. Interim ut colicae noſtrae reditus praeuertatur, et frigus, et corporis exercitationem ſolito laborioſiorem, et animi motus efferos, vitanda, aluum vero ſemper liberam ſeruandam, porro lactis aſinini, aquarum medicatarum, in primis autem medicamentorum roborantium et adſtringentium diuturnum uſum, Cl. Auctor ſuadet atque commendat. Huic, quem huc p. 60.
usque deſcripſimus, ſimillimus morbus eſt quoddam ferocis *cardialgiae* genus, in Hollandia frequens, a colica pictonica eiusque indole non, niſi loco, differre viſus, et eodem, quo haec, modo curandus atque praecauendus. Subnectit huic tractationi Cl. Auctor p. 63.
duas ſimilium morborum hiſtorias, eleganter etiam, uti is ſolet, conſcriptas, quarum una *de colica habituali et dyſenterica corticis ſimaroubae ope, feliciſſime curata*, altera vero *de ſtranguria vel teneſmo veſicae per viginti et ultra annos moleſtiſſimae, ſubitiſſime curata*, agit. De illa tamen, uti et alia, quae finit hunc librum, *de natura* ſcilicet, *ſede et origine hydatidum, diſquiſitione* *, cum ea actis phyſico medicis academiae naturae curioſorum inſerta legantur, ex inſtituti no-

* vid. Tom. VII. p. 408, et de colica habituali Tom. VIII. p. 94.

ſtri legibus nihil iam dicimus: alterius vero obſeruationis, cum eam nec in illis actis, neque alibi inue-
p. 69. nerimus, breuem dabimus recenſionem. Vir quinquaginta annos natus a vigeſimo et ſexto aetatis ſuae anno, a ſuppreſſione urinae poſt largiorem vini rubri potum ſubito orta ſatisque moleſta ſtranguria ita vexatus fuerat, ut iſchuria aliquando accederet, cum perpetuo quidem ſed irrito urinam mittendi ſtimulo et vehementiſſimis cruciatibus, donec magna cum vi excreti pituitoſi et interdum vitrei dicti muci copiam ſequeretur lotium, quod iſtam pituitam ſaepiſſime ſibi intime habuit admiſtam, eamque refrigeratum modo depoſuit; non numquam ſtrias etiam ſanguineas, imo merum ſanguinem, traxit. Remedia a multis medicis aegro propinata nullius fere, lenientia tamen et inuoluentia optimi, pellentia vero et diuretica peſſimi uſus fuerunt. Poſt varia etiam, a Cl. Auctore incaſſum data, in eam is incidit coniecturam, numne perpetua muci, veſicae ductuique urinario illiniti, abſceſſio omnium horum ſymptomatum cauſa eſſet, et nonne is per adſtringentia retineri, ideoque hae partes ab urinae acrimonia defendi poſſent? En! feliciter res ceſſit. Poſt uſum itaque tincturae e corticibus peruuiano et cinnamomo et vitrioli ſpiritu compoſitae, a ſecundo iam die leuamen ſenſit aeger, eaque medicina, cui interdum tinctura ſucci catechu interponebatur, per anno longius ſpatium adhibita, ad perfectam ſanitatem rediit. Strictiorem inſimul diaetam, vini, diureticorum atque ſtimulantium remediorum, validorumque corporis motuum fugam obſeruare debuit, a qua, ſi quando receſſerit, ferox iſtud malum redire quidem viſum, illico tamen quiete, abſtinentia, et modo dictae medicinae uſu, breui ſedatum fuit.

* *

III.

III.

D. PHIL. ADOLPH. BOEHMERI, M. et Anat. Prof. in regia Fridericiana publ. ord. Imp. Acad. N. Cur. Collegae, obſeruationum anatomicarum rariorum faſciculus notabilia circa uterum humanum continens, cum figuris ad viuum expreſſis. Halae Magdeburgicae apud Io. Iuſt. Gebauerum 1752. fol. mai. pl. 13½ tab. aen. 3.

Cuius iam alibi merita in rem anatomicam comprobauimus Cl. Auctoris, nouum nunc illudque ſplendidum adducimus eruditionis documentum, mole quidem non magnum, nouis tamen obſeruationibus quibusdam illuſtratum. Ex his primo loco de iis liceat referre, quae ex uniuerſa anatome, tanquam ſingularia, in praefatione, repetere ipſi placuere. Oſteologica itaque, myologica, angiologica, ſplanchnologica, tandemque neurologica obſeruata adnotantur plura. Inter oſteologica coſtarum vertebrarumque exceſſus vel defectus locum habent, in myologicis, ſtylogloſſos muſculos aliquando defeciſſe, ſtylopharyngaeum dextrum et mallei internum duplices extitiſſe, vel alios multiplicitate ſua luſiſſe, deprehenſum ab eo eſt. In vaſis haud rarae ſunt varietates, iunioribus etiam ſubiectis ob humoris gelatinoſi ſiccitatem et coagulationem oſſea illa redduntur, ex annoſioribus tamen in aorta ſpermaticisque arteriis exempla proponuntur. Numerus ramorum, eorum ortus et diuiſio copioſioribus anſam dedit expoſitionibus, inter quas haud praetereunda eſt illa, qua, ſaepius deficiens, vena bronchialis in azygam diſtincta abiens fuit detecta, nec non viſa duplex vena caua ſuperior, azygo pariter duplici ſtipata. In viſcerum perſcrutatione pancreatis ductus geminus, glandularum bronchialium magnitudo et copia, thyroideae glandulae cornu

alterum, prout glandulae COWPERI mucoſae deficientes, aliquando exiguae repertae, idque ſemper magis, ac ab ipſo deſcriptae ſunt COWPERO, vaſorum lymphaticorum in hepate decurſus, et ad ſternum, mammas et diaphragma acceſſus, nec non in ventriculo, liene et renibus eorum praeſentia, ſeſe obtulerunt; thoracicum vidit Cl. Auctor ductum in venam ſubclauiam dextram terminatam; lactiferos mammarum ductus, varie diuiſos, in mammae glandulas introeuntes, circulum vero Nuckianum non deprehendit. Ex reliquis tandem, quas praetermittere cogimur, adnotationibus, memoria dignum eſt maximum ganglion in portione dura, non procul ab egreſſu per extremitatem inferiorem aquae ductus FALLOPII, ouale ſimul cum dura portione ex maxillaris inferioris et ceruicalis ſecundi paris neruis conflatum. His autem expoſitis, ad uterum, quem ſibi conſiderandum ſumſerat, accedit propius Cl. Auctor, de eo ſex propoſiturus obſeruationes, quarum prima pertractabit conceptionem ouariam, ſecunda concrementum exponet oſſeo lapideum, in uteri cauo repertum, iuncta conceptione tubaria perfecta et imperfecta, tertia perpendet ouaria praeternaturalia, unum hydropicum, alterum ſubſtantiam cartilagineo oſſeam continens, in femina deprehenſa; quarta de utero humano bicorni et bifido cum vagina duplici, quinta deinde de orificio uteri, praeter naturam clauſo, diſpiciet, et ſexta tandem plenariam orificii uteri prolapſi cum vagina relaxata concretionem, et nimiam ſimul cum hac connexam veſicae urinariae craſſitiem, explicabit.

Ex obſeruationibus autem illis, nunc primam tantum accepimus, reliquas enim ſenſim ſe nobis traditurum eſſe promiſit Cl. BOEHMERVS, quas ob rei dignitatem, et Auctoris ſtudium, in iis adhibitum, non expectamus ſolum, ſed etiam ſuo exponemus tempore. Conſiderat illa conceptionem ouariam, quam

quam variis aliorum auctorum exemplis comprobatam, hic autem nouo casu ita adornatam videmus, ut post traditam morbi, et qui cum eo conspirant, effectuum disquisitionem, momenta, in cadauere notata, explicet, suumque de illa re iudicium in epicrisi addat. Deprehensa autem fuere consueta aliis grauidis symptomata in triginta et octo, quae subiectum constituit, annorum femina, ex quibus praecipue tantum notamus, tumorem sinistri lateris, ad hypogastrium usque prorepentem, cum grauitatis sensu coniunctum, et difficultatem mingendi, ab intempestiue adhibitis fortioribus emmenagogis productam. Quibus, cum vehementes quidam excitarentur dolores, partus autem subsequi non posset, febris conuulsionesque accesserunt, et vitae imposuerunt finem. In cadaueris sectione eo praecipue enitendum erat, ut quae in praeter naturam facta eius modi conceptione contigere, studiose exponerentur, id quod sibi praefixum habens Cl. Auctor officium, ita expleuit, ut omnium, ad uterum pertinentium, partium, explorationem instituueret, ex quibus praecipua tantum referre possumus, cum omnia momenta notasse nimis nos a scopo nostro abduceret. Ouarium itaque sinistrum, in quo conceptus factus fuerat, facci maioris instar comparuit membranaceo carnosi, maximam uteri partem replentis. Hic tamen inflammatione tactus et sideratus erat, ita quidem, ut per mediam eius posteriorem partem facta inde ruptura pes embryonis dexter, ad genu usque prolapsus, conspiceretur. In ouario dextro rugoso et rimoso vesiculae duae Graafianae, sine calice et corpore luteo, extabant. Cum grauido ouario fimbriae Fallopianae coaluerant tubae, quod praeter ea copiosis venis, paucioribus tamen arteriis instructum se spectandum praebebat. Dissecto deinde utero, intus tenax occurrebat et flauescens mucus, mollisque poroso villosa et valuulosa membrana, internae eiusdem applicata superficiei. p. 25.

perficiei. In ouario porro communis, quae illud obuoluit, membrana in duplicem se resolui facile patiebatur, et exterior fibrosa, interior, uteri instar, sinuosa erat, tenera villosa tunica undique obuoluta. In hoc ipso foetum trium circiter mensium et ultra, sexus potioris continebatur, ita dispositus, ut capite ad sinistrum dimisso humerum, prona et obliqua facie perpendiculariter positus, inferiusque conglobatus, posteriorem ouarii partem respiceret. Ille ipse tamen funiculo umbilicali, suisque consuetis obuoluebatur membranis. Haec reliqua momenta tres adiectae observationi tabulae aeneae repraesentant. Epicrisis autem has, et ad conceptionem in uniuersum pertinentes, conditiones sollicite disquirit, operamque adhibuit Cl. Auctor, ut aliorum etiam, quae copiose satis recenset, de eius modi rebus monumenta adferret.

p. 30. Conceptio in naturalem et vitiosam distribuitur, quae posterior ergo sub se etiam ouariam comprehendit, quae vel profundius in eo haeret, internam faciens, vel sub superficie eiusdem fit, constituens externam. Illa, quod omnis ouarii substantia inde ob extensionem summam, vasorum compressionem, aliaque patiatur, hac multo magis periculosa nec non absolute letalis est. Ast, quod ouaria conceptionis huius organum sunt, horum etiam is ingreditur disquisitionem, et vera in iis oua esse comprobat. De quibus, cum adhuc disputari soleat, ita statuit, ut vesiculas GRAAFII pro illis habendas non esse, sed sacculos potius lymphaticos, in calicibus luteis comprehensos, ea sistere euincat. Dictae namque vesiculae cum aetate et augmento verorum ouorum disparent. Luteum e contrario corpus et calix excrescunt, hinc externa ouarii membrana attenuatur, et papilla eminet, porum membranae, ouarium succingentis, distendens. Quodsi igitur per varias impediatur causas ouum, quo minus ex calice suo abire et in uterum delatum conceptionem constituere possit, relinquitur, crescit, et perfectam,

sectam, si foetus, imperfectam, si mola vel monstrum inest, constituit conceptionem. Haec autem omnia p. 38.
in praesenti contigisse casu nunc a Cl. Auctore ita demonstrantur, ut momenta, in grauiditate et post mortem obseruata, sigillatim proponat, causas etiam, symptomata, nec non signa praesentia diiudicet. Sunt ne autem certa ouariae conceptionis signa, potestque artis praesidium in ea tollenda aliquid conferre? de hisce quaestionibus nunc adhuc dispicit Cl. BOEHMERVS. Priorem considerantibus signa tum generalia factae grauiditatis, tum specialia quaedam, ut tumorem ventris, grauitatem, pondus in uno magis, quam altero loco obseruatum, mammarum flaccidiatem et similia plura, offerre apparebit, ex quibus tamen probabile tantum de conceptione tali ferri potest iudicium. Posteriorem ergo pariter dubiam habere responsionem patet, nisi, quod natura in exteriori quam vocat, ouarii impraegnatione diu aliquando delitescentem foetum exsiccet, vel per abscessum aliquando viam exclusioni pandat, vel caesareae sectioni locum relinquat. Licet inficiandum non sit, utroque in casu grauidam in vitae deduci periculum.

IV.

Dissertatio physica de petrificatorum differentiis et varia origine, praeside IOANNE GESNERO, M. D. Phys. et Math. P. P. O. defensa a Dauid a Moos, &c. Tiguri. 1752. 4. pl. $6\frac{1}{2}$.

Tanta est corporum animantium vel vegetabilium, in fossilem substantiam mutatorum, copia, ut sine omni dubio vel ex diuersitate eorundem, vel ex varia conformationis ratione fundamenta desumi possint, pro stabiliendis et explicationibus et methodis, dispos-

diſpoſitionibusque. Vtrumque perficere anniſus eſt Cl. Auctor in adducto hoc ſpecimine, ex quo amplam petrificatorum cognitionem nec non ſagacem eorundem diſquiſitionem, ab eo inſtitutam, diiudicare licet. Differentias enim atque claſſes exinde conſtituit ita, ut varia ſimul noua propoſuerit. Supereſt ad completam petrificatorum hiſtoriam, ut de eorum locis natalibus, diuerſis ſtratis, materia ea componente, numero, conuenientia et diſcrepantia cum aliis corporibus, agat, quod alio ſe loco eſſe facturum promittit, nos vero, ut conſilium propediem exequatur, optamus, quippe cum ex omnibus demum hiſce ſimul ſumtis momentis vera de origine lapidefactorum ſententia poſſit formari. In ipſis autem petrificatis corporibus hanc eſſe obſeruamus differentiam,
p. 4. ut vel tota eadem lapidea euadant, ex diuerſis tamen maſſis diuerſo modo compacta, vel mineram conſtituant, vel ſubſtantiam, parum mutatam, oſtendant, ut ligna aliaque, vel veſtigia ſubſtantiae priſtinae tantum exhibeant, quae typolithi vocantur, vel nucleo ſeu interaneis reſtitantibus, teſta deſtituantur. Diſtingui igitur a graptolithis facile poterunt, quae corporum ſimilitudinem tantum ſiſtunt, quo etiam dendritae pertinent et naturales et illi artificioſi, quos
p. 7. elegantes Cl. Auctor ex ſolutione dilutiore argenti in aqua forti, applicatis fruſtulis ferri, cupri, zinci vel wismuthi parare nouit, quorumque nitida nobis ad manus exempla ſunt. Omnia deinde ex animalibus vegetabilibusque proficiſci non ſolum ex exacta, talia referente, figura et fabrica eorundem, immo et vitiis, morbisque praegreſſis, ſuis adhuc notis conſpicuis, ſed ex chemica quoque patet exploratione, quae eadem, quae illis conſueta ſunt, corporibus, nobis offert principia. Hae autem conditiones illae ſunt, quae duplicem formare tum animalium, tum vegetabilium corporum lapidefactorum claſſem monebant Cl. GESNERVM, harumque ordines ex figura, quam

refe-

referunt, ut desumeret, ei persuadebant. Prior classis itaque phytolithos, altera zoolithos perpendit. Illi p. 12.
vel totam sistunt plantam, ut filices et equiseta in schisto, et proprie phytolithi dicuntur, vel radices tantum, ut osteocollae, rhizolithi vocati, vel truncos, qui lithophyta et lithocalami audiunt, vel folia, lithobiblia et lithophylla nuncupati, vel fructificationis partes, flores nimirum et fructus, carpolithorum nomine venientes. De quibus generibus, postquam Cl. Auctor aliorum scriptorum denominationes et exempla proposuit, ad zoolithorum considerationem progreditur. Horum plura dantur genera, studiose pariter perlustrata, subiunctis simul eorum speciebus. Medium tamen plantas inter et lapides, cum mereantur locum corallia, horum exponens naturam Noster, cum IVSSIEV, VITALIANO aliisque pro domiciliis vermium eadem habet. Possunt vero zoolitha ad nouem ordi- p. 15.
nes referri, primus zoolithos lithophytorum complectitur, qui corallithi vel corallites aliis nominantur, et in quatuor abeunt genera sequentia: *corallites solidus, teres, ramosus*, seu corallium rubrum fossile, *corallites lithophytus, tubulosus, cauitatibus radiatis* s. madrepora, *corallites lithophytus tubulosus, cauitatibus simplicibus* s. millepora, *corallites keratophytus, fruticosus, retiformis*. Alter ordo zoolithos zoophytorum seu zoophy- p. 18.
tholithos exponit, ad quos stella marina pertinet. Tertius circa digerendos zoolithos testaceorum versa- p. 19.
tur, qui ob maiorem numerum et figuram in septem distribuuntur genera, in *echinitem* nimirum, *balanitem, patellitem, conchitem, tubulitem*, ad quem belemnites refertur, et *cochlitem polythalamium* seu multilocularem, et *simplicem* s. monothalamium. Polythalamii autem denuo subdiuisa complectuntur genera inferiora quatuor, *lituitem, ammonitem, nautilitem*, atque *helicitem* siue lentes lapideas; monothalamii plura, quae ex tuborum, cochleam constituentium, differentia et modo circumuolutionis definiuntur.

Ad

p. 35. Ad quartum ordinem zoobithi inſecti vel entomolithi pertinent, quod nomen iis praecipue tribuitur lapidibus, qui ex inſectis fiunt alatis, illi vero, qui ex cru-
p. 37. ſtatis oriuntur, aſtacolithorum nomen habent. Quintum ordinem conficiunt zoolithi piſcis ſeu ichthyolithi, quorum nomina ea tenus diuerſa ſunt, qua tenus integrum piſcem repraeſentant, vel partes eiusdem.
p. 40. Sequuntur in ſexto ordine zoolithi amphibii vel amphibiolithi, ut ſerpentum, ranarum et teſtudinis, in
p. 41. ſeptimo porro zoolithi auis ſeu ornitholithi, in octauo deinde zoolithi quadrupedum, quos proprie zoolithos
p. 46. vocare poſſemus, in nono tandem anthropolithi. His declaratis pauca tantum de origine lapidefactorum corporum lemmata proponit, quibus alia eorum antiquiſſima, diluuii uniuerſalis teſtes, alia recentiora eſſe et fieri euincitur.

V.

Obſervations ſur l' hiſtoire naturelle ſur la phyſique et ſur la peinture avec de planches imprimées en couleur. Année 1752. Tome premier, à Paris, chez de la Guette. 4. mai. *. 1. Alph. 2½. pl. tab. aen. 14.

Hoc eſt:

Obſeruationes ad hiſtoriam naturalem, phyſicam et artem pictoriam pertinentes, cum tabulis viuis coloribus expreſſis. Tom. I.

Corpora naturalia eorumque mutationes contemplari, cunctaque phaenomena accurate enumerare, arduum omnino eſt negotium, quod per tot ſecula

* In hac editione tabulae coloribus pictae ſuis locis inſeri et ſimul compingi poſſunt, altera vero, quae in 12mo eſt, illis forte acceptior eſſet, qui tabulas ſeparatim

ſecula a viuis eruditis tractatum, et noſtro potiſſimum maiori cum cura ſuſceptum, poſteris tamen multa adhuc diſquirenda relinquit. Non inutilem itaque Cl. Auctor ſuſcepit laborem, cum obſeruationes, ad hiſtoriam naturalem, phyſicam et artem pictoriam pertinentes, per partes edere conſtituerit et primum iam tomum, tres partes complectentem, in lucem ediderit. Eſt ille Cl. GAVTIER, Chalcographus celebris, qui artem tabulas, aeri inciſas, viuis coloribus exprimendi, regio priuilegio inſtructus, hactenus exercuit, et Myologiam, anatomen capitis, anatomen viſcerum una cum angiologia et neurologia tabulis eius modi illuſtratas dedit.* Praeuidemus equidem, hanc ipſam artem, corpora naturalia viuis coloribus depicta ſiſtendi his obſeruationibus anſam dediſſe, nec ſatis certi ſumus, an accuratior hiſtoriae naturalis et phyſices cognitio, vel ab Auctore, vel ab iis, qui eum iuuant, expectanda ſit, in re tamen adeo ardua et utili perficienda nec conatus improbandos eſſe lubenter concedimus, dum modo non ficta, ſed vera naturae phaenomena exhibeantur. Tomi primi tres priores partes, quas iam examinandos nobis ſumimus, ſpecimen exhibent, quid impoſterum a Cl. Auctoris laboribus, in hiſtoriae naturalis et phyſices ſtudio illuſtrando, nobis promittere poſſimus. Nos vero pro more noſtro illas tantum, quas noſtris ſtudiis accommodatas deprehendimus obſeruationes, exhibituri ſumus.

Partis

ratim colligere et in ordinem methodicum, hiſtoriae naturali accommodatum, diſponere vellent, quod tamen aliis, qui in libro perluſtrando tabulas ſimul inſpicere volunt, minus commodum videbitur.

* Splendidi huius operis, a ſeptem abhinc annis per partes editi, veram rationem in noſtris commentariis expoſituri ſumus, quam primum ultimas tabulas, quas Auctor proxime editurum ſe eſſe promiſit, acceperimus.

Partis primae obſeruatio prima exhibet *noua inuenta, circa generationem contra eos, qui vel ex ouulo, vel ex*
p. 10. *vermiculo eandem explicant.* Veterum philoſophorum placita et recentiorum phyſicorum hypotheſes circa generationem, ſed minus accurate recenſet, quas quidem fuſius examinare non libet, ex meditationibus tamen ſummariis, nunc recenſendis, aſſertum noſtrum
p. 12. ſatis confirmare valemus. Quaeſtionem nimirum iis, qui utriusque ſeminis concurſum aſſumunt, mouet: Cur ſemen maris liquorem frigidum, quem foemina in coitu emittit, ad foetus perfectionem requirat, cum tamen ipſum particulas magis calidas et ſubtiles contineat? Cur dentur animalia, (polypos hic intelligere videtur,) quae generationem ſine foemina perficiant? Foetum in ouulo delineari non concedit, quoniam progreſſio in infinitum aſſumeretur, ſi ouulum in ouulo contineretur; quoniam ouula frigida ſint, et nunquam in viuiparis exiſtant; quoniam tandem foetus, in abdomine deprehenſi, huic hypotheſi non faueant. Iis, quibus animalcula ſpermatica placent, obiicit, vermiculos, a pluribus aſſumtos, ante emiſſionem ſpermati non ineſſe, ſed per corruptionem eiusdem, uti in aceto fieri ſolet, produci. Agilitatem quoque ſummam vermiculorum ſententiae contradicere affirmat, cum cauſa nulla ſit, cur eandem in continuata corpuſculi organiſatione amittant. Leuidenſia haec argumenta ſub examen vocare, noſtrum non patitur inſtitutum, ideoque etiam coniecturam, de formatione foetus, quam Auctor proponit, breuiter tan-
p. 13. tum indicabimus. Foetus ſub forma fluida, ex ſanguinis optima parte et ſpiritibus concurrentibus, in veſiculis ſeminalibus maris formatur, et quidem per mechaniſmum, illi ſimilem, qui incrementum partium in animali parente produxit, qui ideo tantum in matricem deducitur, quo nutriatur et creſcat. His praemiſſis, progreſſum foetus ex mare in foeminam, illiusque nutrimentum ex liquore ſeminali maris et foeminae,

foeminae, in principio, antequam ſanguine menſtruo nutriatur, deſcribit. Duplex ſemen in omni mare aſſumit, tenue nimirum et transparens liquidum, quod generationi vix inſeruit, ſpiſſum et magis coctum, in quo, ex eius ſententia, foetus iam formatus haeret. Mittimus alia, quae de generatione ulterius diſputat. Ipſe vero, pro confirmanda ſua ſententia, experientiam phyſici cuiusdam, cuius tamen nomen reticuit, adducit, qui foetum, in ſemine haerentem, demonſtrauit. Semen hominis ex urethra effluens aquae p. 15. pellucidae et frigidae immiſit et diſtincte, ſine lentis auxilio, foetum albidum, ex materia opaca et fluida conſtantem, in eo vidit, cuius caput reliquo corpore triplo maius erat, a quo tamen quatuor extremitates filorum inſtar dependebant. Sagaciſſimus ille phyſicus etiam foetum aſininum luteolo colore praeditum vidit et deſcripſit. Cum vero pauci forte ſint, qui experientiae huic fidant, ille et nos et forte alios incredulos ita conuincere annititur, ut foetum, in vitro fluctuantem, et aucta quoque per lentem magnitudine delineet, et omnes faciei partes nec non digitos ipſos diſtincte conſpiciendos offerat. Heu quantum noſter coecitatem omnium obſeruatorum corrigit!

Obſeruatio ſecunda hermaphroditum, in Corſica viuentem, deſcribit, cuius genitalia ſimul delineata exhibentur. p. 16. Miſſis iis, quae ex veteribus ſcriptoribus de hermaphroditis in medium profert, primaria tantum, quae noſtrum concernunt caſum, adducamus. *Maria Nonzia* foemina credita, duplex matrimonium iniit, priore per mortem mariti, altero, poſtquam peruerſa genitalium fabrica detecta fuit, per diuortium ſoluto. Haec mammoſa erat, de reliquo autem robuſtum corpus et faciem barbatam oſtendebat, et ipſa genitalia maſculini ſexus characteres referebant. Colis longitudinem duorum pollicum habebat, glans nuda filamento retracta, erectionem penis non admittebat,

mittebat, urethra deficiebat, urinae quidem meatus concedebatur, qui tamen nec in deſcriptione, nec in icone, ſatis accurate exprimitur. Bina ſepta ſcroti paululum applanata et ſeparata, bini vero teſticuli magnitudinis conſuetae erant cum faſciculis vaſorum ſpermaticorum; ſcroto deinde paululum eleuato, apertura vuluae ſimilis reperiebatur; haec tactu explorata digitum vix admittebat, huiusque progreſſum ulteriorem chordae quaedam transuerſae impediebant, clitoridis vero nulla in orificio hoc veſtigia inueniebantur. Menſtruata ſemper erat aetati conuenienter, et quaeſita: num in veneris deſideriis foemininum ſexum, an virilem magis appeteret, maſculos, ut olim, ſic et nunc veneris ſtimulos excitare ſe poſſe aſſeruit.

p. 19. *Obſeruatio tertia examen hermaphroditi Pariſiis a Cl.* MERTRVD *Chirurgo diſquiſiti ſiſtit* *. *Michel Anna Drouart*, ut foemina educata, examinata annum iam decimum ſextum agebat, mammae vero nondum creſcebant, nec coxae eleuatae conſpiciebantur; penis praeputio tectus, et duo corpora cauernoſa et glandem, ratione magnitudinis aetati conuenientem, habebat, deficiebat tamen urethra. In loco ſcroti labia pudendi, non ea tamen ratione, ut in foeminis, conſtituta reperiebantur, replicata tamen cutis orificium, vaginae ſimile, ſiſtebat, in quo praeter tuberculum, inferius ſitum, etiam canalis urethrae, ut in foeminis, ſed loco paulo inferiore conſpiciebatur. Orificium vaginae ipſum adeo anguſtum erat, ut vix digitum admitteret, menſtrua nondum paſſa erat, ſed ſi etiam, ut in caſu praecedenti, vel menſtrua ſe oſtenderent, vel teſticuli ſe euoluerent, tamen nec maſculini nec foeminini ſexus vera veſtigia huic hermaphrodito adſcribi poſſe, aſſeritur. Amplior de hermaphroditis tractatio in altera parte exponetur.

Obſer-

* vid. comment. noſtros Vol. I. Part. 2. p. 228.

Obſeruatio quarta varia in anatome talpae detecta p. 20.
exhibet, ex quibus pauca tantum hinc inde excerpere ſufficiat, cum ex iis, quae de ſceleto habet, et quae nosmet cum exemplari conferre potuimus, deſcriptiones ſatis imperfectas eſſe, deprehendamus. Hepar et pulmones, in plures lobos diuiſos inuenit, quod quidem in animalibus pluribus quadrupedibus obſeruari ſolet, nec ſingulare nobis eſſe videtur, licet ab humana fabrica differat. Inuolucrum ſanguineum et ſpongioſum, quo cor et pulmones inueſtiri dicit, non accurate ſatis deſcriptum deprehendimus, nos forte illud a praeternaturali ſanguinis effuſione ortum traxiſſe, opinamur; interim eius uſum in refrigerio et acceleratione ſanguinis, quando animal in aere libero viuit, conſpici, in terra vero illud gradum quendam fluiditatis et refrigerii conſeruare, ſtatuit Cl. Auctor. Nec accuratiora ſunt, quae de organis generationis produxit. Animalia haec in terra coitum ſuum exercere aſſumit, eumque ideo ſine motu perfici addit, quod plura in iis, quam in aliis animalibus inueniri credat ad generationem facientia organa. Praeter veſiculas enim ſeminales et ad latus eorundem duo vidit corpora, inter ſe et a veſiculis diſtincta; prius et maximum appellat ganglion ſiue plexum neruoſum, quod receptaculum caloris et ſpirituum animalium ſit; hoc permultis tunicis inuolutum, canale anguſto in vas deferens, proxime ad veſiculam ſeminalem, terminatur: alterum, quod mediae magnitudinis eſt, teſticulum ſecundarium appellat, qui a latere canalis, a vaſe deferente producti, ponitur et in illum inſeritur, hoc corpus, praeparatum in prioribus teſticulis, ſperma ſuſcipit et ulterius perficit.

Obſeruatio quarta, quae quinta dicenda erat, *inuen-* p. 25.
tum Cl. D'AVBENTON, *colores lapidum pretioſorum, ope colorum, a priſmate productorum, definiendi, et* ſub examen reuocat, et perfectius reddere annititur, et data hac occaſione de differentiis lapidum pretioſo-

 rum,

rum, a colore desumtis, fusius differit Auctor. Hactenus adductas obseruationes ad historiam naturalem refert, in obseruatione autem physica de motu et paralaxi lunae differit, in iis, quae ad artem pictoriam referuntur, examen inuenti de musica colorum et iudicia de variis picturis, in arce regia parisina expositis, proponit. Addit tandem disceptationes philosophorum, sub quo titulo varia sua asserta, in primis de genesi colorum contra obiectiones, in quibusdam diariis ipsi motas, defendit, quibus controuersiis iudicium nostrum non addimus, cum pauciſſima ad forum nostrum spectent.

p. 65. *In Parte altera, quinta ad historiam naturalem pertinens obseruatio de limacibus et animalibus, quae sine concursu foeminae generationem absoluunt*, exponit. Negligentiam physicorum in his animalibus obseruandis taxat, cornua limacum, in quibus alii physici oculos se inuenisse credunt, baculos dicit, quibus tangendo viam explorant. Simili ratione limaces et alia animalia, quae sola generationem absoluunt, hermaphroditos esse negat; ex eius enim sententia neuter sexus in hermaphroditis obtinet, cum monstra sint et lusus sic dicti naturae, et ex demonstratione, quam supra de foetu perfecte delineato, in semine masculino contento, proposuit, negotium generationis ex omni parte declaratum esse, audenter pronunciat. Progreditur ad anatomem limacis. Hoc animalculum, ex testa sua egrediens, non vere elongatur, ut primo intuitu videtur, sed ipsum intra domicilium suum testaceum, tenui tantum epidermide inuestitum, egreditur, et cutem, quam retraxerat, bursae ad instar inuertendo replet. Cutis structurae tendinoso musculosae est, in primis vero binae alae, a latere eminentes, quibus rependo progreditur, et glutinoso succo expresso corporibus adhaeret. Natura limacis, dum in domicilio suo quiescit, non nisi in cerebri et neruorum motu

motu consistit, hoc enim in statu spiritus tantum ad vitam sustinendam circulantur. Nutritionem tamen ita describit Cl. Auctor: dentes septem nigri, in superiori parte oris siti, comminuendis partibus vegetabilium inseruiunt, ex his succos optimos, gula infundibuli instar formata, recipiunt et in longum, per dorsum extensum, canalem, qui ventriculi vices habet, deducunt, a quo tamen alius ductus ad anteriora recurrit, qui excrementa iterum reducit, gula vero sub ligamento tendinoso transuerso excurrit, quo alimenta ingesta retinentur. Hepar in sinistro ventriculi latere collocatum vidit, in dexto vero corpus pingue inuenit, cuius tamen usum non explicat, sed eidem tantum corpusculum lieni simile, annexum fuisse asserit. Cerebrum in media parte corporis, loco cordis, collocatum describit, et inde plexus neruosos deduci affirmat, et caput pomum glanduloſum gulam cingens appellat. Cornua ex medio corpore, a parte quadam cartilaginosa, quae viscera sustinet, deducit. Partes generationis testiculos et vesiculas seminales esse dicit, in quibus foetus formatur, quo in matricem ceu tenerum saccum transeat, in hoc tamen ouula in materia quadam rubicunda fluctuare vidit. Penem, quem alii in hoc animali viderunt, adesse negat, et corpus, quod obseruatur, quando limaces conglutinantur, siue ex aliorum sententia coitum exercent, filamenta materiae glutinosae appellat. A dextra tamen animalis parte prope cerebrum corpus durum et album pyriforme vidit, cuius descriptionem obseruatione decima sexta exhibere promittit, licet et ibidem pauca inuenerimus, quae assertum illustrant.

Obseruatio sexta de hermaphroditis ad ductum quaestionis medicae, Parisiis ventilatae, agit. Haec enim ex latino in gallicum sermonem translata hic legitur, et praeter meditationes de hermaphroditis, casum hermaphroditi parisini, superius descriptum, continet. Nos addimus tantum conclusionem, quod nunquam p. 68.

veri dentur hermaphroditi, scilicet, qui et concipere possint et generare. Licet enim natura interdum a consuetis legibus in formatione corporum recedat vel recedere videatur, semper tamen normam certam obseruat. Temperamenta utriusque sexus admodum discrepant, et nunquam partes genitales in iis numero et forma perfectae, in uno corpore humano coniunctae adfuerunt. Subiungitur descriptio et delineatio hermaphroditi, a Cl. SVE chirurgo dissecti, ex quibus praecipua indicabimus. Cadauer in partibus genitalibus sexum potiorem referebat, et, ut Auctor monet, sine omni suspicione sexus sequioris, licet ex icone cognoscamus et penem et scrotum, cum hermaphrodito *Druart*, quem supra descripsimus, et cuius icon in hac obseruatione simul traditur, conuenire. Aperto abdomine, uterus inter vesicam et rectum positus inueniebatur, cui in dextro latere (ex icone vero in sinistro,) tuba fallopiana cum orificio fimbriato, ouarium et ligamentum rotundum, ad inguina deductum, adhaerebat. In sinistro latere tuba et ligamentum hoc rotundum canalem referebant, qui in corpus, testiculo simile, mutabatur, cui superius corpusculum separatum quidem, sed cum epididymide comparandum adhaerebat. Ex testiculo, cuius tamen internam fabricam non disquisitam fuisse, miramur, duo canales reflexi uteri fundo inserebantur. Num conceptio fieri potuisset, si in hoc hermaphrodito motu quodam succussorio, ex testiculo sinistri lateris sperma, et ex ouario dextri lateris ouulum uno eodemque tempore in uterum transiissent, quae Cl. SVE opinio esse videtur, aliis diiudicandum relinquimus. In fine Cl. Auctor sententiam suam de hermaphroditis exponit, omnes scilicet esse foeminas, male tantum conformatas, et clitoride potissimum elongata conspicuas.

p. 73. *Obseruatio septima de floribus et causis varietatis colorum in illis* agit. Auctore Cl. GVYOT. Stamina florum, puluere antherarum per pistillum ad ouarium delato,

delato, ſemina foecundare, res ſatis comprobata eſt, quae hic tantum ex coniectura Cl. GEOFFROI aſſumitur *, et inde concluditur, plantas unius generis et ſpeciei, ſed diuerſorum colorum, iuxta ſe inuicem collocatas, puluerem ita commiſcere poſſe, ut nouae colorum varietates inde oriantur. Experimenta inſtituta paucis annotanda ſunt verbis: Semina auricularum rubrarum, purpurearum, violacearum et albarum, terrae immiſſa, nec coeruleos nec virides produxerunt flores, quod colorum geneſi reſpondere ait; coeruleus enim, utpote primitiuus color, ex commemoratorum colorum mixtione non producitur, et viridis color, non niſi ex mixtione coerulei et flaui, exſurgit. Paucos flores coeruleos eſſe ponit Cl. Auctor, in quacunque etiam ſpecie coerulei inueniantur flores, luteos non ſimul obſeruari, inde enim color viridis oriretur, qui minus amoenus in floribus deprehendatur. In hyacinthi ſpeciebus idem verum eſt, in iridis ſpeciebus contrarium omnino apparet. Flores aut ſimplici colore praediti ſunt, aut varietate colorum ſuperbiunt (*panachée*). Hoc in tulipis potiſſimum declaratur; in his enim album et luteum colorem (ex noſtra obſeruatione ultimum tantum) principem eſſe dicit vel naturalem (*couleur du fond*) et colores variantes (*couleurs qui doivent former le panache*) rubrum, purpureum et violaceum hosque plus minusque obſcuros eſſe aſſerit, et ex his colorum in floribus diuerſis varietatem declarat. Non itaque concedit, tulipas, ob ſenium coloribus variare, ſed quoniam ſuccum, quem ſuſcipiunt, magis ſeligunt: particulae enim coloratae terreis quibusdam moleculis adhaerent; ſi itaque v. c. violaceae cum ſuccis adducuntur et aequabiliter diſtribuuntur, flos ex violaceo pallidus euadit, ſi vero hae particulae in quibusdam locis propius ad ſe inuicem accedunt, color in iisdem obſcu-

* vid. Hiſt. de l'Acad. Roy. des Sciens. an. 1711. p. 194. Edit. Amſtel.

rior deprehenditur, hinc etiam tulipae, varietate colorum insignes, ex defectu huius succi iterum unicolores deueniunt. Plura non addimus, cum varietatis colorum ratio nondum ex his declarari queat.

p. 79. *Obseruatio octaua Philandri, Opassum, siue muris marsupialis americani* (Loir d' amerique) *descriptionem sistit.* Manicou FEVILLEE hoc animal appellat et accurate describit *. Inter murem et vulpem medium quasi genus est, noster vero Auctor et habitum, mores, quaedam ex anatome, et delineationem animalis exhibet, foeminam, quae marsupium in abdomine habet, ipse non examinauit.

p. 81. *Obseruatio noua Ignauum siue Hay simili modo describit.* Bradypus pedibus tridactylis cauda breui LINNAEO dicitur, et MARGGRAFIVS, qui Ai appellat, egregiam eius descriptionem et delineationem exhibuit **, et varia ex anatomicis iunxit; noster Auctor multa ex MARGGRAFIO habet; iconem addidit, viuis coloribus depictam, faciem tamen, et humanae nimis similem, et colore rubente insignem, proponit, qualem descriptiones non exhibent. Addidit aliam speciem, simiae magis similem bruni coloris.

p. 82. *Obseruatio decima dexteritatem hominum contra vires et astutiam animalium ferocium exemplis illustrat,* quae quidem et reliquae obseruationes physicae, nec non alia, in hac parte contenta, cum ad nos non respiciant, lubenter omittimus, eorum quoque, quae in parte tertia occurrunt, summam tantum indicaturi.

p. 131. *In Parte tertia obseruatio undecima*, quae ex ordine ab Auctore assumto ad historiam naturalem spectat, *de surdis et aure testudinis agit.* Ex literis CAROLI PLVMIERII ad BAVLOT scriptis ea, quae ad testudinem

* Journal des observ. physique etc. Tom. *III.* à Paris, 1725. 4to. p. 206.

** In historia rerum naturalium Brasiliae Lib. *VI.* Edit. Amstelod. 1648. fol. p. 221.

dinem ſpectant, depromſit Auctor. In his primo declarat culices, paruula inſecta, organis auditus non deſtitui, quoniam, ſtrepitu magis, quam odoratu allecti hominem ſectantur. His praemiſſis ad teſtudinis aurem deſcribendam ſe conuertit, et ea repetit, quae academia regia ſcientiarum pariſina * et IOH. CALDESI, italus, ** de aure huius animalis commemorarunt, et cum hi nullum orificium externum ſiue meatum auditorium concedant, ipſe PLVMIERIVS non diſſentit, orificium tamen apertum in quadam teſtudine americana ſe inueniſſe monet. Cum vero CALDESIVS per rimas, in palato teſtudinis, quae tubae Euſtachianae orificia ſiſtunt, aerem intrare poſſe moneat, illud quoque concedit Cl. Auctor, licet et membranam externam, aere motam, ſonos ad interius latens tympanum propagare poſſe urgeat, qua occaſione varia de auditu per os proponit; et Cl. GAVTIER varias obſeruationes de poſſibili ſurdorum auditu ſubiungit. Anatomica deſcriptio et delineatio auris internae teſtudinis, a PLVMIERIO exarata, tandem ſubnectitur et illuſtratur.

Obſeruatio duodecima, de natura ſanguinis agit, p. 138. fluiditas eius potiſſimum ab igne ſiue calore deducitur, et coloris eius ratio declaratur, Cl. SENACI tractatus de corde laudatur, tandemque obſeruatio CAROLI PLVMIERII de corde teſtudinis cum iconibus, ab eo exaratis, proponitur, et aliae partes huius animalis internae, ab hoc aliisque auctoribus deſcriptae, adduntur.

Obſeruatio decima tertia de teſtudinibus in genere earumque uſu agit. p. 147. Varia, quae ſpecies et naturam animalis huius concernunt, praemittuntur, et uſus carnis pro nutrimento, loricae in fingendis variis utenſilibus,

* Hiſtoire naturelle des animaux 1676. p. 204.

** Oſſervazioni anatomiche di GIOVANO CALDESI Aretino, intorno alle tartareghe maritime d'aque dolce et terreſtri. Firenze, 1687. 4. p. 11.

silibus, variarumque partium in medicina ex auctoribus recensentur, et delineatio testudinis squamis aureis tessellatae iungitur.

p. 150. *Observatio decima quarta nouam descriptionem concretionum glaciei, in cauerna Arcensi* (Grotte d'Arci) *in Ducatu Burgundiae ab anonymo elaboratam, sistit;* quae praecipue cauitatis ipsius concamerationes, congelationum varietates, aquarumque passim occurrentes collectiones ostendit; de temperie aeris nihil hic definitum deprehendimus *.

p. 154. *Observatio decima quinta continuationem historiae naturalis talpae exhibet*, pauca vero de moribus huius animalis et de vi medicata partium, ex variis auctoribus collecta, proponit. Tabula adiecta in prima figura talpam in situ suo, in altera figura detracta pelle ab inferiori parte corporis conspiciendam praebet, in qua tabula duplex pectoralis musculus, quem obseruatione quarta pag. 24. nominauit, in ea vero accuratius non descripsit, conspicitur.

p. 155. *Observatio decima sexta de generatione limacum agit*, postquam igitur praecipua de ouis et partibus genitalibus limacum, ex HARDERI epistola, a MALPIGHIO citata **, nec non obseruationes in historia Acad. Reg. sc. parisinae *** proposuit, ex his potissimum conuictus esse videtur, duplicis sexus partes in singulis limacibus inueniri; fusius tamen ostendere annititur, limacem et generare et concipere posse solam, dummodo membrum masculinum incuruare, et in cauum, vaginae simile et receptaculum, in quo foetum suscipit, introducere posset. Anatomicam partium

* Accuratius haec in spelunca prope Vesontium examinauit Cl. COSSIGNY in Memoires de mathematique et physique présentés à l'academie des sciences par divers sçavans Tom. I. à Paris, 1750. 4to. p. 195. vid. Commentarios nostros. Vol. I. Part. I. p. 19.

** vid. Edit. opp. Lugd. Bat. 1687. 4to. Tom. II. p. 101.

*** Anno 1708. p. 58. Edit. Amstel.

tium generationis disquisitionem, quam in figuris coloratis declarat, sine his indicare vix possumus, nec ullus erit, qui eandem diiudicare valeat, nisi dissectiones ipse repetat.

Obseruatio decima septima tandem, de corde reliquisque visceribus limacis differit, et usum horum animalium in alimentis et medicamentis exponit. p. 164.

In titulo Cl. Auctor affirmat hoc opus arcana artis, noua inuenta, et disceptationes philosophorum et artificum recentiorum complecti, num vero hoc praestitum fuerit, aliis diiudicandum relinquimus. Nos quidem in his, quae proposuit, ordinem desideramus et perspicuitatem.

VI.

ERRNESTI ANTONII NICOLAI, Consil. Aul. Med. Doct. et Prof. Publ. Extr. Systema materiae medicae ad praxin applicatae. Halae apud Carol. Herm. Hemmerde, Tom. I. 1751. 1. alph. 20. pl. Tom. II. 1752. 1. alph. 16. pl.

Materia medica, cum crassis occulta et circumfusa tenebris, insigni erronearum opinionum copia referta bonaeque methodi expers etiam nunc Cl. Auctori visa sit, nemini quoque mirum videri poterit, eundem in tanto librorum, qui iam de materia medica prodierunt, numero, nouum de eadem librum in lucem emisisse. Vt igitur errores aliorum euitaret, in tomi primi parte prima, de materia medica in genere, in sectionibus sex, systematica quasi et mathematica methodo, et ex certis indubitatisque principiis, medicamentorum partes constitutiuas disquirere, eorum agendi modum demonstrare et virtutes explicare in genere annisus est. Medicamentum, quod si consideramus, in sensu latiori est instrumentum, p. 1.

quo

quo corporis humani vires ad ſanitatem diriguntur; in ſenſu vero ſtrictiori eſt illud corpus, quod humanum
p. 2. corpus morboſum in ſanum mutare valet. Hae mutationes, ut rationem ſuam habeant ſufficientem, quae vel in corpore humano viuo, vel in medicamento latet, neceſſe eſt. Mutationes in corpore humano viuo productae ab actione medicamenti dependent, adeoque id, quod rationem exiſtentiae actionis ſufficientem continet, eſt *virtus* medicamenti. Virtus medicamenti producit effectum. Ille medicamenti *effectus*, qui eſt reſolubilis in alios, dicitur *compoſitus*, qui non, dicitur *ſimplex*; et ideo vis medicamenti etiam eſt vel
p. 5. *compoſita*, vel *ſimplex*. Vis medicamenti, quae exiſtentiae ſuae rationem ſufficientem in alia vi habet, dicitur *fundata*, quae non, dicitur *fundamentalis*. Si inter virtutem medicamenti alia vis intercedit, dicitur ea *mediata*, ſi non, dicitur *immediata*. Medica-
p. 7. mentum particulis certis conſtat. Illae medicamenti particulae, quae a ſuo toto non, niſi magnitudine et figura differunt, *ſimilares*, quae vero praeter magnitudinem et figuram aliis quoque qualitatibus a toto ſuo diſtinguuntur, *conſtituentes* ſeu *conſtitutiuae* appellantur. Partes medicamenti conſtitutiuae, ſi partes aliarum partium ſunt, *remotae*, ſi non, *proximae* nominantur. Medicamenta in corpus humanum agendo
p. 14. vel euacuationes producunt, vel non. Hinc omnia medicamenta ſunt vel euacuantia vel alterantia. Quae utriusque generis ab effectu vario, quem edunt, iterum in ſpeciales claſſes diuiduntur, quarum explicationem amplam Cl. Auctor exhibuit, et ſunt v. c. vomitoria, purgantia, diaphoretica, diuretica, ſialagoga, emmenagoga, reſoluentia, roborantia etc.
p. 28. Inter partes medicamentorum conſtitutiuas, ſalinae,
p. 41. ſulphureae, oleoſae, ſpirituoſae, reſinoſae, ſaponaceae, gummoſae, mucilaginoſae, gelatinoſae, pingues et terreſtres referuntur, quarum mixtiones, ex aliis partibus conſtitutiuis denuo compoſitae, examine chemico

et

et ſenſuum ope diſquiruntur. Senſus, quibus medicamenta cognoſcuntur, ſunt guſtus, olfactus et viſus. Guſtu diuerſa ſalia, et partes quoque, his admixtas, percipimus. p. 59. Olfactu ſentimus medicamenta, quae p. 71. odorem alliaceum ſpargunt et acidum ſalis communis cum phlogiſto combinatum, in ſe continent. Viſu cognoſcimus efferueſcentias, praecipitationes colorumque mutationes. Chemia medicamenta diſquirit per inſtrumenta, quae partium mixtionem et indolem non deſtruunt, ſed in partes conſtitutiuas proximas reſoluunt, ad quam operationem idonea ſunt menſtrua, aqua et ſpiritus vini rectificatiſſimus, vel in ſolutione vel deſtillatione applicata. Medicamentorum actiones quod attinet, illa tanquam corpora in corpus humanum agere nequeunt, niſi id attingant, et licet vel ſub minutiſſimarum particularum forma applicentur, vel in ipſo corpore in minimas moleculas reſoluantur, vi tamen cohaeſionis cum corporis humani partibus, vel motu ex hac cohaeſione oriundo, agunt et effectus ſuos producunt. Hae actiones ex medica- p. 105. mentorum et corporis humani particularum magnitudine, figura, grauitate ſpecifica et pondere abſoluto aucto vel imminuto, ex actione et reactione ulterius explicantur et mutationes tam in ſolidis, quam in fluidis inde ortae, iuxta leges mathematicas Hambergianas demonſtrantur. Vires medicamentorum vel ex effectibus, ipſorum uſum ſequentibus cognoſcuntur, vel ex partibus eorum conſtitutiuis iuſto ratiocinio deducuntur. Verum minime putandum eſt, p. 140. quod, dum medicamenta certam quandam vim exſeruunt, haec ipſa ab omnibus eorum proficiſcatur partibus, ſed vis vel ab una tantum parte ſimilari aut conſtitutiua, vel aliquot ſaltim partibus oriri poſſe videtur. Vnde porro aſſumitur, medicamenta alias quoque virtutes, praeter virtutem ipſis competentem exhibere poſſe. De his omnibus breuiter tantum a nobis recenſitis, poſtquam Cl. Auctor uberius et logica

quadam

quadam certitudine egit, tandem ad ipſa medicamenta pertractanda accedit. In his autem deſcribendis, ante omnia ipſorum originem et locum natalem ex fide dignis hiſtoriae naturalis ſcriptoribus adducit. In vegetabilibus diiudicandis celeberrimorum botanicorum in primis TOVRNEFORTII, BAVHINI aliorumque veſtigiis inſiſtit. Ipſam naturam intimam et partes conſtitutiuas ex chemicis experimentis a BOERHAAVIO, HOFFMANNO, NEVMANNO, GEOFFROI, BOVLDVC, CARTHEVSERO et ſe ipſo factis, examinat, ipſas virtutes ex particularum conſtitutiuarum mixtione et indole, ſiue a priori declarat et determinat, et ex optimorum practicorum ETTMVLLERI, HOFFMANNI, SCHVLZII propriisque obſeruationibus et experientiis inſtitutis, ſiue a poſteriori, confirmat et corroborat. Varia denique praeparata et formulas ſaepe ſatis amplas ex diſpenſatoriis et HOFFMANNI in primis ſcriptis petitas interſpergit et annectit. Incipit itaque in parte ſecunda de materia medica in ſpecie, et libro primo de medicamentis euacuantibus, ſectione
p. 180. prima, capitibus quatuor de purgantibus agere. Purgatio aluina fieri nequit, niſi circulus humorum ex inteſtinis tenuibus ad maſſam ſanguineam atque ex hac ad illa ſuccedens turbetur et inuertatur, ita, ut humores minore copia ad maſſam ſanguineam per vaſa reſorbentia ex inteſtinis tenuibus redeant, quam ex
p. 186. maſſa ſanguinea ad haec inteſtina deferantur. Medicamenta autem purgantia agunt obſtruendo orificia vaſorum tam reſorbentium, quam excretoriorum in inteſtina hiantium, id quod acres et viſcidae partes in illis haerentes praeſtant. Acres fibras inteſtinorum conſtringunt, et viſcidae hiantibus ipſorum vaſis adhaerent. Cum purgantia diuerſis conſtent partibus conſtitutiuis, etiam in diuerſis morbis diuerſa et apta eligenda ſunt, quae morbos eorumque cauſas tollunt.
p. 204. Quorum ut eo felicior electio inſtitui poſſit, tam ſimplicium, quam compoſitorum tabulam Cl. Auctor apposuit.

poſuit. Ex purgantibus lenioribus *rhabarbarum* primo loco adducit, inter cuius bonitatis notas colorem flauum refert, qui vero ſaepe arte et fraude producitur. Parant enim mercatores ex infuſo rhabarbari, orlean et gummi tragacanthae maſſam, qua luteum colorem rhabarbaro inducere ſolent. In ipſo autem rhabarbaro in primis principium volatile notari meretur, a quo virtus laxans dependet. Partes eius porro gummoſae permultae acrimoniam temperant et mitigant, ſaponaceae ſcilicet eae, quae, uti ab Auctore declaratum eſt, tam in aqua, quam in ſpiritu vini ſunt ſolubiles, reſoluunt, reſinoſae ſtimulant et terreae roborant. Pro ſcopo roborandi vero id ipſum, non toſtum, ſed in pulueris ſubſtantia optime exhibendum eſt. Ipſe quoque puluis cum extracto in pilulis non inepte dari poterit. Tinctura eius, cum aqua et ſale alcalino parata, optima iudicatur et ad unciam dimidiam et ultra pro doſi propinari debet. Multi ſunt morbi, in quibus curandis medicamenti huius virtutem Auctor praedicat. Poſt rhabarbarum *ialappa* et *manna* in conſiderationem veniunt et ſic primo huic tomo finis imponitur. p. 236.

In huius libri tomo ſecundo, libro primo, ſectione prima, a capite quinto uſque ad trigeſimum ſeptimum reliqua purgantia perluſtrantur, et ſectione ſecunda de emeticis in quatuor capitibus agitur. *Aloes* ſpecies p. 5.
varias poſtquam deſcripſit Ill. Auctor generatim notat, nihil referre, ſiue hepatica, ſiue ſuccotrina, ſiue alio nomine appelletur ea, quae ad uſum medicum eligitur, dum modo ſit pura, pellucida, nitens, non adeo nigra, ſed fulua, ruffa, leuis, non nimis denſa, friabilis et facile ſolubilis, ſapore amaro, odore nauſeoſo ad myrrham accedente, et in puluerem trita aureo et croceo colore praedita. Aloe continet partes ſaponaceas, acres et viſcidas, a quibus, uti ſupra in genere demonſtratum eſt, purgatio aluina dependet. Ter-

reſtres, quae in eadem quoque adſunt partes, fibrarum humidum abſorbent et earum interſtitiis ſeſe ap-
p. 9. ponendo maius robur conciliant, eaedem vero etiam calorem moderantur, dum cum corporis humani partibus ſulphureis cohaerent atque eas ad reſolutionem et particularum ignearum liberationem ineptas red-
p. 33. dunt. *Agaricus*, quoniam eius pars reſinoſa et ſalino mucilaginoſa multa ſalia continet, valde acris eſt. Et ob hanc acrimoniam et viſciditatem pariter aluum vehementer purgat, in primis autem eius viſcidum, quod difficulter ſoluitur, ventris tormina excitat.
p. 41. *Colocynthidis* pulpam actiuo ſalium ſubtilium acrium principio purgante conſtare, inde apparet, quoniam, ſi diuturna coctione pars illa volatilis, ſubtilis et actiua auolat, eius vis purgans imminuitur. De pulpae huius uſu monet Cl. Auctor, quod non in ſubſtantia, ſed ſub forma trochiſcorum alhandal vel extracti aquoſi exhiberi debeat. Trochiſci enim commodius in pulu̇erem conteruntur, aſſumti per canalem inteſtinorum facilius mouentur et vim a gummatibus admixtis quaſi correctam obtinent. In extracto per diuturnam co-
p. 58. ctionem vis draſtica imminuta habetur. *Scammonei* partem gummoſam magis diureſin, quam aluum mouere et in ſubiectis, humoribus pituitoſis nondum attenuatis et reſolutis, ſcatentibus, nullum ſaepe vel
p. 70. exiguum effectum edere, Auctor aſſerit. *Gummi gutta* in hydrope curanda, cum vel omnibus vel pleriſque indicationibus reſpondeat et ſatisfaciat, ad grana quatuor pro doſi cum maſſa pilularum balſamicarum HOFFMANNI vel cum puluere radicis ſquillae et vincetoxici commode dari poterit. Id ipſum porro, cum ratione partium conſtitutiuarum, tum ratione morborum v. c. in aſthmate, catarrho ſuffocatiuo, et febre quartana utile eſſe debere, Auctor noſter concludit.
p. 97. Nauſeoſus decocti vel infuſi foliorum *ſennae* ſapor foliis ſcrophulariae aquaticae maioris CASPARIS BAUHINI additis et tepida aqua digeſtis, integra ſennae virtute,

virtute, docente etiam MARCHAND, academiae ſcientiarnm pariſienſis ſocio, emendari et corrigi poteſt. *Elaterium* eſt ſuccus amarus, ex fructu cucumeris aſinini expreſſus et inſpiſſatus. Illud, quod in noſtris officinis habetur, a veterum elaterio, quod ex cucumeribus in Graecia multo maturioribus natis praeſtantius erat, maxime differt. Auctor ipſe, qui tamen noſtrum per triginta annos in aegrotis frequenter adhibuit, a granis tribus ultra ſex nunquam dedit. p. 110.

Sal anglicum, quo nos utimur, arte paratur, et eſt ſal medium ex acido vitriolico et ſale alcalino ſalis communis compoſitum. Et quoniam hoc ſal, ſi cum oleo vitrioli miſcetur, ſub fumo albo tenuiſſimo, uti in ſale communi fit, efferueſcentiam oſtendit, et deinde eius ſolutio eodem modo, quo ea, ex ſale communi facta, argenti ſolutionem ſub forma pulueris albi praecipitat, id ipſum cum ſale vulgari commixtum eſſe, apparet. p. 122.

Magneſia alba, cum nil niſi pura terra calcarea ſit, cui paucum acidi ſalis nitroſi immixtum eſt, nullas etiam alias virtutes poſſidere poteſt, quam quas eiusmodi terrae habent: et alia medicamenta terrea calcinata, ut ſunt cornu cerui, lapides cancrorum et conchae huic forte palmam adhuc praeripiunt. p. 133.

Turbith ſeu *turpethi vegetabilis* radicis effectus ideo ſaepius dubius eſt, quoniam reſina in radice inaequaliter diſtributa eſt, interim tamen nihil ſingulare in ea ipſa latere, credit Auctor. p. 136.

In *mechaocannae* et *bryoniae* conſideratione generatim Vir doctiſſimus notat, illam virtutem medicamenti praedicatam, quae a partibus conſtitutiuis deduci nequit, nullo prorſus niti fundamento. Bryonia tamen, cuius odor et ſapor opio analogus eſt et ideo opii partes ſaponaceas volatiliores habet, inſtar opii etiam agere debere putatur. p. 152.

Mataliſta ſeu *battaga de purga* eſt radix americana, virtute purgante praedita, cuius tamen planta nondum innotuit et in officinis noſtris rariſſime inuenitur. p. 155.

Hellebori nigri radix ampla tractatione diſquiri- p. 164.

tur eiusque usus in illis morbis, qui leuia eludunt remedia, caute suadetur. Commendatur prae reliquis eius extractum ad grana quatuor in forma pilularum dandum. Hac enim ratione eius solutio in intestinis successiue perficitur, nec in tot puncta, nec tot particulis simul agere potest, cum e contrario id ipsum solutum in forma fluida datum, plura puncta tangit et vehementius citiusque agit. *Cyclaminis*, *esulae*, seminis *ricini*, *laureolae* et *coccognidii* usus internus ob vim causticam, acrem et rodentem merito dissuade-
p. 204. tur. Ad flores laxantes Cl. Auctor refert flores *liliorum conuallium*, *rosarum* et *violarum*, qui, si recentes aqua, vino vel sero lactis infunduntur, aluum laxant; conuallariae tamen flores ob partes spirituosas et resinosas etiam virtutem roborandi habent. Cum ea medicamenta, quae humores resoluunt et stimulant, purgationem aluinam excitare possunt, *centaurium minus* ob particulas volatiles, acres, et salino sulphureas humores resoluere, stimulare ideoque etiam recens in primis aluum mouere, colligitur. Similem
p. 227. effectum *fumariam* exhibere, experientia docet. *Aurum fulminans* a Cl. Auctore pro calce habetur, cuius tamen particulis sal acidum aquae regis adhaeret. Cum vero salia acida resoluunt et stimulant, et resoluentia et stimulantia alui euacuationem excitant, aurum fulminans eandem ob causam eundem effectum praestare poterit. Ipsi interim prae aliis securis purgantibus nullam singularem competere virtutem, et, si eodem uti placeret, probe edulcoratum et salibus liberatum eligendum esse, Auctor monet. Postquam nunc Vir doctissimus purgantia medicamenta pertractauit, ad emetica in sectione secunda, capitibus quin-
p. 235. que consideranda et examinanda sese confert. Non omnis lenis ventriculi contentorum eiectio, sed ea tantum, quae cum violentia fit, vomitus nomine venit. Hic in primis a vi ventriculi vitali praeternaturaliter aucta, non exclusa etiam vi elastica, producitur

tur. Omnis porro vomitus aut ab irritatione aut extenſione partium ventriculi oritur. Sic ille, qui primo grauiditatis tempore in foeminis frequens eſſe ſolet, a ſanguine, in vaſis ventriculi nimis abundante eaque extendente prouenit. Nec oleoſa relaxando et lubricando vomitum excitant, ſed partim vi ponderis ventriculum ad contractionem irritant, partim adhaeſione ductus excretorios et vaſorum extremitates obſtruunt, unde haec intumeſcunt et extenduntur, extenſa vero fibras nerueas et muſculares ventriculi ad contractionem ſtimulant, qua ipſa vomitus efficitur. Salia acria ingeſta primum in fibras circa pilorum ſitas agunt, cuius contractione contenta non in duodenum propelluntur, ſed per cardiam minus contractam egrediuntur. Ex omnium vomitoriorum numero, quae Cl. Auctor in ſynopſi quaſi adduxit, ipecacuanham et tartarum emeticum tantum ſeligendum eſſe, arbitratur. *Ipecacuanhae* radix exſiccata et integra in multos annos viribus integris conſeruari poteſt, in puluerem vero redacta, citius vires perdit. Vnde colligitur eius ſal fixum, quod, ſi ab aliis partibus grauioribus liberatur, volatile reddi. Terreſtres autem, quae porro huic inſunt partes, proportione gummoſas et reſinoſas ſuperant. Huius radicis puluis in dyſenteria non ut reliqua vomitoria, ſed ſpecifica quadam virtute agere videtur. *Scillae* ſpecies, licet variae a botanicis recenſeantur, tamen parum inter ſe differunt. Illa autem, quae colore albo et rubro praedita eſt, optima et vera iudicatur. Ea praeparandi methodus, qua maſſa panis impaſtata in furno coquitur et exſiccatur, minus apta eſt, quoniam hac ipſa multae vires abiguntur. Melior eſt ea exſiccatio, quae non valido ignis gradu et ſubito, ſed ſenſim ſenſimque leni calore ſolis vel clibani inſtituitur. Liquor acidus per deſtillationem elicitus cum alcali efferueſcens euincit, acre eius principium acidae eſſe indolis. Ratione virtutum haec radix inter heroica remedia eſt referenda, nihilo-

p. 246.

p. 270.

p. 284.

minus tamen eandem in febribus intermittentibus commendat ipsique cum aliis medicis peritis anodynam vim tribuit Auctor doctissimus. Hic ergo liber multo iudicio, industria et eruditione conscriptus, licet quoque ob multa momenta, quae Auctori ex propositi ratione ex therapia generali et speciali introducenda visa sunt, in pluribus tomis subsecuturis demum perfici posse videatur, tamen erit commendandus. Illam interim de medicamentorum virtute cognitionem, quae ex ipsarum particularum constitutiuarum natura et experientia saepius instituta acquiritur, optimam quidem esse fatemur, sed ipsarum harum particularum indoles et mixtio interdum adeo subtilis, tecta et occulta, et morborum natura adeo obscura sunt, ut nulla methodo scientifica nullaque syllogismorum ope aliquid certi et indubitati demonstrari possit.

VII.

I. G. GMELINI Flora sibirica, s. historia plantarum Sibiriae Tomus II. continens tabulas aeri incisas 98. Petropoli ex typogr. academ. scientiarum. 1749. 4. mai. alph. I. pl. II.

Libros, qui ante annum huius seculi quinquagesimum prodierunt, minime recensere nos velle, in praefatione quidem, priori horum commentariorum volumini addita, diximus, ideoque leges, a nobis ipsis sancitas, violare, nunc videri possit, dum librum indicamus, cuius titulo annus quadragesimus nonus est inscriptus. Ast veniam nos facile impetraturos esse, speramus, dum certissime persuasi simus, ipsum, licet eodem anno sit notatus, tamen modo proxime elapso fuisse euulgatum. Accedit et illud, quod liber nondum sit absolutus, futuroque tempore reliqui eiusdem quatuor adhuc edendi tomi indicari debeant; quo

quo itaque totius operis notitiam quilibet habeat, non inutile modo, ſed et neceſſarium omnino erit, pauca ex priori tomo, qui an. 1747. editus fuit, tabulasque quinquaginta, aeri inciſas, continet, repetere, et contenta huius nunc indicati paulo prolixius recenſere.

Plantas in Sibiria, a montibus Vralenſibus ad oceanum orientalem usque ſponte naſcentes, interſperſis paſſim illis, quas GERBERVS ad Tanaim et Wolgam fluuios et in Ucrainia inuenit, quas tamen ſiccas ad minimum ſuis oculis vidit Cl. GMELINVS, haecce ſibirica continet flora. Non vero in ea modo nouas dubiasque recenſuit, ſed et eas, quae diu iamiam innotuerunt, ita, ut hisce ſaltem ea addiderit, quae hiſtoriae earum illuſtrandae, aut generico vel ſpecifico characteri perficiendo inſeruire poſſunt, illas vero accuratius et quoad omnes partes plenius deſcripſerit. Deſcriptiones plurimas ipſe Cl. Auctor fecit, adiutus aliquando ſtellerianis, et ſi in non nullis STELLERI deſcriptio a ſua forte recederet, differentiam ſollicite annotauit. Praeter ea debet ſciri, plurimarum, Sibiriae indigenarum, plantarum deſcriptiones Noſtrum olim cum AMMANO communicaſſe, ipſumque eas ſuo libro, de Ruthenicis ſtirpibus inſcripto, inſeruiſſe, has itaque denuo nunc exhibere noluit Auctor, niſi forte emendatione indigerent. MESSERSCHMIDII deſcriptiones nullae hic exſtant. Generum nomina pleraque, quae LINNAEVS adſumſit, atque non nulla, quae HALLERVS ab eodem diuerſa propoſuit, Cl. Auctor retinuit, plantas autem cum nullo cognito genere conciliandas, ut noua genera exhibuit, in quorum explicatione nihil omiſit, quod ad partes earundem eſſentiales pertinet. Generibus hiſce ſpecies ſubiunxit, nominibus ad modum recentiorum botanicorum notatas. In cognitis LINNAEVM, ROYENVM atque HALLERVM ſequutus, rariſſime, niſi adfinis, nunc modo inuenta, planta, vel alia neceſſitas

id exigere videretur, noua fecit, in nouis vero, vel nunc tandem detectis, vel ab hiſce viris non recenſitis, plantis noua etiam impoſuit nomina, et eius modi quidem, ut ipſo nomine eam ab adfinibus diſtingueret. Praeter haec vero veterum etiam, et in primis BAVHINORVM, atque TOVRNEFORTII, ſynonyma adduxit, iconesque ex DODONAEO, PLVKNETIO, MORISONO, LOESELIO atque aliis citauit. Botanicorum quoque, qui in Ruſſia vixere, ut MESSERSCHMIDII, BVXBAVMII, AMMANI, ſynonyma ubique addidit, quibus non nunquam GERBERI, HEINZELMANNI, atque STELLERI ex Tanacenſi, Wolgenſi, Iaicenſi et Ircutenſi floris ſubiecit. In ipſis ſpeciebus definiendis Viros, in re herbaria clariſſimos, fere ubique conſuluit, inter quos in primis DILLENIVM, HALLERVM atque LINNAEVM nominat, quorum prolixam in ſe voluntatem maxime laudat, gratusque depraedicat. Varietates a ſpeciebus ſollicite ſeparauit, nullamque omiſit, quae unquam ab eodem viſa fuit, quarum etiam amplas ut plurimum dedit deſcriptiones. Natalia loca, incolarum nomina, uſumque domeſticum adnotauit, et quae de eius modi rebus aut ex propria obſeruatione didicit, aut ex aliorum relatione accepit, florae huic inſeruit. Imagines plantarum, non nullis exceptis, ad viuum factae ſunt, et optime naturalem earundem magnitudinem, partiumque ſingularum figuram, ſitum, numerum et ſ. p. referunt. In diſponendis plantis Cl. VAN ROYEN methodum, in prodromo horti Lugduno Batani euulgatam, ſequutus eſt noſter Auctor, primusque florae tomus quinque claſſes, *Palmas* ſcilicet, *Lilia*, *Gramina*, *Amentaceas* et *Vmbelliferas* continet, ſecundus vero *Compoſitas*, *Aggregatas*, et *Tricoccas* ſiſtit. De harum trium claſſium, generumque in iisdem contentorum difficili admodum ac intricata conſtitutione, in praemiſſa praefatione varia annorauit Cl. Auctor. De quibus, cum omnino ad accuratiorem

planta-

plantarum distributionem spectent, non nulla indicabimus.

Monet primo, stirpes, flore composito insignitas, AVAILLANTIO in tres classes distributas fuisse, *Cynarocephalarum* nempe, *Corymbiferarum*, et *Cichoraceārum*, exemplis autem probat, hasce omnes in unam coniungendas esse, uti ROYENVS atque HALLERVS fecit, cum limites sint incerti, plantaeque inueniantur, quae aliquo charactere ad hanc, alio ad aliam classem sint referendae. In generibus huius classis plura etiam desiderat Auctor. Ita recte admodum LVDWIGIVM feciſſe scribit, quod *hieracium* et *hieracioidem* VAILL. coniunxerit, creditque *hieracioidem* ad *crepidis* genus haud bene a LINNAEO fuisse relatam, cum prioris corona, seminibus imposita, simplices pilos, posterioris vero ramosos habeat. Ex eius itaque sententia *crepidis* genus plane est reiiciendum, et ad *scorzoneram* amandandum. *Dens leonis* et *taraxaconoides* VAILL. omnino debet separari, ita vero, ut posterior etiam ad *scorzoneram* referatur. Sic etiam *hypochoeris* et *achyrophorus* propter calicis pappique diuersam faciem singula sibi sunt relinquenda. Ex non nullis praeter ea generibus quaedam eliminandae videntur species, cuius rei inferius non nulla adducturi sumus exempla. *Serratulae* LINNAEI genus vagis modo limitibus inniti, Cl. Auctor affirmat; bifidum namque stigma in non nullis etiam *cardui* speciebus deprehenditur, hinc etiam plurimas serratulae species ad hocce genus refert, *carduum* vero a *cirsio* distinguit et *staehelinam* LINNAEI cum *cirsio* coniungit, quoniam paleas thalami genericum characterem haud praebere, credit. Habent enim plurimae cirsii species inermia corpuscula, de quibus dubium, an pilis an paleis accenseri debeant. Flosculos radiales in *centaurea* feminas LINNAEVM, VAILLANTIVM vero et LVDWIGIVM neutros appellasse constat, ostenditque Cl. Auctor se in omnibus speciebus,

unica excepta, ubi femininos et neutros simul vidit, neutros eos inuenisse; hinc etiam eas plantas omnes ad centauream refert, quarum marginales flosculi aut neutri sunt, aut feminini, aut utrique simul. Recte etiam illos flores ut neutros considerat, in quibus nec antherae, nec styli vestigium adparet, licet ouarii rudimentum staminumque filamenta adsint. *Rhapontico* HALLERI a *cyano* eiusdem non differre asserit, quia illius calix squamas ostendit et rhapontici et cyani. *Absinthii* genus in duo commode diuidi, *kleiniam* vero et *senecionem* LVDWIGII coniungi posse, neque *solidaginis* et *senecionis* ut et *verbesinae* atque *siegesbeckiae* LINNAEI genera admodum diuersa esse, dicit uti et *chrysocomam*, *conyzam*, *baccharidem*, et *erigerum* ut indefinita, considerat hinc, uti LVDWIGIVS fecit, tria posteriora combinanda, ipsamque chrysocomam addendam esse existimat. De *Tussilagine*, *petasitide* atque *cacalia* eam fouet opinionem, quod forte, ex naturae lege unum genus constituant, attamen huius definitio, a recentioribus exhibita, non sufficit, addique debet: folia omnia esse radicalia, caulesque squamosos. Hocce etiam exemplo commotus Cl. Auctor, ex sola florum fructuumque consideratione definitionem generum non semper peti posse, fatetur. Tacite vero etiam asserit, nunc commemoratum genus plane omitti debere, cum ex structura florum fructuumque quaedam species ad solidaginem, aliae ad chrysocomam, aliae denique ad conyzam sint referendae. In specifico *euphorbiae* charactere praeter foliorum figuram, numerum radiorum umbellae uniuersalis et particularium in primis aestimat LINNAEVS, cum quo tamen non sentit GMELINVS, sed potius, ut HALLERVS fecit, umbellarum partialium foliola, fructusque superficiem ut specificas notas adsumit. His, atque eius modi pluribus, indicatis, speciatim adhuc monuit Cl. Auctor, huncce tomum non nullas quoque continere plantas, quas

LER-

LERCHEVS circa Aſtrachaniam et in Perſia legit. Quam ob cauſam etiam plures, hic datae icones, ad exſiccatas plantas exaratae fuerunt. Ultimo tandem loco errores quosdam, in primo tomo commiſſos, pro ſuo animi candore, indicauit. Plantae, in ſecundo huius libri tomo recenſitae, ſpecies ſiſtunt 204. nempe *Compoſitarum* 176, *Aggregatarum* 17, et *Tricoccarum* 11. Harum non nullas indicabimus, ſimulque et de nouis et de vulgaribus ea notabimus, quae in primis attentionem merentur. Omnes enim, quae vel nouae ſunt, vel delineatae, vel nouo ſpecifico nomine inſignitae habentur, recenſere, taedioſum forte eſſet lectoribus, neque utile.

Scorzonera caule ſimplici unifloro, foliis ex lineari p. 2.
lanceolatis, quae forte eadem eſt, ac ſcorzonera caule ſubnudo unifloro, foliis neruoſis planis LINN. Fl. Suec. 647. in Sibiria primum inter vulneraria locum habet. Praeter hanc recenſet *ſcorzoneram caule ramoſo, foliis linearibus acuminatis carinatis calicibus acutis*, aliamque *caule ramoſo foliis amplexicaulibus ſerrulatis*. Haec vulgaris eſt et officinalis, illa luſitanica gramineo folio, dubitat tamen GMELINVS, num certe diuerſae ſint ſpecies. Lactuca ſalicis folio p. 11.
AMMANI dicitur *ſonchus foliis lanceolatis ſeſſilibus plerumque denticulatis, floribus corymboſis, calicibus glabris*. Calice enim quodam modo ſquamoſo ad lactucam quidem proxime accedit, verum ſtipitibus coronae pilorum atque ſeminibus interpoſitis caret, ideoque ea ad ſonchum omnino debet referri. Vulgaris taraxaci plures recenſet varietates, aliamque ſi non nouam, raram tamen, adducit ſpeciem, nomine
leontodon calice toto erecto glabro, foliis longe ellipti- p. 15.
cis denticulatis. Hieracioides, endiuiae folio, a LINNAEO ut crepidis ſpecies propoſita, appellatur *leontodon calice toto erecto, inferioribus ſquamis ſiccis, foliis amplexicaulibus*. Cum hoc enim genere ſemine ſcabro et ſtipite pappoque ſimplici conuenit. Alias

crepidis

p. 26. crepidis ſpecies ad hieracium retulit. Ita eam, quae in H. Vpſal. p. 239. inter ſpecies tertia eſt, nominauit *Hieracium caule ramoſo, foliis firmis, infimis petiolatis, reliquis ex ouato lanceolatis ſemi amplexicaulibus, omnibus ſinuoſis, petiolorum inſtar dentatis.* Inter capitatas, curatius deſcriptas delineatasque, plu-
p. 41. res inueniuntur cardui atque cirſii ſpecies. Carduus caule criſpo I. BAVHINI a Cl. Auctore *carduus caule alato ſpinoſo, foliis ſinuatis decurrentibus, margine ſpinoſis, floribus ſparſis*, et ille, quem inter cnici ſpecies in H. Vpſal. n. 2. recenſuit LINNAEVS, *Carduus foliis ex cordato lanceolatis, margine ſerratis et ſpinoſis, ſquamis calicum membranaceis, laceris, ſpinoſis,*
p. 49. *capitulis nutantibus.* De ſerratula foliis laciniatis, capitibus magnis lanuginoſis AMMANI, monet Cl. Auctor, male eandem a LINNAEO ad vulgarem ſerratulam in H. Vpſal. relatam fuiſſe; differt enim non modo ſpecie, ſed potius genere, ideoque eam *Carduum inermem, foliis glabris pinnatis, lacinia extrema maxima, capitulis ſqualidis* dixit. Aliquas etiam ſerratulae carduique ſpecies LINNAEI ad cirſium reduxit Cl. GMELIN, aſſeritque difficillimum de hiſce ſpeciebus eſſe iudicium, cum et capitula et folia ſaepiſſime ludant; hoc tamen non obſtante plures recenſet, deſcribit, atque delineatas ſiſtit cirſii ſpecies.
p. 67. *Cirſii* ſcilicet *inermis foliis ex ouato lanceolatis denticulatis, infra lanugine candidis*, a C. BAVHINO carduus mollis lapathi folio dicti, iconem dedit HALLERVS in ſtirp. Helvet. multum vero illa a Gme-
p. 72. liniana recedit. Inter nouas ſpecies notari debet *Cirſium inerme, foliis ſcabris lanceolatis, inferioribus ex ſinuato dentatis, ſquamis ſuperioribus calicum ſubrotundis membranaceis.* Hac incolae in lue venerea, oſſiumque doloribus ſub forma decocti, ut ſpecifico, utuntur, et in ſummo luis gradu aliquam mercurii ſublimati partem, cum pinguedine coctam, una cum decocto deglutiunt. Accepit vero GMELINVS ultimam

mam hancce medicinam mortem ſaepiſſime aegris adferre. Cirſium cynogloſſae folio polyanthemon DILLENII H. Elth. noua icone exhibetur, diciturque *inerme foliis lanceolatis denticulatis, infra lanuginoſis, ſquamis calicum ſuperioribus hirſutiſſimis.* Ex huius etiam plantae contemplatione didicit Cl. Auctor, cirſia inermia huic generi adſcribi debere, et cum paleae characterem genericum haud efficiant, carduos atque cirſia corona ſeminum ſimplici et ramoſa diſtingui poſſe exiſtimat. Licet vero plures, ut indicauimus, ſerratulae ſpecies ad cirſium reduxerit GMELINVS, tamen ſerratulae ſpeciem, quae noueboracenſis a DILLENIO in H. Eltham. appellatur, ut genuinam etiam nomine *ſerratulae foliis lanceolatis oblongis dentatis* commemorat, eiusdemque generis characteriſticam, et carduum cirſiumque ab eodem ſecernentem, notam in thalamo nudo ponit. Centaurium maius orientale glaſti folio COMMELINI *Centaurea calicibus membranaceis foliis integerrimis decurrentibus* nominatur. Nunc vero modo detecta eſt ſpecies *calicibus membranaceis, ſquamis ſeta terminatis, foliis ouatis, inferioribus ſaepe baſi pinnatifidis.* Huius flores ſingulare quid habent. Corollae enim omnes hermaphroditae ſunt, omniumque limbus in quinque anguſtas lacinias, fere aequales, fectus, marginalium vero limbus obliquus eſt, ideoque et propter calicis ſtructuram centauriis accenſuit plantam Cl. Auctor. *Centaurea ſquamis ouatis, foliis pinnatis, foliolis decurrentibus linearibus ſerratis et integris* in carbunculis ſanandis maxime laudatur. Folia ante caulis protruſionem abſciſſa, exſiccata et in puluerem comminuta cum cereuiſiae fece commiſcent incolae, ita ut pulticulam ſiſtant, hanc calidam carbunculo imponunt, eiusque herbae florentis decoctum deglutiendum ſimul aegris praebent. Huius medicinae virtute ſaepe unius noctis ſpatio carbunculum ruptum, omniaque fere ſymptomata mitiora facta fuiſſe, vidit Cl. Auctor.

p. 76.

p. 82.

p. 83.

p. 89.

Dubia

p. 100. Dubia adhuc planta est *Echinops caule subunifloro, foliis duplicato pinnatifidis foliolis latiusculis vicinis*, distincta vero atque noua *Echinops foliis integris*, num vero *Echinops caule subunifloro, foliis duplicato pinnatifidis, foliolis linearibus remotis*, quam etiam LINNAEVS in H. Vpsal. no. 2. adduxit, a vulgari atque priori specie differat, determinare non vult Cl. Auctor. In non nullis artemisiae speciebus, in horto florentibus, inuenit flosculos omnes petaloideos, perfectos, antheras non coalitas, sed liberas, et pistillum in duo cornua bifida diuisum. Tanaceto itaque videntur esse propiores. Ab artemisiae, ut a recentioribus plurimis stabilitum fuit, genere, absinthium iterum separauit Auctor, et, quantum ex iis descriptionibus specierum colligere licet, artemisiae thalamum nudum, absin-

p. 141. thio pilosum adscribit. Tussilaginis species plures nouae delineatae exhibentur, inter quas una est *scapo unifloro, calice subaperto*, et alia *scapo unifloro calice clauso*. Haec, quae nomine *Anandriae* innotuit, a priori forte non differt, uti LINNAEVS in Hort. Vpsal. existimat, qua de re vero se nondum conuictum

p. 153. esse, Cl. Auctor fatetur. *Arnicae* varietatem, quae in Sibiria nascitur et *folia lanceolata* habet, vehementius agere, eiusque infusum in minori dosi vomitum

p. 158. excitare, refert. *Solidago foliis inferioribus lanceolatis, ex serrato sinuatis, superioribus integris amplexicaulibus* LINNAEI H. Cliff. 410. si characterem spectes, et ad solidaginem et ad senecionem potest referri, ideoque, et cum in aliis speciebus idem saepe deprehenditur, utrumque genus coniunxit Cl. GMELINVS. In alia etiam specie, in natali loco inuenta, calicem squamosum, et in eadem planta, in horto culta, eam nec squamosum, nec ligulis quidem auctum vidit. Speciem etiam *Othonnae* LINNAEI H. Vpsal. no. 1. ad solidaginem retulit, quia eius calix non

p. 170. integer est, sed in plures lacinias sectus. Planta, quam *solidaginem foliis palmatis* appellauit, nouum forte genus

nus conſtituit. Radiales enim floſculi perfecti ſunt, tertia parte lingulati, lingula tamen non omni mode plana, ſed in duos tresue tubulos ſciſſa, ſtigmata horum duo cylindraceam antheram, in apice laceram, perforant. Eius modi floſculi quatuor vel quinque radium, totidemque diſcum conſtituunt, qui conſuetam faciem oſtendunt; omnium ouaria piloſa corona ornantur, nudoque thalamo affiguntur. Calix communis tubuloſus eſt, octo vel decemfidus. Inter alteris ſpecies non nullae deſcribuntur, quae quibusdam etiam notis cum chryſocoma, aliisque cum conyza atque erigero conueniunt. Non tamen nouum genus ex illis formari debet, cum definitio, quae omnibus competeret, vix conſtruenda ſit. Optimum ergo cenſet Cl. Auctor, ſi chryſocomae definitio mutetur, ita, ut ei adſcriberentur floſculi androgyni plures, quibus interdum in radio lingulati neutri miſcentur. Dubii etiam generis planta eſt, quam STELLERVS helenium maritimum fruticoſum appellauit. Flores eius vulgaris helenii floribus ſimiles ſunt, quorum centrales quinque diſtincta filamenta, totidemque antheras, non cohaerentes, et ligulati feminini quatuor ſimul ſterilia filamenta habent. Non itaque alteris eſt ſpecies, ſed partim cum gerbera, partim cum parthenio conuenit. *Euphorbiae foliis oblonge ellipticis obtuſis glabris, ramis alternis, ſupra interdum umbellatis, petalis florum lunatis* varietatem *foliis ſcabioſis*, ſiue minutiſſimis puluerulentis luteis punctis in utroque latere aſperſis, inuenit Cl. Auctor, folia haec iaſmini odorem ſpirant, an vero ille ab inſecto quodam, an a ſingulari vegetatione excitetur, adhuc dubium. Agmen in altero hoc tomo deſcriptarum plantarum claudit *Oſyris foliis obtuſis* LINNAEI H. Vpſal. 295. Definitio huius generis adhuc incerta eſt. Conuenit vero cum eo proxime, ſi non eadem eſt, *Nitraria*, a SCHOBERO, medico ruſſico ita dicta. Huius enim exemplaria, a LERCHEO ad Cl. Auctorem miſſa, et

p. 193.

p. 231.

p. 237.

ab

ab eodem in loco natali descripta, docent, eam habere baccas plurimas, rubicundas, cylindraceas, quae insistunt calici monophyllo quinquefido persistenti; singulae baccae continent nucem duram, in mucrone crenatam, unico semine foetam. Corollam SCHOBERVS dicit regularem, pentapetalam, albam, an vere, dubitat GMELINVS, hanc enim LERCHEVS non vidit. Haec speciminis loco adduxisse sufficiant. Quilibet enim ex hisce satis superque cognoscere poterit, quam sollicite operam adhibuerit Auctor, ut plantarum in primis species rite determinatas, accurateque descriptas, et ut librum ipsum inspicienti patebit, ut plurimum nitide delineatas proponeret. Hinc omnes etiam, qui botanicam colunt, eaque delectantur, optabunt sane, ut sine mora reliqui huius ditissimae florae tomi in lucem emittantur. Nos sane illos anxie expectamus, cum sibiricae plantae, ex seminibus, a Cl. Auctore beneuole communicatis enatae, plurimos Europae hortos iamiam ornent, atque in illis feliciter vegetent.

VIII.

Lettres de Mr. DE MAVPERTVIS. Nec mihi, si aliter sentias, molestum, à Dresde, 1752. chez G. C. Walther, 8. pl. 14½.

Hoc est:

Epistolae etc.

Accidere omnino posse, facile praeuidemus, ut lectores nostri, dum varia, quae recenter editorum librorum rationem exponunt, diaria perlustrant, has quoque litteras indicatas inueniant, simulque, cum earum varias physici et medici argumenti titulos in fronte gerere, relatum legunt, scire cupiant, num aliquid noui ad has scientias pertinentis a viro tantae famae

famae in iis reperiundum sit? In eorum igitur gratiam facere non possumus, quin libri, qui nostram alias attentionem haud facile excitasset, mentionem faciamus, omnia, quae talis esse argumenti videri possunt, ex iis adducturi, reliquis ex instituti nostri ratione iam omissis. Epistolarum nomen gerunt, licet ad neminem datae fuerint, nec cum litteris quidquam habeant commune, nisi leuitatem stili, ordinemque, qui in libris, seueriore methodo conscriptis, alias usitatus est, neglectum; ita, ut Cl. Auctor ipse in earum prima *diarii suarum cogitationum* nomine eas insigniuerit, quas eodem temporis momento, quo scripsit, de variis rebus ac quaestionibus habuit. Quid igitur mirum, quod varia ipsi quoque tum temporis venerint in mentem, quae alio forsan tempore haud magni aestimare solet, ad scientiam scilicet physicam et medicam referenda? Eadem fortassis etiam de causa excusationis locum sibi fore relictum opinabitur, si qua dixerit, quae in non nullos, in primis in medicos, vel contumeliose, vel certe inconsiderate dicta sint. Accedamus vero ad rem, et quae promisimus, praestemus. In epistola quarta *de modo, quo percipimus*, p. 10. agitur. Cum animam corpori esse iunctam, atque in hoc, praesertim in sensuum eius organis, dum illa percipit obiecta externa, mutationes quasdam fieri constet: medicus, corporis naturam explicans, ad eas quoque respicit, et qua talis de modo etiam, quo nascuntur in nobis ideae, iudicandi fruitur potestate, reliqua merito psychologis relinquit, aut certe, si ea cogitet, medicus physiologus esse desinit. Quod igitur inter ea, quae de hoc argumento protulit Cl. Auctor, ad hunc modo dictum finem spectat, est tantum id, ut ab uno sensu incipiens, reliquos dein transeundo demonstret, ipsi de rebus extra nos positis perceptioni cum mutatione illa, quam obiecta in organis sensoriis efficiunt, nihil esse quidquam com-

mune *. Illam vero theſin, quae immediate eam ſequitur, quod obiecto illi externo nil quidquam ineſſe deprehendatur, quod cum eo, quod anima percipit, ſimilitudinem habeat, uti et reliqua, quae haec epiſtola continet, propter eam modo cauſam non tangimus, cum ea phyſiologi limites transgrediantur, a pſychologo nimirum et metaphyſico examinanda.

p. 73. In undecima epiſtola *de arte vitam reddendi longaeuam* ex eo, quod hac noſtra etiam aetate reperiantur homines, qui longiore prae aliis vita gaudent, licet ad primaeuorum aetatem haud aſcendant, iudicat Auctor, homini ineſſe aliquam cauſam, qua illius vita diutius, quam ut plurimum fieri ſolet, protrahi poſſit; haud tamen eſſe vero ſimile, poſt tot in uniuerſo terrarum orbe factas rerum, quae alimenti loco nobis inſeruire poſſunt, disquiſitiones adminicula ad obtinendum eum finem in quodam nutrimento, multo autem mi-

p. 76. nus in corpore minerali inuentum iri. Quod ea tamen res certo modo fieri queat, ex ſequenti argumento Cl. Auctori apparet: Machina enim quidem, inquit, eſt corpus humanum, definita motuum quantitate deſtruenda, ſed, cum ſe ipſa reſtaurare valeat, certe in ſui reſtaurationem ſemper nitatur, ſingularis ea plane eſt indolis, nimirum *vegetans* ſeu talis, quae euolutionum et augmenti capax, ſimul ac modo in motum acta fuerit, ad determinatum maturitatis gradum tendit; quae maturitas non aetas florens, virilis, ſed mors eſſe dicitur. Unicum itaque ad longaeuitatem auxilium in eo poſitum eſſe is opinatur, ut haec vegetatio ſuſpendatur aut retardetur; uti ſimile videre liceat in plantis, quarum duratio inſigniter promoueri aut impediri queat, prout ſuccorum in iis motum refraene-

* Eadem, et, niſi vehementer fallimur, aptiore cogitandi modo dicta, legi poſſunt in BOERHAAVII inſtitutionibus medicis §. 566. et ſeq. eiusque in eas olim dictarum *praelectionum academicarum* ab Ill. HALLERO editarum Vol. IV.

fraenemus aut acceleremus. Porro earum bulbos in locis, quorum frigus horum euolutionem impedit, longe diutius se conseruare ait, ac si terrae mandentur, eorumque particulae a calore aut terrae succis in motum ducantur; contra vero plantas siue arbores, per hiemem quiescere solitas, in hibernacula vero transportatas, per breue tempus durare, si caloris ope earum vegetationem semper adiuuemus; deinde auium insectorumque oua iam esse animantia, suis tantum inclusa testis, et aliqua iam vita frui, diu protrahenda, dum modo ab iis arceatur calor, hanc vitam ad maturitatem suam perducens; idem de multis valere insectis, hocque insuper in iis animaduersione dignum esse, quod, quando iam sub forma chrysalidum viuunt, per annorum adhuc numerum viua seruari queant, si in loco frigido reponantur. Permulta quidem omnino dubia contra haec omnia a nobis facile moueri possent, cum Cl. vero Auctor ipse fateatur, ea, quae in medium protulit, ut auxilia ad vitam hominum prorogandam haud applicanda fore, nosmet etiam ab illis abstinemus. Cum tamen insignem in suis operationibus natura obseruet analogiam, eaque cum genere humano simili ac cum reliquis animalibus modo agere soleat, is sibi quoque persuadet, plura praestari posse, ac ut plurimum accidere, obseruentur. Duodecima, quae illam sequitur, epistola Cl. Auctoris cogitata *de lapide philosophorum* continet, prae ceteris utilia dicenda, nisi is forsan multa de reliquis saltem per iocum dixisse velit. En illius argumentum! Licet haud quidem vero simile sit, eum ab aliquo inuentum iri, multoque propius a veritate abesse videatur, talis inueniendi studiosum sibimet ipsum nociturum esse: si quis tamen, ut philosophus, rem diiudicat, apparet, quod probari nequeat, prorsus eam esse impossibilem. Vel omnis enim materies est homogenea, nec corpora naturalia, nisi quoad figuram particularumque ipsorum situm inter se sunt diuersa:

p. 78.

p. 80.

p. 81.

p. 83.

uerſa: Vel omnes materiei particulas ad definitum generum aut elementorum numerum referri poſſunt, ideoque corpora pro diuerſa horum inter ſe mixtura atque adunatione a ſe inuicem differunt: Vel denique omnes materiei partes tam variae ſunt, ac ipſa naturae corpora, ideoque haec particulis conſtent ſimilaribus, ita ut v. c. aurum aureis, ferrum ferreis, lignum ligneis tantum particulis conſtent: Clarum eſt, quod in priore caſu temere dictum eſſe videatur, materiei, ex qua corpora conſtructa ſunt, particulis non aliam figuram aliumue ſitum conciliari poſſe, ac iamiam adeſſe obſeruantur; in altero autem, quod dici nequeat, doſes et mixtiones ingredientium elementarium, quae ad aurum producendum neceſſaria ſunt, inueniri prorſus non poſſe; in tertio tandem caſu, quod longe minus aſſeuerari queat, praeter aurum ipſum, nullum in uniuerſa natura reperiri poſſe corpus, quod aureas particulas in ſe habeat conditas, quae inde extrahi
p. 116. poſſint. Epiſtola decima ſexta *de medicina* inſcribitur, cui tamen ſcientiae a duobus inde annorum millibus ne fere unicum quidem acceſſiſſe augmentum, Cl. Auctor fabulatur *, cum aliae tamen ſcientiae a ſaeculo inde minori ſpatio ſummum perfectionis faſtigium aſſecutae fuerint. Cum inter medicos tamen ſint, quos inſignibus ingenii viribus conſpicuos eſſe, ipſi fatendum ſit, quaeſtionem mouet: Num medicorum, aut ſcientiae, in quam incumbunt, culpa id acciderit? Ut eam igitur dirimere queat, ſequentia proponit: Sanitas corporis medici eſt obiectum. Corpus nunc quidem

* Id nemo quidem dixerit, niſi qui in hiſtoria litteraria prorſus eſt hoſpes atque peregrinus. Medicinam enim nullo inuentorum augmento profeciſſe, ſi quis aſſerat, negaturus etiam eſt, haud inuentas eſſe Indias. Mirari ſatis non poſſumus, qui fieri queat, ut aliquis de rebus, quarum imperitus eſt, et quarum ignorantiam nullus umquam ipſi vertere vult vitio atque iure poteſt, tam audacter iudicare poſſit?

quidem pro machina tantum haberi debet, illo nimirum reſpectu ad influxum, quem anima aliquando quidem, ſed raro, in corpus habere videtur, iam neglecto *: ea vero tam ſingularis eſt machina, tamque compoſita, atque ex tam diuerſa materie diuerſisque fluidis conflata, ut medicorum etiam ſagaciſſimus et laborioſiſſimus plurima detegere non valeat, omnemque intelligendi ſpem debeat abiicere, quo modo ſtatum eius a naturali alienum corrigere poſſit. Quid? p. 119.
quod remediorum, quibus utitur, haud maiorem habeat cognitionem **. Rerum itaque non cognitarum

 effectum

* Frequentes omnino eos eſſe caſus, in quibus ad influxum animae in corpus reſpiciendum eſt, innumera teſtantur phaenomena, a quam plurimis etiam auctoribus annotata, quorum praecipua ſunt ea, quae animi affectus eosque in primis impetuoſos ſequuntur; porro, quae in reſpirationis negotio, pluribusque, liberae voluntati relictis, actionibus obſeruantur; ne quid de iis dicamus, quæ in morbis obueniunt, qualia ſunt v. c. nauſea, quin et vomitus nullo modo ſaepe compeſcendi immo lethiferi, ab aliqua tantum idea ingrata orti. Ex quibus omnibus liquet, corpus humanum minime pro ſola machina tantum haberi poſſe, ideoque valde eſſe iniuſtum, ſi quis tamquam vitium imputare velit medicis, quod non omnia phaenomena ex principiis mere mechanicis explicare queant. Multa quidem principia, quae per tutam atque conſtantem experientiam tantum certa ſunt, licet mechanice exponi nequeant, ſunt tamen vera principia, forſan *inferiora* dicenda, quibusdam auctoribus *phyſica* dicta, v. c. grauitatis, adhaeſionis. Num omnes in uniuerſa rerum natura obſeruandi effectus dependent a ſola corporum figura? Mathematicus diiudicat corpora, qua extenſa. Quis vero determinauerit, quotnam naturae rerum inſitae ſint vires?

** Num medicamentorum cognitio, tum per fidam, accuratam atque conſtantem experientiam, tum per ſenſus, tum per artem adquiſita chemicam, pro nulla haberi debet? De principiis noſtrae cognitionis inferioribus

effectum in machina magis adhuc incognita is expectat, qui morbum curare ſuſcipit, cuius naturam et cauſam ignorat. Medicus igitur vel doctiſſimus ex theoriae ſuae legibus tam feliciter curabit aegrum, ac aliquis ex iſtis feris barbarisque Africae gentibus horologium *Grahamianum* in ordinem rediget. Alia ergo methodus, pergit Auctor, quae audit empirica, propius ad rationem accedit, licet noſtris temporibus contemnatur. Eam quidem ii tantum exercent, qui aliorum de morbis atque remediis iudicandi dexteritatem aſſecuti non ſunt: ſed huius ignorantiae reſpectu tum ipſorum, tum magis adhuc aegrorum, magna eſt felicitas, dummodo ſuam methodum bene exſequantur *. Succeſſus, quem in his ultimis ſaeculis aliae habuerunt

rioribus iam iam diximus. Fac etiam, aliquis alia eaque ſublimiora in phyſicis ſcientiis inueniat; num is quoque certus eſt, haec eſſe ſumma? Nonne in uniuerſa rerum cauſa perſpici ea nequeunt, quae vere ſumma ſunt, certe talia nobis eſſe videntur?

* Quis probus umquam medicus experientiam negligi non debere negauit, in iisque caſibus, ubi aliis iisque altioribus principiis nullo modo uti poteſt, ea tantum ſola inniti noluit? Nullus medicus in ſimili caſu empirici rationalis nomen gerere haud dedignabitur, nec, uti Auctor opinatur, iniuriis tum ſe oppreſſum iri conqueretur. Num vero ſemper principiis deſtituitur, eaque, ſi utendi talibus ſuppetat locus, negligere debet? uti nebulonum iſtorum mos eſt, qui in craſſiſſima verſantur ignorantia, rudes atque ſtupidi, quibus empiricorum nomen his noſtris temporibus competit. Ignoramus, quales empiricos Ill. Auctor intellexerit, quibus corpus ſuum vitamque, ſi quando agrotet, commendare ſe velle ait p. 123. Cum interim tanta penes multos illius ſit exiſtimatio, ut omen abeſſe velint, quando ille ſibi, forte aegrotanti, medicum, uſu tantum factum ſibi viſum, imprecatus eſt: caueat ille ſibi, ne rationalis medicina ſui contemtum experimento vago, quod, cum male ceſſit, repeti nequit, in tam illuſtri capite ſumen-

habuerunt ſcientiae, aliis nocuit. Dum enim geometrae ad inſignia quaedam naturae phaenomena explicanda ſuis legibus uſi fuerant, alii easdem ad phyſicam magis particularem in primis medicam transferre voluerunt, ſed absque felici euentu, cum huius natura tales non admittat *. Error etiam eſt fere uni- p. 122.
uerſalis, quod dexterrimus anatomicus optimus etiam medicus ſit, cum HIPPOCRATES atque SYDENHAM iam dixerint, anatomiam pictori magis, quam medico eſſe utilem **. Imperfecta inſuper machinae cor-

 poris

ſumendo, vindicet. Cum enim alicui empiriço caecus caſus fauet, illi in omnibus fidem habere velle, tantum eſt, quantum: *Si ſus roſtro humi literam A impreſſerit, ſuſpicari velle, ab illa Andromachen* ENNII *deſcribi poſſe.* CICERO de Diuin. l. 13.

* Limites cognitionis rerum phyſicarum hic loci iam deſcribere nolumus. Interim, ſi unus etiam atque alter ſciendi cupidinem ultra determinatos limites extendere voluerit, num ideo ab omnibus id factum eſt? Num vero is etiam laudem meretur, qui eo eum, quem adipiſci poteſt, cognitionis gradum aſſequi non vult? Habet etiam omnino ars ſalutaris ſuos, uti quaeuis diſciplina, limites, nec culpanda propter ea eſt. Quodſi vero iatromaſtix noſter, machinam corporis ita ab artifice, uti ſutor ad pedem ligneum coria ducit, mutari non poſſe, exiſtimat, inter ſapientes medicos contradicentem habiturus eſt neminem. Haud enim, uti faber ferrarius cum ferro, medicus cum aegroto agit, ſed ipſius machinae legibus ad machinam applicatis, cum corpora curat, utitur.

** Verum eſt, anatomicam corporis cognitionem ſolam haud efficere poſſe medicum; ſed medicus etiam, multoque minus autem chirurgus, absque ea non datur. Numque ideo, quod minimae corporis partes omnes detegi nequeunt, tota ars negligi debet? Satius vero egiſſet, ſuoque honori melius conſuluiſſet Ill. Auctor, ſi nec HIPPOCRATEM, neque SYDENHAMVM, ſententiae ſuae teſtes euocare auſus fuiſſet. In illo enim loco, ad quem is reſpexiſſe videtur, v.

in

poris humani cognitio saepius a recto tramite seducere potest medentem, quam recte ducere. Accedit et hoc, quod remediorum vires haud cognoscant medici, eaque omnia, cortice peruuiano, opio et mercurio exceptis, vires suas imaginationi saltem debe-
p. 124. ant *. Omnium vero causa princeps, cur scientia medica

in operibus περι ἀρχαιης ἰητρικης, edit. van der LINDEN. Lugd. Bat. 1665. Tom. I. p. 34, medicorum ille pater non de artis anatomicae cognitione eiusque usu in strictiore sensu loquitur, sed, uti SYDENHAM, qui eum ex HIPPOCRATE locum allegat, paulo post monet, *sophistas reprehendit, qui in humanis corporibus speculandis curiositati et περιεργιᾳ plus debeant, quam obseruationibus practicis.* HIPPOCRATEM autem ipsum et calluisse artem anatomicam, et omnino secuisse cadauera, comprobauit Ill. DE HALLER, v. ei. opuscul. anatom. Gotting. 1751. 8. p. 136. Eum tamen, si nostris vixisset temporibus, longe maiorem anatomiae cognitionem sine dubio consecuturum fuisse, negandum non erit. Ratio tamen sui temporis, et facies, quam tum habuit ars anatomica, satis eum excusant. Prorsus etiam et aperte falsum est, quod de SYDENHAMO asserit. Ill. Auctor. Is enim in eodem loco, qui hic citatur, *se existimare* dicit, *quod necesse omnino sit, ut medicus structuram humani corporis probe calleat, quo rectius veras ideas et naturae et causarum quorundam morborum animo concipere ac formare queat.* vid. ei. opera. Lugd. Bat. 1741. 8. in tractatu de hydrope p. 490. Superuacaneum autem est, anatomen, qua ad artem exercendam carere nemo possit, vindicare, cum, qui hominem nescit, hominem sanare omnino nequeat. Fuerunt ante inuentam pyxidem nauticam, qui mari vehebantur, cuius insulae in conspectu sunt: nemo autem ex illis oceanum nauigare ausus est; ita quoque minimam rem conficere poterit, qui anatomen nescit, in magnis autem caecutiet.

* In causas iam inquirere nolumus, cur his modo tribus remediis virtutem aliquam fortasse tribuat Ill. Auctor. Quod omnia vero reliqua nullas habeant virtutes, nemo dixerit, nisi rerum naturalium imperitissimus

medica tam paruos huc usque fecerit progreſſus, in fine, quem praefixum ſibi habent medici, et modo, quo ad eum peruenire ſolent, collocata eſt *. Licet enim alias boni ſaltem euentus praemiis condecorentur, medici tamen proſpera in eo ſita eſt fortuna, ut crebro aegros adierit, multaque ipſi praeſcripſerit remedia. In epiſtola deinde, quae priorem excipit, decima ſeptima *de generatione animalium* loquitur Cl. Auctor, et poſtquam varia tum veterum, tum recentiorum auctorum de generationis negotio ſyſtemata enarrauit, ad Cl. BVFFON de ortu hominum ſententiam accedit, eamque miris laudibus extollit, ſimulque eius conuenientiam cum ſua ipſa declarat, quam in libro *venus phyſique* ante aliquot annos expoſuit; quae vero omnia, cum ubiuis iam cognita ſint, nos non morantur. Veterum itaque opinionem, quam ipſi tamen explicare non poterant, quod mas nimi- p. 125. p. 133.

 rum

tiſſimus. Ut ex tanta eorum copia unum alterumue modo commemoremus, quis eſt, quin ipecacuanhae virtutem emeticam, laxantem autem rhabarbaro concedat, utrique nimirum radici talibus praeſertim aegris ſalutari, quibus bilis facile commouetur? Ut vires hellebori a veteribus adeo laudatas nunc taceamus.

* Ea ne digna quidem ſunt, quibus vir honeſtus rectequeque ſibi conſcius addat monitum. Pronunciare nolumus, cuius ſit, qui talia de rebus grauibus, honeſtisque rei publicae ciuibus, absque ulla probatione effutiat. Vel certe quam maxime iniquum eſt, unius alteriusue culpam in uniuerſum aliquem ordinem conferre. Malos eſſe medicos, veluti mali ſunt philoſophi vel geometrae, nemo eſt, qui dubitet. Unaquaeque diſciplina ſua habet ulcera, philoſophia ſophiſtas, iurisprudentia deblateratores, medicina ſeplaſiarios. Quis autem, niſi parum ſapiens, artem falſam eſſe dicet, cum artifices deſipiunt, aut omnibus, uno alteroue delirantibus, rationis uſum abiudicare audebit? Num ideo autem incuſandi ſunt medici, quod immortalitatem largiri nequeant?

rum atque foemina aliquid ad hunc effectum conferant, et foetus utriusque sit progenies, si pediculos, arbores obsidentes, et polypos exceperis, confirmari, eamque insuper similitudine, quae inter patrem matremue atque infantem esse saepe obseruatur, prout unius vel alterius semen ad huius conformationem plus minusue contribuerit, corroborari dicit Cl. Auctor. Quem in finem etiam duplex adducit exemplum satis memoratu dignum, ex quo apparet, homines aliquot cum sex digitis in quauis extremitate per continuatam generationem ita natos fuisse, ut modo pater, modo mater eam digitorum indolem habuerint. Idem de illustri gente *Bülfingeriana* constat. In prima sui origine id forsan casu accidere potuisse, is concedit, hanc vero varietatem, per sufficientem generationum numerum confirmatam, variis speciebus occasionem dare posse, opinatur. Casu enim continuationem talis conditionis accidere non facile posse is intelliget, qui perpendit, quod Cl. Auctor, exacta percontatione instituta, Berolini, quod centum millia hominum continet, duos modo homines inuenerit, qui sex digitos habuerunt. Ratione igitur ducta, quilibet perspiciet, quam minime tale quid accidere debere, quod nihilo
p. 142. tamen minus factum esse, experientia docet. Sub finem epistolae tandem, dum experimenta, a viris clarissimis NEEDHAM et BVFFON in ipsorum de generatione systematis explicandi gratiam instituta, attingit Auctor, in summam rapitur admirationem, et generationis explicationem crassioribus adhuc ac antea te-
p. 187. nebris obuolui, fatetur *. Ultima denique, quae unde-

* Ipsam quoque *Buffonianam* generationis explicationem, licet eam magni faciat Cl. Auctor, innumeris fere et, nisi fallimur, talibus dubiis, quae vinci nequeunt, obnoxiam esse, a multis iam aliis auctoribus annotatum fuit, ut ea nunc controuersia hic loci supersedere possimus. In primis vero ea de re legi meren-

undeuicesima est, epistola *de progressu scientiarum* satis multa adhuc continet, ad medicos pertinentia. Ignorantia eorum commotus Cl. Auctor viam, qua p. 198.
scientiam atque dexteritatem amplificare et corroborare possint, proponit, experimenta scilicet in reis, mortis supplicium meritis, faciendi. Certi enim, ex eius mente, tum fieri possumus, num variae operationes, nondum huc usque tentatae suscipi queant, e. g. extractio calculi ex renibus, aliaeque similes aut periculosae aut plane impossibiles creditae *. Tam felicibus nobis etiam forsan esse continget, ut admirabilem illam animae atque corporis combinationem detegamus, dum eam nimirum in hominis viui cerebro inuestigare licebit. Porro quot sunt animantium et vegetabilium genera in venenorum classem huc usque relata! Horum et aliorum, quorum vires nobis incognitae sunt, naturam atque indolem hoc modo indagare possumus. *Obseruationes* porro *de medicina* cum lectoribus p. 205.

merentur litterae, diario britannico insertae, (*Iournal britannique 1750. mois de Mars p. 78.*) et praefatio Ill. HALLERI secundo volumini uniuersae historiae naturalis germanice editae praemissa, (*allgemeine Historie der Natur, nebst einer Beschreibung der Naturalienkammer des Koenigs von Franckreich, zweyter Theil. Hamburg und Leipzig 1752.*) quae gallice quoque prodiit sub titulo: *Reflexions sur le systeme de la generation de Mr.* DE BVFFON, *traduites d' une preface allemande de Mr.* DE HALLER, *à Geneve, 1752. 12.*

* Accusat medicos pag. 201. arrogantiae Cl. Auctor, qua artem iam potius esse perfectam existiment, quam eam reddere velint perfectiorem. Quae autem iniuria! In omnibus Europae cultioris prouinciis quotidie eum in finem instituuntur et peruulgantur tentamina, ut insignis omnino talis argumenti librorum copia per unum modo annum prodeat. Subsistamus tantum in exemplo, ab Auctore allato de calculi renalis extractione, de qua operatione HIPPOCRATES, PAREVS, RIOLANVS, WEDEL, MERY, COLOT, HEISTERVS, aliique plures multa iam scripserunt.

ribus communicare pergit Cl. Auctor: Medicis saepe vertitur vitio, quod nimis sint temerarii; sed falso: nimis enim solent esse timidi. Praeter ea enim medicamenta, quibus uti solent, et quae nullas tamen possident vires, alia adhibent nulla. Casui barbarisque nationibus unice referenda sunt, quae cognouerunt specifica; ex sua scientia ne unum quidem inuenerunt *. Multa, quae nota etiam facta sunt, non satis ab iis vocantur in usum. In nostris terris transpirationi corporis conseruandae illi studeant, cur non tentant, quem usum praestet Aegyptiorum mos, qui
p. 206. corpora pice obuoluunt ** ? Modus ille, quo vis centrifuga demonstratur a physicae experimentalis doctoribus, a quodam geometra quondam eum in finem propositus, ut sanguis in aliqua corporis parte nimia quantitate confluens deriuaretur, eruditos praesentes, praesertim medicos, in risum deducebat, sed experiri eum potius debuissent ***. In morbis uniuersam prouinciam

* Litteraria nos quidem docet historia, rerum aliquot naturalium vires casu fuisse detectas; id de omnibus vero non valet. Ne quid de remediis, per artem chemicam paratis, dicamus, quorum multis certa, saepe vehemens tantaque vis inest, ut medicorum ideo multi ea vix audeant adhibere. Praeter ea quoque alia multa propter similitudinem, cum aliis iam magis cognitis ope sensuum deprehensam, in usum vocata et comprobata fuerunt. Quid autem historica earum rerum iuuat cognitio, si ratio utendi iis nos fugiat. Num exstrui potest aedificium, si copiosissima quoque adsit materia, nullus autem architectus? En prudentis atque docti medici necessitas!

** De more illo, quo Aegyptii putredinem a cadaueribus arcere tentarunt, nos quidem legere meminimus: experimenta vero similia in hominibus viuis instituta nos latere lubenter confitemur.

*** Si aptum talia in hominibus experiundi modum cum erudito orbe communicare velit Cl. Auctor, magnus nobis erit Apollo.

uinciam atque gentem affligentibus medico licet adhibere noua vel et periculosa remedia, dummodo magistratus talia permiserit. Constituantur medici, quibus singulis unius tantum morbi curatio committatur. Quod ars vero medica minime eo sit perducta, ut aegris modum, quo se gerere debeant, ex causarum atque effectuum cognitione praescribere possint, et quod optimus medicus ille sit, qui eo studiosius obseruat omnia, quo minus ratiocinatur, ex variolarum morbo elucet, qui diuerso plane modo a diuersis quoque medicis tractatus, eundem fere bonorum malorumque euentuum numerum exhibet. Quid? quod idem accidat, si morbus naturae tantum soli fuerit relictus. Nonne clarum inde fit, quod ne contra hunc quidem morbum nec iustum regimen, neque remedium specificum inuentum, sed omnis potius curatio naturae tribuenda sit. Propter argumenti similitudinem ad *experimenta* progreditur Auctor *de animalibus capienda*. Recentioris quidem aeui scriptores, inquit, accuratiores, ac a veteribus factum fuit, dederunt eorum descriptiones, eaque in aptiorem ordinem redegerunt: sed generales potius naturae vias in iis producendis et conseruandis inuestigare debent. Theriotrophea seu viuaria (*ménageries*), in quibus multitudinem diuersi generis animantium asseruare et nutrire solent principes, occasionem talibus experimentis suppeditant, qualia sunt v. c. eorum, quae diuersae sunt naturae, coniugatio, in primis eorum, quae naturali quasi instinctu sibi inuicem sunt contraria. Animalia forsan inde noua, nouaeque eorum species, monstra, aliaque curiosa orirentur. Monstrorum unum genus est, quod ex semine diuersarum specierum producitur; alterum vero est integrarum partium cum partibus cuiusdam indiuidui, quod alius est generis, unitarum; prius inter animalia, hoc vero inter arbores huc usque repertum fuit. Nonne hoc

p. 209.

p. 211.

p. 215.

etiam

etiam in animalibus fieri poſſet *? Brachia gammari, cauda lacertae, polypique partes, ſeſe regenerare obſeruantur. Nonne haec proprietas aliis etiam animantibus propria erit? Forſan ea res in modo varias multorum animalium partes ſeparandi conſiſtit. Varia dein praeter iam dicta monet Auctor. Obſeruationes microſcopicas ſtipendiis praemiisque iuuent ii, qui ſummam imperii tenent. Speculorum uſtoriorum uſus in chemicis quoque experimentis exſerere ſeſe poteſt, quorum ignis vel vehementiſſimus nimis forſan debilis eſt, vel ad formanda, vel ex compoſitione ſua reſoluenda corpora. Experimenta electrica, cum ea, quae huc usque facta ſunt, ad explicanda phaenomena nondum ſufficiant, uti et obſeruationes de auroris borealibus, crebrius inſtituendae ſunt, quales incolis regionum ſeptentrionalium, prope ab ipſo polo ſitarum, inter quos ſe fuiſſe olim hic quoque loci in memoriam reuocat, commendatas cupit Cl. Auctor. En ea, quae ex hiſce epiſtolis ad medicos pertinere videntur! Num illae vero expectationem expleuerint, quam de viro, qui tantam ſibi famam comparauit, multi habuerunt, qui adulandi ſtudio nec corrupti, neque veritatem denegare coacti ſunt, penes alios eſto iudicium.

* Nec huius generis experimenta intentata nec inauſa manſerunt. Cl. DV HAMEL enim periculum fecit cum exoptato ſucceſſu, quod partes animalium, in una corporis parte abſciſſae, alteri iterum inſertae et cum ea coalitae, laete creuerint. vid. *Hiſtoire de l' academie royale des ſciences année* 1746. à Paris, 1751. eiusdemque diſſertationis epitomen in Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 296.

IX.

IX.

Morbilli variolarum vindices delineati a 10. GOTHOFREDO DE HAHN, Wratislauiae in offic. libr. I. I. Korn, 1753. 4. pl. 6½.

Noui de variolis, a Cl. Auctore olim conditi, systematis ante hunc annum cum voluptate dedimus descriptionem *, tumque in transitu paucula contra illud simul monuimus, quae haud aegre Cl. Auctorem tulisse laetamur. Alii dein eique viri in arte clarissimi varia contra nouam illius sententiam in litteris, et publice et priuatim ad eum datis, mouerunt dubia, quae ipsi tamen omnia tanti haud visa fuere ponderis, ut metueret, ne de sua ipsi decedendum foret prouincia, quin potius ad illius defensionem promtus paratusque statim se accingeret, simul atque a graui morbo, quo eum huc usque affectum fuisse dolemus, paululum liberatus exsurrexit. Variolarum itaque euolutionem propugnaturus, propter argumenti similitudinem, *morbillorum* etiam delineare rationem, idque in nunc indicato commentario praestare, in se suscepit, iis vero iam missis aliique occasioni reseruatis, quae ad id, quod in variolis atque morbillis morbosum est, pertinent. Licet autem hunc librum eleganter, uti Auctoris reliqui, conscriptum ab omnibus medicis lectum iri confidamus, eius tamen merito, propter rei nouitatem, iam mentionem facimus, iudicium de veritate noui systematis lectoribus nostris relicturi. Primum itaque caput *morbillorum descriptionem* continet. Summa illius haec est: quod *eorum* p. 5.
valetudine lymphatica cutis vascula euoluantur, atque adeo idem experiantur, quod variolarum morbo vasa sanguifera arteriosa. Quamuis autem iis, toti humano generi solemnibus, multa cum variolis sint communia, princeps tamen eorum morbus est suique generis p. 6.
atque

* vid. Comment. nostr. Vol. I. P. II. p. 205.

atque iuris, aeque antiquus ac ille variolarum, a quibus per totum morbi decurſum differunt. Tuſſis
p. 7. rauca, oculi rubentes et lacrymantes, et catarrhus febrilis eorum aduentum in aegris annuntiant, quorum ſymptomatum ultimum poſt eorum eruptionem ad-
p. 8. huc perſeuerat. Febris etiam in his eſſe ſolet mitior, quam in variolis, atque abundans muci ſeroſi per os atque nares copia excerni obſeruatur, indicio, quod primarum quoque viarum, eorumque locorum, per quae aer inſpiratione ſuſceptus tranſit, membranae morbillis obſideantur. Licet interdum quoque ſint lethiferi: ut plurimum tamen morbus inter benigniores referri meretur, ita ut illos *euolutionis morbum* eſ-
p. 9. ſe, in ſecundo capite doceat Cl. Auctor. Cum vero Groenlandenſes, aliasque gentes, uti Caraitas, incolasque capitis bonae ſpei, ante aliorum hominum acceſſum variolis numquam laboraſſe, ideoque integras gentes his euolutionis legibus haud adſtringi, idque igitur cum uniuerſali humanarum euolutionum indole pugnare, a quibusdam viris clariſſimis ſyſtemati Au-
p. 11. ctoris fuerit oppoſitum: Groenlandenſes, primo reſpondet is, homines eſſe degeneres et imperfectos viſos, feminasque inter eos menſtruo fluxu deſtitui, partus tamen eniti, ideoque variolis, etſi humano generi in ſe ſpectatae competant, aeque ac hoc fluxu, feminino ſexui perinde alias ſolemni, ſine damno carere
p. 13. poſſe. Deinde iudicium de aliis gentibus, ob priuatas eorum, terrae etiam et loci, circumſtantias ignora-
p. 14. tas, difficulter ferri poſſe, monet; tandemque euolutiones humanas non eſſe debere unas easdemque omnibus gentibus, nec omnibus quidem omnes neceſſarias, probare annititur. Differunt enim, inquit, ratione diuerſarum gentium, in quarum una illae luxuriantur, in altera vero deſiderantur; v. c. vir natione Ruſſus mammoſa habet pectora; aethiops afer nigram cutem; de feminis contra Groenlandenſibus iam iam dictum fuit, iis non fluere menſes: Porro diuerſae

ſunt

ſunt reſpectu varii vitae generis, ex quo v. g. aliae gentes cutem emolliunt, aliae vero unguentorum uſu eam prorſus immutant. Quid? quod euolutiones p. 16.
quaedam arte poſſint intercipi. Qui vitam ſemper caelibem et caſtam viuunt, et quibus exciſa eſt virilitas, exempla praebent. Alia praeter has mota eſt obiectio, a natura contagii deſumta. Qui enim, inquit p. 17.
aduerſarius, umquam fieri potuit, ut unius, variolis adfectae, nauis aduentus uniuerſae genti, quae variolis huc usque caruit, has adferret, ideoque tam ſubito mutaret eius naturam, ut nouam acquiſitam indolem ad poſteros quoque propagaret? Hanc vero obiectionem ſyſtemati ſuo admodum fauere exiſtimat Cl. Auctor, ratione ſcilicet habita ſimilitudinis, quae plantarum flores et variolas intercedit. Illi ſteriles, uti in palmarum ſpecie videre licet, antherarum puluere mutantur in proliferos; variolae autem pro veris humani corporis floribus haberi debent. Propius dein p. 19.
ad obtinendum finem ſuum accedit Cl. Auctor, et in capite tertio *morbillorum benignorum faciem* deſcribit, et eadem, qua olim in delineanda variolarum ratione, utitur methodo, ex enarratis nimirum huius morbi hiſtoriis phaenomena ipſi propria colligens, quae in primis ſunt grauedo, tuſſis, oculi lacrymantes, diarrhoea, febris, et, qui ſignum dat morbi pathognomonicum, catarrhus, ſeu *lymphatici roris ex omni vaſorum lymphaticorum, per Schneiderianae membranae ſuperficiem abunde diſtributorum, orificiolis, naturae lege modice et cum tranquilla perennitate ſtillantis, ſcaturigo auctior atque impetuoſior*, ex quibus omnibus intelligi poſſe dicitur, ipſa lymphatica corporis vaſa, totumque eorum ſyſtema prae reliquis partibus affici atque immutari, iisque hunc a natura datum eſſe morbum, ut bonus corporis ſtatus in meliorem tranſeat, id, quod in primis ex eo colligere queat, quod ille leniter ut plurimum ſoleat decurrere. His igitur co- p. 27.
gnitis, *morbillorum ratio* in capite quarto exponitur.

Ea ex ſequentibus clara eſſe debet. Uti in aliis morbis vaſcula, anatomicorum oculorum aciem ſubterfugientia, comparent, qualia v. c. lymphatica ſunt in cute leucophlegmatica, vel applicatis veſicantibus remediis ſauciata, conſpicua: ſic et ſubturgidulae illae morbillorum maculae lymphatica cutis eſſe vaſcula leuiter inflammata cenſeri debent, *quibus ſyſtema lymphaticum, huc usque mancum et mutilum, in euolutione, ſiue in tali ſtatu conſtitutum ſignificatur, quo ad aliquem perfectionis ſuae gradum tendit, et, ſi res bene ceſſerit, perducitur.* Nam homo naſcens, uti arteriolarum myriadibus variolarum euolutione ſuppeditandis, ſic et talibus lymphaticorum vaſorum caret. Cum ab aliis vero auctoribus tantum abeſſe opponatur, ut in recens nato homine talia deficiant, ut in homine adulto potius eorum longe plura abſint, quae ipſo variolarum et morbillorum morbo fuerint deſtructa: minima, primo contra hanc obiectionem monendum erit, vaſcula iniectionum ope haud detegi, ideoque inde argumentum peti poſſe nullum; haec deinde vaſcula, ſi praeſentia eorum mox a partu quoque concedatur, vel imperuia eſſe liquidique transmittendi haud capacia, certe nec eo numero et ordine diſtributa, qualia in adultis per artificioſiſſimas et ſubtiliſſimas iniectiones detegi poſſunt; vel eorum denique multa ſaltem in molliore oſſium ſubſtantia latere, prout v. c. ſinus eorum pituitarios, frontales et maxillares, ideoque etiam membranas, quarum ope mucus ſecernitur, in foetibus deficere, anatomicorum peritiſſimi annotarunt. Similitudo deſumta ab infantum vaſis, deferentibus dictis, ductibus lactiferis in iis, quae vel nubiles nondum factae ſunt, vel aniculae virgines manſerunt, porro a bombyce, qui licet adhuc nec nympha, neque papilio ſit, utramque tamen figuram in ſe iam habet reconditam, ſucceſſu temporis euoluendam, a fructu pomi in eius germine iam deliteſcente, et ab aliis ſimilibus petita, rem illuſtrat.

p. 28.

Quem

Quem ad modum vero ex aliqua parte foetum pluribus, ac adultum, conſtare partibus, concedit Cl. Auctor, ita nimirum ut, licet edentulus, duplici tamen dentium phalange iam tum gaudeat: ſic et in viro ſene locum habere antagoniſtarum obiectionem, de maiore ſcilicet in infantibus vaſorum copia prae adulto, negare is non vult. Nec in morbillorum, uti in variolarum theoria, iſtis phaenomenis, quae in illis lethiferis obſeruantur, deterreri ſe ab opinione concepta patitur, quin potius in capite quinto *morbillorum malae notae rationem* explicet, hiſtoriis morborum interſperſis, ex quibus patet, vel a nimis aucta vi naturae, vel a ſociis euolutionibus v. c. menſtrui fluxus atque dentitionis, vel a neglecto aegrorum regimine, praeſertim ſi libero aeri nimis cito ſe commiſerint, periculum in quibusdam proueniſſe. Inter alias ea notari meretur obſeruatio, quod lymphaticae euolutionis negotium, dum male cedit, leucophlegmatiae ſeu lymphatico totius corporis turgori occaſionem det, ex quo Cl. Auctor infert, lymphae naſci ſtaſin atque marcorem, cum tubuli eorum ſuum amiſerunt elaterem, inde eius fieri coagulum, eaque ex cauſa vaſculorum aneuryſmata et hydatides, veras hydropis uniuerſalis cauſas, oriri. Ultimum tandem, quod libri ſextum eſt, caput *euolutionis cum varioloſae tum morbilloſae ulteriorem vindicationem* continet, qua reliquas a variis auctoribus, in primis a Cl. WERNERO, Regiomontanenſium Profeſſore, in peculiaribus *exercitatione academica* et *diſſertatione epiſtolari*, contra ſententiam ſuam motas obiectiones infringere ſatagit Cl. Auctor. Auctiores enim vitae motus in ſui de hac euolutione ſyſtematis comprobandi auxilium is vocauerat; id quod tamen praepoſtere ab eo factum fuiſſe, ex eo monuerunt alii, quod lenta, placida atque aequabili ratione in iuuandis corporis incrementis natura procedere ſoleat. Id nunc quidem ut plurimum fieri is concedit, ſed alias etiam eſſe naturae leges, ex

p. 31.

p. 36.

p. 39.

p. 41.

p. 42.

quibus ea vel in ſaniſſimo corporis ſtatu ab hac aequabilitatis via recedere videatur, ita, ut inter motus vitales, quales per diem, aliosque, quales ſomni tempore eſſe obſeruantur, intercedat differentia. Eadem, inquit, legis ratio in plantis deprehenditur, quae nunc quaſi quieſcunt, nunc, coelo fauente, nouum recipientes vigorem, folia, flores atque fructus emittunt. Diuerſa et ſtata oeſtri venerei tempora in brutis animantibus idem probant. Fac vero, res ita ſe habeat.
p. 43. Quid ex hoc nouo ſyſtemate utilitatis emanat? Quaenam inde commoda in oeconomiam animalem redundant? Tale quid roganti reſpondet Auctor, prorſus ea non deeſſe, ſed eorum multa corpus inde experiri. Praeter ſquamularum enim, totidem vaſcula exhalantia operculorum modo defendentium, ideoque ipſorum etiam auctum vaſculorum numerum, totum quoque corpus, poſt illos morbos ſuperatos, euidens incrementum capere; porro homines ſemel iis defunctos per omne reliquum vitae ſpatium ab iis manere liberos atque tutos, adeo ut, id quod reliquis praeſtat commodis, totus corporis habitus, in primis autem
p. 46. cutis, vaſorumque ſtatus *augeſcendo* ita mutentur, ut ea *tranſitu facto e ſtatu quodam quietis ſiue infantiae, quo ante variolas et morbillos inertia otiabantur, in ſtatum vigiliae et actiuitatis, vigeant poſthac, actioneque libera gaudeant ad vitae finem duratura;* vaſcula ſiue iam dum fuerint praeſentia, nuncque magis conſpicua
p. 48. fiant, ſiue modo nunc formentur. Incerta vero, dicunt alii, huius eſt euolutionis ſtatio, reliquis aera magis eſt fixa. - - Non ita. Tempus enim omne a natiuitate ad abſolutam usque pubertatem ei competit. At ſenes quoque fiunt varioloſi! - - Fiunt quidem tales, tum vero natura ſuam deſerere videtur regulam; neque id plane nouum: POVPARTVS ſenis decrepiti vertebras vidit coalitas, nihiloque minus re-
p. 49. centiſſimas apophyſes transuerſales *. Cur vero dantur,

* v. Hiſtoire de l'acad. de Paris, 1719. p. 59. 60.

tur, qui variolarum morbum vel plane non, vel parciſſimam eorum copiam, experiuntur? -- Illi omnino ſimiles eſſe videntur arboribus illis anomalis, quae absque praeuio flore fructus ferunt, aliisque plantis, quarum flores interne deliteſcunt: hi vero, licet parce variolentur, per totum tamen corpus euolutionis utilitatem experiuntur, reliquis nimirum cutis interſtitiis non otiantibus, ſed ſimili labore occupatis, totaque cuticula defluente. Sunt autem, qui bis corripiuntur p. 50. variolis! -- Horum etiam ut praecedentium valde rara ſunt exempla, naturae aliquando luxuriantis teſtes, uti arborum bis eodem anno florentium. Alii contra integerrima ſanitate gaudentes ſine morbo ſeneſcunt et moriuntur. Nec tandem inſitionis variolarum p. 51. theoriam ſyſtemati ſuo contrariari, immo potius per eam hoc illuſtrari monet Cl. Auctor, qua nimirum euolutio alias forſan nimis tarde progreſſura, excitari et adiuuari queat; cuius tamen vices contagium ſuppleat, non facile tamquam periculi plenum metuendum, dum modo illud ſine panico terrore expectare velint parentes ut plurimum tremuli. *Et ſuſpicor*, in- p. 52. quit Auctor, *eandem fuiſſe maiorum noſtrorum mentem, quando emtionis variolarum conſuetudinem introduxere.*

X.

Commentarii academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae. Petropoli typis academiae 1751. 4. mai. Tom. XIII. ad annum 1741. ad 1743. alph. 2. pl. 15. tab. aen. 14. Tom. XIV. ad annum 1744. ad 1746. alph. 2. pl. 3. tab. aen. 7.

Cum hactenus commentarios petropolitanae academiae, quatenus noſtrum inſtitutum concernunt, indicauerimus: et ultimos binos tomos circa finem praecedentis

cedentis anni demum nobis traditos lectoribus noſtris proponimus, licet fatendum ſit cum voluminum decremento etiam rerum expoſitarum copiam et dignitatem imminui.

In Tomo XIII. continentur ſequentia.

p. 340. 1) Cl. KRAFTIVS *meteorologicas obſeruationes anni 1740.* exhibet. Maxima altitudo barometri fuit 30, 28, maii die 20, ſerenitate perfecta aliquot dierum, ſpirante zephyro mediocri variabili. Eſt vero maxima haec altitudo minor illa 30, 95, anni 1737. quae adhuc maxima manet. Minima altitudo exſtitit 28, 65, decembris 11, cum boreazephyrus fortis turbulenter niues per aera ferret, et nubes continuae aliquot dierum exiſterent, cum frigore mediocri. Sed minor adhuc eſt altitudo minima 28, 18. aliis annis obſeruata, ut maneat ſpatium variationis barometricae olim ſtabilitum 2, 77. Menſtruae variationes in primis et ultimis anni menſibus maiores fuerunt, minores in ſex mediis. Sequuntur aurorae boreales obſeruatae decem. Maximum frigus ſentierunt aedes priuatae, die 24. decembris, obſeruatorium in aere magis eleuato et libero die 25. ianuarii. Plerisque diebus frigore intenſiore inſignibus nebulae modo denſiores, modo paullulum tenuiores obſeruatae ſunt, quod phaenomenon et alii notauerunt. Deinde tonitruum obſeruationes ſubiungit, et aquae coelo cadentis, atque inſtrumentum exhibet calori in fundo maris metiendo aptum, denique terram prope Petropolim usque ad profunditatem 12. poll. glacie conſtrictam fuiſſe narrat.

p. 349. 2) WEITBRECHT *pupillae contractionem et dilatationem* explicat. Fibras in planitie iridis a limbo pupillae usque ad locum, in quo proceſſus ciliares terminantur, decurrere non negat, ſed, quod carnoſae et muſculares ſint, oſtenſum nondum eſſe monet, cum RVYSCHIVS et HOVIVS illas maximam partem

vaſa

vaſa eſſe oſtenderint, DVVERNOI vero in deſcriptione oculi ceti, academiae praelecta, euicerit, ſuppoſitam illam ſubſtantiam muſculoſam vel carneam ex organorum exſiſtentium numero eliminari debere. Donec igitur oſtenſum fuerit, vel adeſſe fibras carneas, vel motum produci poſſe etiam a fibris non carneis, rem ita adgreditur. Iridem ponit eſſe membranam ſubtiliſſimam, ex tunicis duabus, fibras longitudinales et circulares varii coloris ſinu ſuo comprehendentibus conſtantem, opacam, planum circuli repraeſentantem, intra cauum oculi per ſolam peripheriam ſuam partibus adiacentibus adligatam, reliqua autem ſui parte humori aqueo liberrime innatantem, cui inſit foramen circulare concentricum, pupilla dictum. Si igitur intra aqueum humorem fluctuans iris ad corneam propius accedit, ampliatur pupillae diameter. Cum enim hoc modo interior circulus iridis, pupillae vacuum circumſcribens, ad corneam accedat, exteriore, qui ſcleroticae cohaeret, fixo, irisque in figuram coni truncati ex plana abeat, fibras iridis longitudinales, quae ante in ſitu plano, radios verſus centrum circuli vergentes conſtituebant, iam latera coni fiunt, extendens vis adeſt nulla, circulares vero pupillam includentes, utpote debiliores, in omnes plagas trahuntur, ampliusque hoc foramen efficiunt. Oſtendit deinde, ſi latitudo annuli iridis undulantis ſtatuatur cum PETITO 2. lin. maxima a ſitu plano diſtantia 1. lin. et pupillae in ſitu plano diameter 1. lin. eſſe hanc diametrum ad diametrum pupillae maxime ampliatae in ratione 1 : $1\frac{1}{2}$. areas autem in ratione 1 : $2\frac{3}{4}$. Habet haec iridis fluctuatio hoc quoque commodi, ut admota propius pauliſper obiecto pupilla, aliquantulum plures radios accipiat. Deinde recedentem a cornea verſus cryſtallinam lentem pupillam, per humorem aqueum, ſpectatori oculum intuenti maiorem apparere, experimento et ex refractionis theoria probat, hoc vero theoriae ſuae

nihil officere oſtendit. Ceſſante iam cauſa, quae iridem protruſit, dilatatio ceſſat, fibris circularibus elatere ſuo ſe reſtituentibus, componitque ſe iris in naturalem ſibi anguſtiam. Res igitur in Auctoris hypotheſi eo redit, ut, unde oriatur protruſio iridis, lumine in oculum illabente minuto, diſquiratur, quod fatetur explicare ſe non poſſe, ſed diſſentientibus reſpondet, in omni hypotheſi difficultates tales occurrere: Nam ſi variatio pupillae a muſcularibus fibris oritur, regentur certe muſculares hae fibrae a cerebro, quod, quomodo a copia luminis diuerſa aliter adficiatur, non patet: Nam prouidentiae mentis hoc adſcribere, ſcindere nodum eſt, non ſoluere. Modum tamen reddendi aliquam rationem tentat. Ponatur, radios copioſiores vel rarefacere humorem vitreum, vel in poſteriore ſede bulbi comprimi, et verſus anteriora cum lente cryſtallina protrudi: Utroque in caſu orietur iridis protruſio, ceſſatura, cum, decreſcente lucis copia, omnia in priorem ſtatum redeunt.

p. 361. 3) *De glandulis renalibus* EVSTACHII. Auctore I. G. DV VERNOI. Qui alio iam loco *, in glandularum, quae ſuprarenales vocantur, naturam et fabricam inquiſiuerat, Cl. DV VERNOI, denuo ſe eorum, copioſis inſtitutis hanc ob rem diſquiſitionibus, inueſtigaſſe indolem fatetur, et quae in aliorum iconibus, de hac particula corporis noſtri, deſcriptionibusque adnotauerit, breuiter indicat, et quam in eorum explicationibus adhibere voluerit induſtriam, exponit. Praeter enim eas, quae dimenſionem, ſitum, connexionem, formamque ſpectant, conditiones, circulum vaſorum tenuiſſimorum, in ſubſtantia renum adipoſa radiatim diſperſorum, hunc cum ſuccenturiato rene connectentium, et per diſtincta foraminula in renum ſubſtantiam ingredientium, nec non lymphae ductuum, neruorum, gangliorumque figuras proponere,

* Acta Petropolit. Tom. V. p. 187.

nere, ſimulque venarum, in renibus hisce poris perſpicuis perforatarum, diſtributiones ſiſtere ipſi animus fuit, ni variis, quae accidiſſe dolemus, detentus fuiſſet impedimentis. Deſcribit itaque tantum interiorem glandularum ſuprarenalium cauitatem, quam maiori purpuraſcente et aliis minoribus membranulis intus, tanquam in plures ſtationes, diuiſam et interſeptam eſſe monſtrat; quas exterior lamina et protuberans ſuperficies declarat, ſtylique per ambitum immiſſi liberius undiquaque iter cohibitum confirmat, tandemque ſingulare momentum, et, ut nobis videtur, nouum proponit, minorum ſcilicet corpuſculorum, in poſteriori plerumque, rariſſime in anteriori facie glandularum ſuprarenalium poſitorum, exploratio-
nem, quae tamen, quod granorum piperis magnitu- p. 367.
dinem nunquam ſuperant, praeter viſa ab aliis eſſe videntur. Figura quidem, conſiſtentia et colore cum notis iam iam glandulis ſuprarenalibus non conueniunt, ut nomen inde vix mereantur, interior tamen admodum ſimilis deprehenſa eſt conformatio. Sedem a parte poſtica renis ſuccenturiati potiſſimum occupant, mox ſuperiori mox medio, mox inferiori adfixa limbo, in contextu celluloſo conſtituuntur, ſemel accreta et agglutinata reni ſuccenturiato deprehenſa ſunt. Haec itaque Cl. Auctori et nobis quoque penſitantibus, glandularum lymphaticarum, quas vago diſperſas in abdomine modo eſſe nemo nescit, numero illas inſerere perſuadere facile potuiſſent, niſi interior obſtitiſſet fabrica, quae ab exteriori pellucida membrana intus deductum oſtendit parietem, peculiarem, ex ſubſtantia pulpoſa atro purpurea conflatum, et cauitatem, pro diuerſa horum corpuſculorum forma ſua etiam figura diſcrepantem. Ut hanc ob rationem duplicis annotandae ſint generis glandulae ſuprarenales, aliae Euſtachianae illae et maiores, aliae nunc dictae minores, quas in permultis et inueniſſe ſeſe et demonſtraſſe aliis ex cadaueribus ultimo comprobat Cl.

Auctor loco. Numerus tamen minorum, in utroque latere obuiarum, harum glandularum, maiorum raro aequat, saepius excedit, ita quidem, ut et aliquando in uno latere tres minores comparuerit accubuisse maiori.

p. 374. 4) Cl. KRAFTIVS *meteorologicas obseruationes anni 1741.* exhibet. Barometri altitudines adhuc olim statutis limitibus continentur. Aurorae boreales visae sunt ipsi numero 27. Declinationem acus magneticae die 13. aprilis grad. 3. min. 56. sec. 1. versus occasum obseruauit.

p. 382. 5) Cl. GELLERTVS *mixtorum ex metallis et semimetallis densitatem* examinauit comparauitque cum ea, quam habere deberent, si volumen mixti aequaretur summae ex voluminibus materiarum, quae commiscentur. Experimenta sunt numero 21; sed ea apud GELLERTVM ipsum legere oportet illos, qui nouae huius et utilis inuestigationis curiosi sunt. Nuper eo spectantem Cl. HAHN dissertationem uberius recensuimus *. Hic pauca ex GELLERTO delibabimus. Densiores, quam ex principio exposito esse deberent, factae sunt mixturae auri cum zinco et cum bismutho; argenti cum iisdem semimetallis, item cum antimonii regulo; plumbi cum bismutho; rariores zinci et reguli antimonii, stanni et zinci, stanni et reguli antimonii. Nihil fere mutata est densitas mixturae ex cupro et bismutho, commiscere noluerunt zincum et bismuthum. Causam phaenomeni generatim reddit ex structura vi ignis mutata, ex quantitate, attractione, repulsione partium. Adiicit et experimentis confirmat, minorem magnetem plus agere in mixta ferri cum metallis et semimetallis magnete maiore, qui puri ferri duplo maiorem quantitatem altero attrahit.

De

* Comment. n. Vol. I. P. IV. p. 648.

6) *De lapatho orientali frutice humili flore pulchro,* p.400. Auctore IO. AMMANO. Characterem huius plantae et partium exhibet deſcriptionem Cl. Auctor, ſimulque in adiecta tabula 13. ramum florentem et florem ſemenque, ſeparatim delineatos ſiſtit. Perennis planta eſt, hyemis iniurias, leuiter tecta, facile ferens, ad cubiti et quod excedit altitudinem excreſcit, ramis lignoſis ſed tenuibus inſtructa. Cortex eorum ſubalbicans eſt, folia hyeme deponit, noua vere ineunte protrudit, anguſta, acuta, rigida, marginibus paullum reflexis. Flores in ramis foliorumque alis ſpicatim prodeuntes, apetali ſunt, ex calice et quinque foliolis inaequalis magnitudinis confecti. Exteriora enim duo ſunt, interiorum tria illis maiora ampliora-que ab initio albicant, maturo fructu roſeum habent colorem, immo interiora cum augmento fructus ipſa etiam augentur, exterioribus perſiſtentibus immutatis. Stamina inſunt octo, gracilia, antheris paruis, ſubrotundis inſtructa, ſtylus unicus, tribus ſtigmatibus coronatus. Semen unicum eſt, acetoſae ſimillimum. Ad atraphaxim eandem retulit Cl. LINNAEVS, repugnat autem ſtaminum ſtylorumque numerus, cum ex claſſe hexandriarum digyniarum illa ſit.

7) *De Gandiſapora Perſarum quondam academia me-* p. 437. *dica obſeruatio hiſtorica* a, celebri poſt fata adhuc, IO. HENRICO SCHVLZIO transmiſſa. Haud parum lucis atque emolumenti ex orientalium ſcriptorum lectione, hiſtoriae tribui poſſe, praefaminis loco monet Cl. Auctor, et de medica hac noſtra Perſarum academia dicturus, in urbis Gandiſapor originem, primo omnium inquirit, ex GREGORII ABVLPHARAGII, celebris, per medium ſeculi decimi tertii per orientem florentis medici, hiſtoria compendioſa dynaſtiarum, repetitione digna ſequentia verba proferens: *Aurelianus Caeſar, ſex annos imperauit. Pacem iniit* p.440. *cum Sapore Perſarum rege, eique filiam ſuam nuptum dedit;*

dedit; cui exſtruxit Sapores, in Perſide, urbem Byzantio ſimilem, quam Giondiſabur appellauit. Miſit autem Aurelianus, qui inſeruirent filiae ſuae, medicos quosdam graecos, atque illi medicinam Hippocraticam in oriente docuerunt. Hunc itaque egregium locum ulterius pertractat Cl. Auctor, ita, ut primo fidem illius confirmet. Licet enim recentior tantum ſit ſcriptor ABVLPHARAGIVS, FLAVIVS vero VOPISCVS, qui vitam AVRELIANI conſcripſit, nihil de hoc argumento moneat, neglecta tamen, a nobis, ſcriptorum orientalium antiquorum lectio, et comprobata VOPISCI in conſignandis rebus ſocordia, motas has dubitationes refellit. Deinde, quod TILLEMONTIVS urget argumentum, romanos nimirum, exteris filias ſuas elocare non ſolitos eſſe, aliis, quae contrarium probant, adductis exemplis infringitur. Nec p. 443. obſtat alter ille ABULPHARAGII, de urbe, VALERIANI in vinculis Perſarum detenti, temporibus condita, et medicis graecis una cum eo aduenientibus, in medium adductus locus. Praeter id enim, quod haud exigua obſeruetur temporum conuenientia, ipſe etiam ABVLPHARAGIVS, dynaſtiarum hiſtoriam, ex qua prior, quem ſupra appoſuimus, locus deſumtus eſt, ſenex ipſe in arabicum idioma transferens, dictam in eo de urp. 444. bis ortu ſententiam, pro vera iterum agnouit. Incidit vero illud tempus inter annos poſt Chriſtum natum 257. et 260. Sapore II. regnante, qui, ex temporum computatione, eam in prouincia choreſtana exſtruxit, prorſus a Nisapora, quod contra FREINDIVM * notatur, diuerſam. Ab iſto illo tempore graecanica medicina ibidem floruit. Chriſtianorum poſt ea numero in Perſia increſcente, ſacra, quam illi in urbe eiusdem prouinciae, Lapetha, habebant, ſchola, Gandiſaporam, una cum Elamitarum ſede metropolitana translata, et cum medico dicto collegio

* Conf. eiusd. hiſtoria medicin. P. II. p. 473. edit. opp. Londin. 1733. fol.

gio combinata fuit, id quod poſt ſeculi ſeptimi medium contigiſſe, cum ASSEMANNO ſtatuit noſter. Graecos interim in Perſia habitantes, iam ante ſupra indicatam medicorum graecorum miſſionem, viros habuiſſe graecanicae medicinae peritos, et illos Gandiſaporam dein aduenientes, eandem amplificaſſe, et magni inſimul a Perſis habitos fuiſſe, ex variis cauſis improbabile non eſſe videtur. In iſta urbe noſocomium fuiſſe, teſtantur auctores, illud tamen chriſtianos demum huc deuenientes exſtruxiſſe, ex eo comprobat noſter, quod xenodochia et ptochotrophea a graecis aut romanis, Chriſto nondum addictis, inſtituta, nullibi, re etiam ſtudioſiſſime disquiſita, inuenerit; ſchola iſta ad finem ſeculi ſexti iam floruit. Ex iis vero, qui illi noſocomio praefuerunt, GEORGIVM, BACHTISCHVAE filium, ſeculo octauo florentem, SABVREM, SAHELI filium, chriſtianum, A. C. 868. mortuum, et inter alios libros, unum de medicamentis compoſitis relinquentem nominat noſter; idem illud A. C. 1318. adhuc perduraſſe, ex canone concilii, tunc temporis habiti, coniicitur, qui tironibus, ad noſocomium admitti cupientibus, regulas praeſcribit. Medicae huius ſcholae principem, noſocomio inſimul praefectum, reliquos vero medicos ipſi ſubordinatos fuiſſe, metropolitam denique omnes res, ad ſcholam pertinentes, adminiſtraſſe et direxiſſe oſtenditur. In ea iuuenes, non niſi ſacris literis et liberalibus artibus imbuti, ad artem ſalutarem admittebantur. Nemini praeter ea, niſi chriſtianis, et eidem dogmati addictis, aditus ad hanc ſcholam patuit, quamuis paganos etiam pueros, non nunquam in ſcholis eius modi edoctos fuiſſe, opinari liceat. Denique praeter theologiae et medicinae cultores, ſcribas etiam, ſeu, uti noſter exiſtimat, legum ſtudioſos, aut, ſi mauis, librorum interpretes in ſchola iſta enutritos edoctosque fuiſſe, eos vero omnes in metropolita atque ipſo etiam catholico neſtorianorum ſeu ſummo eorum patriarcha eligendo,

p. 449.

p. 451.

p. 455.

gendo, ſuffragia contuliſſe, immo medicos in ea educatos et artem olim exercentes, ad epiſcopi aut metropolitae munus ipſum adhibitos fuiſſe, confirmatur, minori interim pretio medicina in aliis eius modi orientalibus neſtorianorum ſcholis tunc habebatur, ita, ut artis ſtudium aeque ac exercitium alumnis ſuis interdicerent harum ſcholarum praefecti.

In Tomo XIV. continentur ſequentia.

p. 199. 1) *Animaduerſiones variae in erinaceorum terreſtrium anatomen: quarum non nullae nunc ad ſtructuram veſicularem viſcerum, non nullae ad neuorum renum ſuccenturiatorum illuſtrationem pertinent*, proponit DVVERNOI. Interna viſcerum ſtructura varia a diuerſis deſcripta ratione habetur auctoribus, eorum autem ſententiam ex anatome comparatiua, quam vocant, confirmari poſſe, credidit Cl. Auctor; expoſitis nunc iis, quae in erinaceis apparuere, ſtructurae manifeſtis indiciis. In lactantis itaque erinacei uberibus, detracta cute, interius exteriusque innumeram veſicularum conſpexit copiam, ſimulque non plures, ſed unicam tantum his animalibus longam admodum et extenſam datam fuiſſe mammillam deprehendit. Incipit enim ad iugulum, per totum continuatur abdomen, ab utroque etiam latere ſic cohaeret, ut diſtinctionis ſignum ſuperſit nullum, a latere vero adnexae obſeruantur papillae, utrinque quatuor. Veſiculae hae, ubera efficientes, omnes ſibi ſunt ſimiles, membranis vaſculisque inter ſe iunctae, pinguedine interpoſita fere deſtitutae. Quae tamen conditio cum aliorum de iis facta deſcriptione quod non conuenit, ſuſpicionem mouit Cl. Auctori, in aliis forte regionibus utique pinguiores deprehendi. Praeter haec ex veſiculis paruis componuntur capſulae ſeminales, de quibus male iudicaſſe COITERVM Noſter notat; hae namque ab ima pelui ad renes adſcendunt, media pellucida

lucida membrana diſpartitae et coniunctae. Exterior earum ſubſtantia ex membrana tenui, pellucida, conficitur, qua ablata plures ſacculi orbiculares ſeu verae veſiculae cylindricae craſſiores reliquis in conſpectum producuntur. Singularem attentionem autem merentur tres ex inferiori loco in utroque latere procedentes ductus, qui non in urethram, ſed in peculiarem, ad collum veſicae poſitam, cauitatem, transuerſo foramine in urethram hiantem, aperiebantur, in quo ipſo loco et proſtatae ductus duo et glandulae cuiusdam, ad latus inteſtini recti locatae, orificia terminabantur ita, ut aperto veſicae collo tria foraminum paria conſpicerentur. Thymus etiam glandula veſicularem offerebat fabricam, cuius autem, ut priorum, interna ſtructura ob ſubtilitatem disquiri non poterat. Altera deſcriptionis huius pars, quae in contemplandis verſatur renibus ſuccenturiatis, nec hos erinaceis denegatos fuiſſe docet. Hordei grani magnitudinem habent, ſupremae annexi renis parti, de nouis autem diſquirendis ſollicitus Cl. Auctor, nempe de iis minoribus, ſupra a nobis memoratis, glandulis ſuprarenalibus, omnem earum detegendarum ſpem abiecit primo, tandem demum aliquam in iuniori reperiens ſubiecto, quae papaueris ſemen magnitudine aequabat, conſiſtentia autem, colore et cauitate interna, maioribus reſpondiſſe adfirmatur.

2) *De pituita glutinoſa laryngis.* Auctore IOS. WEITBRECHT. Pituitae varii fontes in faucibus ſunt, quorum liquida ſecreta ab illa, quam Auctor noſter deſcribit, laryngis pituita ſedulo decet diſtinguere. Eſt autem illa ſumme tenax et glutinoſa, cum ſaliua ſi excernitur, glomeruli inſtar eidem adhaeret, ab aere indureſcit, colore variat, plerumque alba eſt, glauca aliquando vel flaueſcens, opaca tamen, ſubinde ſtriis nigricantibus tincta. Collecta eius quantitas per annum etiam non computruit, ſuperior modo ſuperficies p. 207.

cies in denſam cruſtam abiit, reliqua maſſa contracta, craſſa, mucoſaque euaſit, interſperſis albis, duris, friabilibusque granulis. Ignis huic ſal volatile paucum et acerrimum oleum ineſſe docuit, alia eius pars, affuſa aqua putreſcens, in mucum reſoluta eſt, et exſiccata in ſquamulas abiit fuscas, puluerulentas. Ex quibus deinde ulterior a cognitis faucium liquoribus differentia ſtabilitur. Indaganda vero eſt vera eius ſedes. Hanc tracheam ſuppeditare nobis perſuadet vis, quam, aucta exſpirationis velocitate, adhibere pro eliminanda illa cogimur, tempore porro matutino collecta eius quantitas, moleſto ſenſu exſcreationem excitans, cum difficultate coniunctam, granulatam reliquis intermiſta liquoribus, maſſam et filamentoſam ſiſtens, ex quo de ſingulari, quod eius praeparationi deſtinatum ſit, organo formari debet iudicium. Cum vero aliquot pituitam conficientes fontes ſint in larynge, glandulae nimirum epiglottidis, ipſius aſperae arteriae, et arytenoideae, de omnibus diſpicit Cl. WEITBRECHT, priores reiiciendo, quippe quae remotiores ſint, alium etiam humorem contineant, poſteriores, arytenoideas ſcilicet pro vero adſumens illam ſuppeditante organo. Obſeruauit quidem, in poſtica laryngis facie, ubi pharynx laryngem inueſtit, mucoſas glandulas, huic tamen ſcopo minime ſufficientes.
p. 214. Fauet namque et pituitae et glandularum arytenoidearum ſitus, et natura ipſius humoris, qui in aliis cartilagineis locis excretus, ab aere quoque condenſatur. Ultimo tandem loco conſectaria phyſiologica et pathologica adnectit. Minus putredini hanc pituitam obnoxiam eſſe decebat, quod per reſpirationem accedentia intricare et a pulmonibus auertere poſſit corpuſcula. Excernenda tamen eſt, ne ſtagnans illa tandem corrumpatur, licet copioſior eius ſecretio morbum indicet, et phthiſeos ſpeciem ſiſtere poſſit, in primis ſi oſſefactae laryngis cartilagines, nutritionem largiorem non requirentes, copioſius humores ad has glandulas

dulas affluere faciant. Varia interim ſymptomata excitare illa poteſt, immo critice in morbis per eam expelli morborum materies, aut phthiſeos cauſa exiſtere.

3) *Varia de calore et frigore experimenta* Cl. KRAFTIVS recenſet. Magnis glaciei fruſtis, quae ex Neua exſcinduntur, uſus eſt ad glaciei refractionem definiendam, reperitque, luce ex aere in glaciem incidente, ſinum anguli inclinationis ad ſinum anguli refracti in ratione 1000: 713. ingenioſa methodo, ſed quam hic exponere non licet. Aquae denſitatem ad denſitatem glaciei puriſſimae ponit in ratione 1000: 916. niuis autem volumen ad aquae inde ortae volumen reperit, ut 1000: 634. in niue compreſſo, ut 1000: 363. in non compreſſo. Sed cum hoc ipſum diſcrimen tantum ſit, aliorumque experimenta inſigniter diſcrepent, nihil certi de niuis denſitate ſtatui poſſe exiſtimat. Deinde, quae de glaciei, dum formatur, expanſione, de ſubitanea aquae conglaciatione, ruptura vaſorum ab aqua intra illa in glaciem abeunte, calore mixti, ex caloribus eorum, quae miſcentur, definiendo, expertus eſt, recenſet. Exigua valde glaciem elaſticitate donari, colliſis globulis ex glacie factis expertus eſt. Aqua ſalſa, cocta, cereuiſia, vinum et ſimilia, quo modo conglacientur, examinauit, item fluidorum variorum ebullientium calorem; denique a glacie, mediante ſpeculo cauo, ad thermometrum frigus nullum repercuti expertus eſt. p. 218.

4. et 5) Poſt haec meteorologicas obſeruationes anni 1742. et 1743. recenſet, quibus nihil ineſt, quod hic adducendum cenſeamus. p. 240. p. 247.

6) *De denſitate metallorum ſecum permixtorum* agit KRAFTIVS, opera ſimili ei, quam in ſemimetallis GELLERTVS poſuerat. Et denſiores quidem fiunt mixturae auri cum plumbo; argenti cum auro, plum- p. 252.

bo, cupro, ſtanno, ſtanni cum cupro; rariores auri cum cupro, ferro, ſtanno, plumbi cum cupro, ſtanno; explicari poteſt denſitas aucta, KRAFTIO docente, vel ex ponderis diminutione, vel ex ingreſſu metalli unius in alterum, aut, utraque hypotheſi coniuncta, ſuppletis fictione quibusdam, quae non incredibilia ſint, et explicationem abſoluant.

p. 273. 7) RICHMANNVS *inſtrumentum* deſcribit, *quo quantitas aquae, calore atmoſphaerae naturali, ex ſuperficie aquae certa in aerem eleuatae, commode menſuratur.* Vas eſt, cui inſeritur canalis apertus quadrangularis, cuius ſuperficies ſuperior eſt magnitudinis datae, puta 25. digitorum quadratorum, id, aperto canali, aeri libero exponitur, aqua infuſa. Ea vero vaſis eſt magnitudo, ut plus aquae contineat, quam menſe unico euaporet, neque a quantitate pluuiae, uno menſe cadentis, repleatur. Ita exacto menſe, ſi quantitas aquae reſiduae cum primitiua comparetur, habeaturque etiam ratio pluuiae, quae inter ea per canalem in vas incidit, cuiusque quantitas hyetometri ope cognoſci poteſt; quantum aquae in vapores abierit, facile computatur.

p. 276. 8) *De vera ſignificatione proceſſuum mammillarium cerebri*, Auctore IOSIA WEITBRECHT. Si verum eſt, quod anatome comprobat, aliam neruorum olfactoriorum in cerebro brutorum animantium ac hominum eſſe conformationem, utrisque diuerſis partibus unum idemque nomen non competere inde conſequitur. Id, quod, per alia ſcripta celebris WEITBRECHTVS, hac demonſtrare voluit commentatione. Poſtquam igitur cerebri proceſſuum denominationis ex brutorum diſſectionibus originem repeti debere, GALENI auctoritate confirmauerit Cl. Auctor, de mammillaris ſignificationis ortu diſquirit, eamque VESALII demum tempore innotuiſſe probat; eam autem

tem diu retentam fuiſſe opinatur, quod pro illius temporis ratione nefas putaretur, ab antiquorum deſcriptionibus et tantillum recedere, licet discrepantia eorum cum brutorum fabrica in homine ſatis iam perſpiceretur. Multi namque, quorum copioſam adfert Noſter recenſionem, peruios et cauitate interna inſtructos hosce proceſſus eſſe et adfirmarunt et demonſtrare ſe poſſe profeſſi ſunt. Ne in eorum tamen opinionibus recenſendis moremur, nunc tantum mentem Cl. Auctoris exponemus. In brutis verae ſunt hi proceſſus cerebri productiones, a lobis anterioribus ortae, ad os cribriforme protenſae, ex medullari et corticali ſubſtantia compoſitae, intus cauae, cum ventriculis lateralibus communicantes, ad nares coecae, ex cerebro emergentes, pia matre reuinctae. Aliter illae in auerſa cerebri parte adparent, ubi baſis eorum in corpus pyramidale abit, quod anterius in obtuſum deſinit apicem, et in cauitatem oſſis ethmoidis recipitur. Errant autem, qui etiam in his animalibus pro organo olfactus hos proceſſus habent, quippe cum in media corporum dictorum pyramidalium parte neruus lateat olfactorius, ſub faſciolae medullaris planae et compreſſae forma, quae ex ſtriatis corporibus exoriatur, et in proceſſuum partem, qua a lobis cerebri recedunt, immittatur et recondatur. Quam ab aliis nondum rite notatam efformationem adiecta tab. 4. illuſtrat. Eius modi tamen productiones homini datae non ſunt, anteriores quidem cerebri lobi ſuper orbitis protuberant, ſed dura veſtiuntur meninge, nec in ethmoides immittuntur os, ſed illi incumbunt, nec ex cerebro excreſcunt, continuationis inſtar. Veri nerui olfactorii potius aliorum neruorum modo, medullares, albi, ſed planiores, ut ab aliis iam dictum eſt, ex cerebro proueniunt. De his autem notat Noſter, contradicentibus licet WILLISIO, BLANCARDO, WINSLOVIO, VESLINGIO, BARTHOLINO, VIEVSSENIO, poſt exortum toto itinere eandem ſer- p. 280.

uare latitudinem, ad latera demum criſtae galli ſi deuenerint, in extremitatem turgidulam et bulboſam, tab. 6. fig. 3. delineatam, terminari, quam partem, cum limitatione tamen proceſſum mammillarem dicere poſſemus; deinde hos neruos ex cinerea et medullari ſubſtantia mixtos deprehendi, protuberantiam vero detegi in recentiſſimis ſolum ſubiectis, cum leuiſſima putredinis ſpecies ipſi mutationem inferat. Utilitas tandem horum proceſſuum in brutis et conformationis in homine ea eſt, ut tuto molliſſimi nerui ad deſtinata deuenire poſſint loca, qui ob oſſium conformationem aliam in brutis, aliam quoque cerebri ſubſtantiae diſpoſitionem requirebant.

p. 286. 9) *De tincturis metallorum* Cl. LOMONOSOW diſſerit. Metalla fulgida et ductilia corpora dicit, ex quibus ignobiliora ſunt, quae actione ignis in cineres et vitrum mutantur fulgore et ductilitate amiſſa, nobiliora vero, quae ut aurum et argentum ignis vi diu reſiſtunt. Id, quod in calcinatione et vitrificatione deducitur, volatile eſt, et, cum metalla fulgido quaſi colore tingat, tincturae metallorum nomine inſigni poteſt. Primo itaque in cenſum venit inflammabile ſiue phlogiſton, quod in calcinatione expellitur, et in reductione ad formam metallicam iterum additur. Licet enim
p. 290. hoc in ignobilioribus metallis tantum pateat, tamen et in auro ipſo idem cognoſci poſſe monet, quoniam regulus antimonii martialis vel venereus, qui phlogiſto ferri et cupri per fuſionem inpraegnatus eſt, pulchriorem auro colorem conciliat. Obſeruamus etiam magnam ſulphuris copiam et in calidiſſimis et frigidiſſimis terrarum prouinciis deprehendi, quae et nunc praeſtandae, quam Auctor aſſumit, metallorum ge-
p. 293. nerationi inſeruit. Id quod de ſulphure variis argumentis et obſeruationibus comprobauit, nunc porro et de acido minerali et de arſenicali principio aſſerit, quae cum phlogiſto tincturam ſic dictam ſeu plus minus

nusque splendidum metallorum colorem efficiunt. Si meditationes has variis experimentis stabiliuisset Cl. Auctor, tunc forte maiori cum probabilitatis specie adserere potuisset, artificum industriam naturam in transmutandis metallis adiuuare posse, si scilicet quis concentratissimum et ab heterogeneis solertissime defoecatum phlogiston ad metalla ignobiliora applicare et ita, tinctura impuriori expulsa, nobiliorem ingerere sciret. Quilibet vero, qui concentratissimum phlogiston, eiusque applicationem ad alia corpora chemice disquisiuit, quam vana sit spes huius metallorum tincturae, facile perspiciet. p. 298.

10) *De electricitate in corporibus producenda noua tentamina* exhibet RICHMANNVS. Machina electrica utitur Hauksbeiana, qua HAVSENIVS noster primo Lipsiae ad haec experimenta usus est. Addidit ei praecipue indicem ligneum, per arcum circularem, in gradus diuisum, mobilem, ex cuius mutato situ quantitas vis electricae diiudicari utcumque possit, etsi non proprie mensurari. Ceterum experimenta plurima electrica recenset, quorum pleraque iam satis nota exsistunt. p. 299.

XI.

Dissertatio de irritabilitate, Auctore IO. GEORGE ZIMMERMANN. Göttingae, 1751. 4. pl. 10½.

Dum omnium, qui hanc materiam, nostris temporibus, peculiari quodam commentario illustrarunt Auctorum sententias, in praesenti breuiter strictimque, in hac et subsequentibus laborum nostrorum partibus referre, inutile minus ac iniucundum lectoribus nostris futurum esse iudicemus, ad hanc etiam, ut primam ex illis, quae in nostra tempora cadunt et lectu dignam, licet quodam modo antiquiorem dissertationem,

tationem, nobis reſpiciendum erat. Dixit vero iam ante Cl. AB HALLER variis in locis * de peculiari hac, et nouiter ab eo nunc demum declarata, ſolidarum partium corporis animalis conditione, cuius veſtigia Cl. Auctorem, eius auditorem, in diſſertatione nunc premere, intelligimus. Quamuis vero numeroſam illam experimentorum ſeriem, quam ille proponit, hic repetere nequeamus, quaedam tamen, et ea primaria, quae inde ſequuntur, conſectaria, cum
p. 1. lectoribus noſtris communicare licebit. Partes animalium, dum inſitam habent eam proprietatem, ob quam, irritatae, aut a ſtimulo quocunque laceſſitae, ſe contrahunt, irritabilitate donatae ſunt. Animalis, ſeu inſitus hicce partium elater, qui ſpecialiori ſenſu irritabilitas vocatur, a ſimplici illo earum, a mechanicis legibus pendente, clatere inſigniter diſcrepat; et, ex ſpecialiori animalium phyſica explicandus, eas cauſas efficientes arguit, quae in vulgari virium motuumque theoria locum non inueniunt, praeter ea, cum ſenſibilitate partium, etiam ex eo conuenit, quoniam irritabilitas earum, pro ratione copiae neruorum, eas adeuntium, diſcrepat, ita, ut ſenſibilitatis et irritabilitatis nomina, non absque ratione, promiſcue uſurpari queant. Per partes eundo Cl. Auctor, quaenam earum hac proprietate donatae ſint, et quo modo illa in

* Conf. v. c. eiusd. prim. lin. phyſiol. Göttingae 1751. 8. editae, §. 96. 114. 169. 190. 340. 408. qui princeps locus 553. 715. et, de interna cordis ſuperficie prae externa magis irritabili, in comment. Soc. Reg. Götting. Tom. I. 1752. 4. p. 266. Duplici praeter ea vice, virum illuſtrem, de utili hocce et varias corporis noſtri functiones haud parum explicante, argumento, in regia, cui prae eſt, ſcientiarum ſocietate, anno praeterito diſſeruiſſe, ex nouis literariis illius anni p. 437. ſeqq. et 509. ſeqq. intelleximus, ipſas vero has diſſertationes, ſecundo commentariorum huius ſocietatis volumini inſertas, proxime expectamus.

in variis partibus discrepet, per experimenta disquirit. Cellulosus contextus omnis, membranae in uniuersum, ea destituuntur; licet namque adeps, in primis dum adhuc calet, ab oleo vitrioli contrahatur, haec tamen eius irritabilitas, efferuescentiae quaedam species esse videtur, ab oleo vitrioli in pinguedine excitata. Dura itidem cerebri mater et periosteum, irritabilia non sunt; de priori, experimenta contra BAGLIVII assecias loquuntur, quamuis Cl. LVPS, in edita, de irritabilitate, dissertatione Lugd. Bat. 1748. eam in solidis positam esse asserat, quatenus illa a dura matre originem sumunt, periostea vero, aeque ac reliquae membranae, si modo neruos non habeant, insensiles sunt, secus ac pericranium, quod, neruis refertum, dolet, et, ita ut cutis irritatum, contrahitur, neque iris scalpello, aut vitrioli oleo tacta, per experimenta Ill. HALLERI mouetur, quamuis lucis radii eandem facillime mutent; nec tendines aeque ac aponeuroticas, quae illorum propagines sunt, expansiones, sensiles esse, contra omnem medicorum receptam sententiam, experimentorum fide, docetur, gangraenam vero, post tendinis punctura, obortam, effuso, et cum pinguedine remixto cito putrescenti sanguini, in laesis vero aliis tendinosis partibus, neruis in vicinia positis, insimul laesis, adscribendam esse notatur. Pulmones, porro hepar, lien et renes, eam non produnt, quamuis priores, aeque ac renum exterior superficies, eam contractionem oleo vitrioli tentatae, habuerint, quae cellulosae omni telae et adipi inest. GLISSONIO iam nota, fibrae muscularis irritabilitas, a spontanea illa et elastica earum, post mortem quoque ad tempus superstite, oscillatione et contractione, probe debet discerni, non tamen ea est, nec eadem in singulis musculis, ut inde, motus muscularis causa, desumi possit, quamuis in polypo ac pulice, ut cerebro et neruis destitutis animalibus, motum, et eum quidem sat validum conspiciamus. Arteriae,

p. 2.

p. 12.

p. 16.

p. 18.

p. 23.

teriae, praeter elaſticam ſuam virtutem, et praeter illam, quae ipſis a corde et neruis eſt, vim, ex inſita etiam atque vitali, in fibris earum ſubrubellis muſcularibus haerente contractilitate, ad motum ſanguinis, quicquam conferunt, licet illa a prioribus cauſis adiuuetur. Venae itidem irritabiles ſunt, docent id experimenta, in caua potiſſimum, renalibus atque iliacis capta, et muſcularium fibrarum, in venis etiam ſaltim in truncis conſpicienda praeſentia. Pulſum venarum ideo nullum eſſe, aliquem tamen periſtalticum, a pulſu gradu tantum diuerſum, motum iis adſcribit Cl. Auctor, ſimiliter ut ductui thoracico, quippe qui, una cum lacteis vaſis, ob dictum hunc motum, non
p. 29. ob frigus, ſeſe euacuat, et oculis ita ſubducit. Cerebri cortex irritatus, indolens eſt, ad baſin vero defixo ſcalpello, conuulſiones uniuerſales ſecutae ſunt, et vita per tempus ſuperſtite, poſt irritationem, motus, clamor itidem a rana editus, ita, ut aliquod, a cerebri integritate non adeo pendens, ſed in partium conſtitutione poſitum motus principium, animalibus ineſſe, ex inſtitutis experimentis ſequatur; ſimiles totius corporis conuulſiones poſt irritatam medullam ſpina-
p. 36. lem obſeruatae ſunt. Ad neruos ſi nunc deueniendum eſt, ex iis, ſumma, in uniuerſum ad motum habilitate praeditis, diaphragmaticum, cruralem, opticum et medianum, tentauit Cl. Auctor, et omnes ſenſiles ad modum eſſe, et irritatos fortiores partibus, ad quae pertinent, motus conuulſiuos et contractiones induxiſſe deprehendit. Irritabilis haecce neruorum natura, inuolucris eorum, a dura piaque matre obortis, adſcribi nequit, ex eo, quod illa ubique non neruos circumdent, externum praeter ea, ex Ill. HALLERI obſeruatione, celluloſa tantum tela ſit: medullaris potius neruorum portio, vera irritabilitatis ſedes eſt, ita, ut ipſa, ex qua illi prodeunt, cerebri medulla; nerui inſuper, quo magis nudi ſunt, eo magis ſenſiles idem eueniunt. Conuulſiones vero, ex irritatione neruo-

neruorum obortae, notabiliores inueniuntur in animalibus, frigidiori ſanguine praeditis, aquatilibus v. c. atque amphibiis, eo diutius inſimul perſiſtunt, quo magis nerui, per muſculum decurrentes, integri ſunt. Ad motum muſculorum quod attinet, ex neruo diaphragmatico compreſſo aut reſecto, et infra locum compreſſum irritato, vehementerque abinde conuulſo diaphragmate, poteſt intelligi, ſublato nexu cum cerebro hinc pereunte iam ſenſu, irritabilitatem tamen perſiſtere. p. 43. Non autem ex irritabilitate nerui, et inde orta tractione poſt neruum conſtrictum, et ſtimulo in muſculo, motus muſculorum explicari debet, ſpiritus potius animales forte, ut occaſionalis motus cauſa, conſiderandi ſunt, et miri iſti effectus, ut a viribus inſitis, neruis muſculisque ſimul ſumtis, pendentes, a ſpiritibus ſolis expectari non debent. Num denique duplicis generis nerui, motorii ſcilicet aliique ad ſenſum, in corpore adſint, ob illud phaenomenon disquirendum venit, quod ſaepius, in paralyſi v. c. motus in parte pereat, ſenſu in eadem adhuc ſuperſtite, animal etiam, ligato neruo, infra ligaturam non ſentiat, parte interim, cui neruus dicatus eſt, ab irritatione commota, ſupra eandem vero laceſſitum doleat. Difficillimam hanc quaeſtionem ita reſoluit Cl. Auctor, ut integritatem ſenſus, non ab ipſa conſtitutione partium neruearum, ſed ab integritate liquidi neruei, libere a cerebro influentis, pendere oſtendat. p. 46. Cyſticus aeque ac choledochus ductus et cyſtis ipſa, cum fibras muſculares nullas, neruos tamen habeant, irritata per chemicam acrimoniam, fortiter contracta, humores etiam reddiderunt: muſcularibus contra aeque ac neruеis filamentis inſtructi, ventriculus, ureteres, veſica atque urethra, omnes valide ſatis ab oleo conſtringebantur, ventriculus prae reliquis, isque eo magis, quo propius a morte eſſet animal. In inteſtinis, irritabilitas, diutius quam in reliquis animalis partibus a morte ſuperſtes, in tenuibus vehemens admodum eſt, p. 48.

ita, ut illa ad duas tertias diametri, dum conſtringuntur, amittant, in craſſis vero, ob minorem neruorum numerum, debilior, in recto tamen conſpicua ſemper, ſurſum deorſumque contenta agens, obſeruatur. Senſilia vero eſſe oportuit tenuia, ex inſita ſua ad motum periſtalticum propenſione, quo inde propulſus chylus, ſanguinis motum continuet, nec ex una quaque, leuiori etiam cauſa, circulus ſtatim pereat. A parte interna vitrioli oleo tacta inteſtini tenuis portio, mira ſui contractione et conuolutione introſuſceptionis naturam et, dum irritata, liquorem inteſtinalem copioſius fundit et intus contenta recrementa agitat, purgantium agendi modum, foecum nimirum per ſtimulum procuratam diluitionem et propulſio-
P. 53. nem omnium optime declarat. Cor denique, ad vitae continuationem adeo neceſſaria machina, ut irritabile primo omnium a phyſicis deprehenſum fuit. Multa iſta, quae ipſe inſtituit Cl. Auctor experimenta, ſequentia in primis eum edocuerunt; ſummam in uniuerſum cordis eſſe ad motum propenſionem, animalia deinde frigidiora, irritabilia magis, et motum diutius retinentia, a natura obtinuiſſe corda. Minorum animalculorum corpora, ut agilia valde, maiore etiam irritabilitate praedita eſſe debent; quadrupedia tandem, quo minora ſunt, eo celeriorem cum habeant pulſum, irritabile magis cor hunc in finem ſibi vindicant. Licet verò in experimentis cum animalibus, obſeruata phaenomena ad hominem cuncta applicari non poſſint, prater fabricae tamen ſimilitudinem, cordis humani, poſt mortem adhuc, exſciſſi etiam, flatu et alia quacunque irritatione procurata palpitatio eam eius ad motum arguit diſpoſitionem, ut motus illius alterni ſyſtolici et diaſtolici, unica et ſola cauſa a ſtimulo, a ſanguine influente nato, et fibris inde irritatis atque contractis, poni non ſolum poſſit, ſed optime etiam ab Ill. DE HALLER declarata ac confirmata inueniatur. Cordis etiam motus et irritabilitas diu-

tius

tius quam reliquarum partium a morte ſupereſt, facileque iterum, iam prorſus quieſcens, excitari, inteſtinis vero prorſus non reſtitui poteſt; licet namque inteſtinorum periſtalticus motus, ultimus omnium ſupereſſe inuentus fuerit, illud tamen, a fotis diutius a calore inteſtinis, dum in thorace prius, abdomine integro, experimenta capiebantur, ab irritatione continua contentorum in inteſtinis haerentium, ab aere denique in adminiſtratione irruente, dependere, abdomen ac thorax ſimul aperta docuerunt auctorem, ita, ut cor pro ultimo moriente, omnino habendum ſit. Valet certe haec regula, ut uniuerſalis, quod irritabilitas pro ratione praeſtantiae et neceſſitatis partis ad vitam, per ſuum motum, ſuſtinendam, aucta ſemper validaque reperiatur, minor contra, vel decreſcens ſemper, in iis obſeruetur, quae magnis motibus non praeſunt. His explicatis, ſequentes abhuc quae- p. 65.
ſtiones mouet atque disquirit Cl. Auctor, quid nimirum irritabilitatem conſtituat, quae cauſa ſit motus cordis a morte ſuperſtitis, dum altera per totam vitam irritans, nunc ceſſet, unde denique oſcillationes ſpontaneae muſculorum deriuandae ſint. A ſanguine primo, in partibus animalium calido adhuc et fluido haerente, irritabilitas, a morte ſuperſtes, cum WOODWARDO, deriuari non poteſt, illae namque, omni ſanguine expreſſo, aeque ac animalium frigidiorum corda, adhuc diu contrahebantur: neque ad frigus, partes extremas conſtringens et liquores verſus interiora, vitali adhuc calore praedita, repellens, cauſa motuum, qui a morte ſuperſunt, cum BOERHAAVIO, referri poteſt, ex eo, quod illi, Cl. HALLERO monente, conſtantes admodum in corde animalium ſint, et in inſectorum, alius prorſus naturae fibris, ab inde explicari non poſſint, aues denique, reſecto capite incedentes, hanc motus continuati cauſam non agnoſcant: Vibratio porro, in fibris irritatis orta, vim forte attractricem, electricae ſimilem, producens,

cens, quae rem obſcuram per aeque obſcuram explicat, a DAVID HARTLEY propoſita ſententia, locum certe penes harum rerum ſcrutatores obtinet nullum: Neruos denique, aut ſpiritus animales, in iis adhuc ſuperſtites, poſt mortem motus continuare, quo minus ſtatuamus, ſuperius iam iam de iis notata phaenomena prohibent, quemcunque etiam agendi modum atque potentiam de iis praedicemus. Quamuis enim neruis, multum in irritabilitatis natura explicanda tribuendum ſit, ſola tamen haec irritabilitas, ad muſcularem motum et cordis actionem, ut debilis ad modum, absque neruorum integritate, et paulo poſt eam deſtructam deſinens, non ſufficit, neque, ſublato harum partium cum cerebro nexu, abinde declarari poteſt: Animam tandem horum motuum cauſam non eſſe, neque vitales et naturales actiones in ſtatu ſano, inde, STAHLII exemplo, deduci debere, ex eo iam patet, quod materiales ubique in corpore viuo adſint cauſae, ſimiles illis inſtrumentis, quorum ope hi motus excitari, et poſt mortem adhuc per tempus in animalibus, eorum etiam diſſectis partibus, reiterari poſſunt. Haec cuncta ita ſeſe habere, quamuis ratio ſuadeat, atque experimenta confirment, modum tamen, quo ex fibrarum fabrica irritabilitas explicanda ſit, aeque minus ac differentiam fibrarum, varias partes, cor v. c. et muſculos conſtituentium et materiem irritabilitatis, in partibus inaequaliter diſtributae, et variam inde earum ſenſibilitatem reddentis naturam, ſatis adhuc cognitas atque detectas eſſe, libere profitetur, et in disquirendis phaenomenis phyſico acquieſcedum eſſe, monet Cl. Auctor, dum modo communem omnibus animalibus hancce proprietatem, inter primarias referat, et eam motus ſui cauſam in ſe ipſam continere, ex disquiſitione phaenomenorum in-
p. 71. telligat. Limites tandem irrritabilitati ſi figendi ſunt, animalia cuncta ea praedita eſſe, hactenus vidimus; de vegetabilibus in uniuerſum certi quicquam, ex obſerua-

ſeruationum defectu, ſtatui nequit, ſenſiles inter ea plantas, a vegetabili regno ad animale propius accedere, experimenta noua NEEDHAMI confirmare videntur, quae eo eum adduxerunt, ut uno tantum gradu, vitam a vegetatione differre exiſtimet; minerae tandem, ad motum omnem, hinc etiam ad irritabilitatem ineptae iudicantur; ultima vero corporum elementa, eorumque inſita vis, acutioribus philoſophis reliquenda ſunt. Coronidis loco Cl Auctor eam quaeſtionem dirimit, cur cordis, inteſtinorum atque pulmonum actio, ſub ſomno perduret, reliquis, quae a voluntate pendent, muſcularibus motibus quieſcentibus, et cum Cl. HALLERO cauſam continuationis in ipſa horum organorum irritabilitate notabili, et aptitudine ad motum, a ſtimulo natum, ponit. Reſpiratio certe, licet ſemiuoluntaria ſit actio, ab anxietate, alternatiuum hunc motum exigente, et a maiori irritabilitatis gradu diaphragmatis prae reliquis muſculis, explicari poſſet; voluntatis certe effectus in neruis, ex Cl. Auctoris ſententia, idem eſſe videtur ac ſcalpelli et unius cuiusque irritantis cauſa, ita, ut automaticis nunc, nunc voluntariis motibus annumerari poſſit, dicta pulmonum actio.

XII.

Quaeſtio medica: An a vaſorum aucta aut imminuta irritabilitate omnis morbus? Praeſ. M. GVILIELMO DE MAGNY, D. M. proponebat, IACOBVS GOVRLEZ DE LA MOTTE, Pariſiis, 1752. 4. mai. pl. 1.

Subnectimus hanc, priori optimae illi diſſertationi ſuperſtructam et breui poſt illius editionem, pertractatam quaeſtionem. Perſiſtit vita, quamdiu humores, in vaſa agentes et ab iis repreſſi, in corpore circumeunt. Vaſa flexilia, non ob elaterem, quo pollent,

lent, se contrahunt, superat enim eorum contractio aequilibrii gradum, fibrae potius nerueae, extremis suis in interiorem vasorum superficiem prominentes, et tomentum illud constituentes, inuolucris in telam cellulosam mutatis, quoad medullosam sui partem, in papillas exsurgunt, quae exquisitam, cum nudae sint, sensibilitatem vasis impertiuntur, et a fluidis, quae vehunt, irritatae, contractioni illorum ansam suppeditant. Efficiunt id humores, non quidem ex sua mole, vasorum namque contractio non est in ratione quantitatis fluidorum, sed in ratione eorum indolis, quod naturalis aeque ac morbosa eorum conditio confirmat. Vita itaque perpetuum sensationis exercitium nominari debet, cuius obiectum sunt fluida stimulantia, organon vero solida, sensibilitate praedita; applicatur prius posteriori, per impulsum, cuius instrumentum est cor. Hoc, simili ratione, in motum actum, viuidum sanguinis appulsum et applicationem ad illius continuationem cum postulet, extrema venarum, cordi vicina, fibris muscularibus instructa esse oportebat, quae sanguinem cordi valide impellunt. Harum fibrarum actio, partim ab ipso impulsu, liquidis a corde communicato, partim, quae singularis nobis visa est sententia Cl. Auctoris, a sanguine, corde contracto ex ventriculis in auriculas refluente, et fibris his valide satis sic applicato dependet. Proportio vero impulsionis, qua fluida solidis applicantur, aequabilis, sanitatem et vitae continuationem, contrarius vero status, morbum, seu destructionem causarum sanitatis, efficit. Haec dicta vasorum, Cl. ZIMMERMANNI testimonio confirmata et neruis perreptantibus ab eo adscripta, irritabilitas, ab iis nudis, pulposis, mollibus, in vasorum interiora, ita, ut in reliqua loca, in quibus sensationes contingunt, prominentibus, ortum trahit, ita, ut pro ratione, qua nerui indurescunt, vita imminuatur et accedat senectus, utpote quae, rigidis et callosis paulatim

paulatim-

paulatimque factis vasis tribuitur; procrastinat eam humor mucagine vasa obducens, accelerat contra vitae finem, humorum acrimonia. Declarata haecce vasorum ad sensum habilitas, excessu vel defectu, peccare potest, utrumque vero vitium, vel est congenitum, seu temperamentum, vel acquisitum et status morbosus; priori in casu, totum corpus, in posteriori vero, vel totum, vel eius tantum partem concernit. Laesio irritabilitatis vasorum congenita, a nimis prominentibus, vel depressis nimis papillis neruorum pendet; euenit utrumque a causa intrinseca, humorum nempe, qui vasis insunt, acrimonia, abundantia, vappescentia aut defectu, unde tensio, spasmus aut atonia et circuli lentor; vel a causis externis, frigore v. c. vulnere, animi pathematibus et compressione, unde pro graduali harum causarum actione similiter sensibilitas augetur, vel imminuitur, vel prorsus aboletur et ob neruosi liquidi praeternaturalem sufflaminatumque motum, vita ipsa periclitatur. Ex recensitis his, ab aucta vel imminuta vasorum irritabilitate deductis, validis satis et uniuersalibus morborum causis, innumera illa aegritudinum cohors, exsurgit, quae corpus humanum, aut certas tantum eius partes infestat et deflectentem a naturali statu solidorum et fluidorum conditionem atque relationem eorum inter se inuicem indicat.

XIII.

Epitome aliquarum obseruationum de rebus medicis, in promtuario, viris ingenuis dicato, * contentarum.

Ex eruditorum diariis varia iam plus simplici vice, occasione data, depromsimus, nostrisque inseruimus

* The Gentleman's Magazine, for ianuary - auguſt. 1752. by SYLVANVS VRBAN. London, 8. mai. printed by E. Cave.

uimus commentariis, eaque in primis, quae vel noua, vel nouiter emendata, vel denique certa nobis viſa ſunt, et quorum ſimul aliquis verus atque communis uſus conſpicuus eſt. Eam in poſterum quoque ſeruaturi ſumus conſuetudinem, ut talia cum lectoribus noſtris communicemus, reliquis, quae in eius modi diariis reperiuntur, neglectis. Quamuis enim iis, quae omittimus, ſuos propter ea uſus denegare nolimus, ad nos ea tamen non pertinere exiſtimabimus, ſi modo definitam indolem in iis deſideraverimus. Ut ex tanta, quæ a viris doctis iam conſcribuntur, diariorum copia unicum adducamus, *promtuarium uniuerſale* dictum * nominabimus. Vi illud tituli, quem diſſertationum, ad plurimas ſcientias referendarum, varietate tuetur, varia quoque, ad hiſtoriam in primis naturalem, chemiam atque phyſicam ſpectantia, continet, ſed in iis certe faſciculis, qui de eo ad manus noſtras peruenerunt, nihil vel parum inuenimus, quod fini noſtro conueniens eſſe videatur. In praeſenti itaque ex ſupra indicato promtuario aliqua tantum hic loci repetere liceat.

Menſis ianuarius nautili deſcriptionem exhibet, de qua, cum ſupra de ea dictum ſit, plura hic non monemus.

p. 159. In menſe aprili praeter alia *relatio de duabus non admodum vulgaribus ſpeciebus corallii*, propoſita legitur ab I. W. Harum prior corallium ſiſtit anguſtum, ramoſum, albicans et ſemipellucidum. Ramorum ſuperficies tecta eſt poris anguſtis, rotundis atque ſtellatis, margine ſuo in ſuperficie pauliſper eminentibus, quorum tamen natura melius armato quam nudo detegi poteſt oculo. In teneriorum ramorum poris rectae magis detegebantur ab Auctore, intus

* The uniuerſal Magazine of Knowledge and Pleaſure. London, 8.

intus positae lineae, quas conditiones additae aeri incisae figurae oculis exponunt. Posterior species ab hac differentis est generis. Non enim ramosa est, sed a plana excrescit basi, unde *cheiritis* nomen illi competere autumat Auctor. Color eius exterius cinereus est, interius autem si diffringitur, dilute coeruleus esse obseruatur. Superficies pariter paruis, rotundis, et stellatis tecta poris, oculo nudo facile discernendis, quorum interstitiis angusti interponuntur pori. Hi paruis aperiuntur irregularibusque cauitatibus, quare his diffractis tota corallii massa calcinato ossi spongioso que similis esse apparet. Haec eadem sistitur tabula aenea. Utraque forte species ad madreporas posset amandari, nisi quod coeruleus posterioris color forte specificum reddat characterem, si constans fuerit deprehensus. Praeterimus praeter ea, quae de diuersis, originem horum corporum concernentibus, opinionibus breuiter adducit Auctor, quibus, num ad minerale, an ad vegetabile pertineant regnum, an ab insectis struantur, ambigitur, eas tamen adducere necesse putamus, de hisce coralliis cogitationes, ad quas alios non attendisse autumat Auctor. Corpus scilicet unum quodque inanimatum diu in mari non detinetur, quin seminibus, rudimentis et inhaesione multorum millium animalium obtegatur. Breui temporis spatio petrae, vitra, conchylia, nauium fundus, ligna et arborum rami iisdem obducuntur. Sola demum corallia immutata persistunt, rami libere extra se sparguntur, pori aperti manent et viuide crescunt, ni quaedam ad superficiem, destructionem faciens, accesserit iniuria. Quaerit itaque, quid immobilia haecce et dura defendat corpora, cum ab inuasione libera non sint flexilia et facile mouenda vegetabilia? atque respondet, forte minuta animalcula in poris, tanquam tot cellulis, habitantia eius modi instructa esse ad se defendendum armis, quibus omne, quod adhaerere et incommodum parere velit, ani-

malculum repellere poſſint. Ex quo ſimul de vera eorum origine iudicium ferri poſſe credit.

p. 172. Porro idem menſis obſeruationem *de profluuio ſanguinis per umbilicum infantis recens nati* continet, Auctore Cl. G. WATTS. Infans, cuius funiculus umbilicalis ſeptimo a partu die, uti ut plurimum fieri ſolet, deciderat, quarto dein poſt illum hæmorrhagia umbilici corripiebatur, remediis ſtypticis, pannis multiplicibus atque faſciis applicatis obedire neſcia, quae tanto potius impetu per interualla recurrebat, ut intra ſex et tringinta horas infantulus exſpiraret. Cum plures autem ſimiles caſus paucorum annorum ſpatio in illa regione acciderint, non immerito in morbi huius naturam inquirit Cl. Auctor, aliosque viros doctos, ut ſuam de eo ferant ſententiam, inuitat. Licet arterias quidem umbilicales venamque eiusdem nominis paucis poſt partum diebus imperuias fieri, optimorum anatomicorum experientia confirmet: modo dictum tamen ſanguinis profluuium ex illa tantum vena prorupiſſe inde patet, quod uno flumine eoque aequali ſanguis ab abdomine decurrerit. Is nunc alium quidem, ac ante partum per hanc venam habuit, curſum debuit agere, id, quod tamen, orificio ſcilicet eius externo praeter naturam aperto adhuc relicto, mirum aut ſingulare viſum perpendenti non erit, quod vena haec valuulis deſtituta ſit, liberamque viam iniectionibus anatomicis, per ipſam e foetu in placentam factis, concedat. Ex ſequentibus etiam clarum erit, eam longe magis, quam arterias, ad ſanguinem fundendum diſpoſitam eſſe. Primo enim lumen umbilicalis venae transuerſim ſectae ſatis inſigne eſt reſpectu utriusque arteriae ſimul ſumtae, ita nimirum ut illius rationem ad harum ut 900: 392. eſſe, Cl. HALLERVS annotauerit. Deinde tunicae eius admodum laxae ſunt, ideoque ex duplici hac cauſa reſiſtentia, ſanguinis impetui facta, minor eſſe debet. Porro vena haec ſinui venae portarum immediate inſeritur, et, mediante

mediante ductu venoſo, cum ipſa vena caua libere communicat, a qua utraque, vel certe ab earum una, ſatis largam ſanguinis copiam ſuſcipere poterit. Praeter ea quoque aliquam venae portarum cum arteriae, in genere conſideratae, natura ſimilitudinem eſſe conſtat: ille igitur impetus, quisquis demum ſit, quo ſanguis ex vena portarum per hepar in cauam propellitur, partem eius per venam quoque umbilicalem, ſi ea adhuc peruia ſit, protrudet; ſi vero non, at certe ſanguinis niſum per quaeuis ibi reperiunda obſtacula perrumpendi valde adaugebit. Umbilicales etiam arteriae longe minorem illa vena habent diametrum, tunicae earum admodum ſunt contractiles, ortus a corde longe remotus, viaque adeo incurua eſt, ut cum inferiore iliacarum, ex quibus procedunt, parte angulum ſatis obtuſum conſtituant. Ex quibus omnibus liquet, ſanguinis per eas velocem curſum inſigniter impediri, eumque difficilius per eas effluere poſſe. Accedit et hoc, quod ex obſeruatione modo nominati HALLERI ſitus infantis ex illo conglobato, quem in utero matris habuit, in alium deinde poſt partum, recta ſcilicet nunc porrectum, ſubito mutatus, illum magis adhuc obtuſum reddat angulum, ideoque ſanguini per haſce arterias tranſituro maiorem quoque efficiat reſiſtentiam. Ex hoc ipſo etiam mutato ſitu id ſequitur, ut ſanguis in ſitu corporis infantilis recto nunc facto per arterias femorales, ſiue crurales dictas, facilius nunc fluat, indeque ſimul eius impetum, quem antea in umbilicales habebat arterias, imminuat. Quod ſi igitur ex modo dictis clarum fiat, in ſimili, quem ſupra enarrauimus, caſu ſanguinem ex umbilicali vena emanare; ſtyptica tum leuis propter ea uſus fore exiſtimat Cl. Auctor, quod laxae illius venae tunicae non ita, uti arteriarum illae magis tenſae, ab iis applicatis contrahi queant. Unicum igitur, inquit, in quo ſpem atque fiduciam collocare poſſumus, remedium a ligatura rite facta expectandum eſſe videtur,

quae praeter id, quod reliquas ſanguinem cito ſiſtendi methodos multis modis ſuperet, illud etiam habet ſingulare, quo poſt eius uſum raro vel nunquam aliqua cruſta decidat. Nec faſciae in iis caſibus locum habent. Si enim arcte contrahantur, ita, ut reſpiratio vel aliquo modo impediatur, haemorrhagia augeri potius, quam imminui poſſe videtur. Quam primum enim aerem in ſe ſuſcepit foetus, eiusque cum placenta ſublata eſt communicatio, perpetua reſpirationis actio neceſſaria eſt, ut ſanguis per cor in pulmones et ex his ad illud ire atque redire poſſit, foramine nimirum ouali ductuque arterioſo vel imperuiis nunc factis, vel certe ad uſum, quem antea praeſtabant in foetu, iam minus aptis. Quidquid ullo igitur modo reſpirationem intercipit, liberum quoque ſanguinis tranſitum per cor impediat, neceſſe erit. Sanguinis itaque ex omnibus corporis partibus ad venam cauam redeuntis nimia copia ibi accumulabitur; uti et illa ſanguinis pars, quae ex abdominis viſceribus in ſinum venae portarum influit, magnam omnino, ratione illius in vena caua collecti, deprehendet reſiſtentiam, quo minus vel per ductum venoſum, is ſi iam adhuc apertus ſit, vel per hepar eiusque ramos in cauam, transmitti queat. Ex his denique Cl. Auctor infert, eo in ſtatu ſanguinem eadem vi, qua per hepar aut ductum venoſum proiici ſoleat, in eum iam locum impulſum iri, in quo minimam experiatur reſiſtentiam, nimirum in venam umbilicalem, quam etiam nunc peruiam eſſe, ille ſupponit *.

In

* Similem caſum tum demum accidere quidem poſſe opinamur, quando funiculus umbilicalis vel nimis prope ab abdomine, vel nimis laxe, fuerit ligatus: in priore tamen caſu venam non adeo commode vinciri poſſe, praeuidemus, cum ea tum forſan minus facile prehendi queat. Optime tamen rem actum iri exiſti-

In faſciculo menſis maii commentarium inuenimus, p. 217.
qui *nouam variolas per contactum excitandi methodum* continet, Auctore Cl. R. BROOKE. Occaſionem huic diſſertationi dederat caſus, quo in femina iuuene viginti annorum variolas per inſitionem, conſueto modo, producere voluerat Cl. Auctor. Inciſione enim in ventre muſculi bicipitis facta, carptisque linamentis cum pure varioloſo applicatis, et vulnuſculo, uti decet, deligato, faſciam, cum rediret ille aegram viſurus, laxam eſſe factam, et omnia, quae continebat, in oppoſitum latus repta; ipſum vero, qui inciſus fuerat, locum parum immutatum, alterum vero,

exiſtimamus, ſi quis, linamentis carptis umbilico applicatis, manu eum leniter quidem, ſed ſatis aequabiliter, per aliquot horas comprimat; uti ſimilis compreſſio in eo caſu neceſſaria eſſe deprehenditur, ubi ſub operatione fiſtulae ani arteria quaedam praeciſa fuit. Cum omni enim compreſſioni id competere debeat, ut aequalis ſit, circa anum vero nec pannis multiplicibus atque gradatis, neque faſciis ille finis obtineri commode poſſit, ad manus atque digitorum auxilium recurrendum erit, quod uſu etiam et experientia comprobatum eſſe ſcimus. Huic igitur ſanguinis profluuio illud ex umbilico prorumpens ex aliqua ratione ſimilis eſſe videtur, quidni etiam ſimilis cura locum habere debeat? Negare tamen quoque nolumus, faſciam admitti poſſe, vel certe, poſt ſanguinis profluuium iam dicto modo cohibitum, neceſſariam videri. Metum enim non adeo inſignem tum fore credimus, ne reſpiratio inde valde impediatur, praeſertim ſi infans ita reponatur, ut muſculi abdominales quieſcant, licet eam aliquo modo difficiliorem reddi poſſe facile concedamus. Optimum tamen, ni fallimur, praeſidium ad praecauendum hocce profluuium in eo poſitum eſſe putamus, ut, in primis ſi foetus in lucem iam iam emiſſus ſuccis abundare deprehendatur, ante quam funem liget obſtetrix, eo facto, unam alteramque ſanguinis unciam effluere ea patiatur, tum vero, uti decet, duplicem ligaturam ita applicet, ut pars funiculi, minimum trium digitorum latitudinem aequans, remaneat.

cui nunc incumbebat linteum carptum, inflammatum et puſtulis rubris obſeſſum, deprehendebat. Itaque cur metueret, ut ſubſequerentur variolae, eſſe videbatur. Nihilo tamen minus erumpebant eae cum ſuis quidem ſymptomatibus, iis vero mitiſſimis; nec niſi triginta tantum variolas experiebatur aegra. Quo euentu commotus, idem experimentum, quo cum linamentis varioloſum pus brachio tantum admouit, idque emplaſtro quodam adhaerente cooperiit, in aliquot infantibus et ſemper cum ſucceſſu repetiit. Vaſcula igitur reſorbentia hominum in primis iunioris aetatis ſufficientem varioloſi puris copiam, quae totam humorum maſſam inficiat, reſorbere poſſe exiſtimat, praeſertim ſi cutis, ex Cl. PARSONS conſilio, antea fricta fuerit, quo tum recrementa materiae perſpirabilis cuti inhaerentia, inque adultis reſorptionem forſan impedientia, abſtergantur, tumque caloris ſimul ope per frictionem excitati, vaſculorum orificia dilatentur, et copioſior humorum affluxus ad illam partem alliciatur. Quodſi ergo, inquit, haec methodus, uti nullum eſt dubium, ſemper bene ſuccedat, ex duplici cauſa inſitioni ea praeferenda erit, quarum una eſt, ne infantes ſcalpelli metu, quod ſemper extimeſcunt, terreri debeant; altera, quod ſymptomata morbi mitiora eſſe ſoleant. Ex aperta enim facta puſtula omnem heterogeneam materiem ſecum ducunt linamenta, per inſitionem cum ipſo ſanguine remiſcendam: in illo autem dicto modo optime tantum cocta et ſubtiliſſima puris pars a reſorbentibus vaſculis imbibitur, eius craſſiore in cutis ſuperficie relicta. Cum effectus autem cauſae ſemper reſpondere ſoleat, aegros, puriſſimis tantum varioloſi puris particulis infectos, mitior quoque morbus, ceteris paribus, inuadet. Dantur quidem, qui eam ſingularem ab inſitione expectent utilitatem, ut morbificae materiae partem per vulnuſcula aegris inflicta extrahi poſſe exiſtiment:

ſtiment *: etiam ſi vero eum in finem profunde incidant cutem, opinione tamen ſua et expectatione minus efficiunt, ſanguinis ſcilicet copia ſubito tum prorumpente, pusque varioloſum abſtergente. Aliquot etiam docuerunt obſeruationes, eos, quibus altum factum fuerat vulnuſculum, grauiorem expertos fuiſſe morbum, ac alios, quibus ſuſpenſa tantum manu cutis vulnerata fuerat. Verum quidem eſt, vel minimam excretionem criticam aegros, malignis morbis detentos, ſeruare poſſe: ea vero, quae tum excernuntur, quam maxime malignae indolis eſſe ſolent. Probari itaque ab iis debet, qui illud aſſerunt, pus, quod per vulnuſcula eliminatur, aeque noxiae eſſe qualitatis, cum pauca illius quantitas, quod in illis colligi obſeruatur, praeſertim ſi corpus antea rite fuerit repurgatum, parum ad rem conficiendam facere poſſit. At euidens eſt contrarium, cum illud eiusdem eſſe naturae, ac puris, ipſas puſtulas replentis. Aliqua porro alia, quae contra hanc nouam methodum moueri forte queant, dubia ſoluentur, ſi quis terebinthinam cuti infrictam violaceum urinae odorem conciliare, aut ex balnei uſu copioſius profluere urinam, perpenderit. Vulgaris etiam per frictionem excitandi ſaliuationem modus eam rem magis adhuc illuſtrat, et alcaleſcentes bene cocti varioloſi puris particulas tam bene diuiſas atque attenuatas eſſe, ac ipſos globulos mercurii, vero ſimile eſt. Craſſior enim eius pars illi puri, quod ex aliis ulceribus exit, ſimilis eſſe videtur, quae particulas volatiles inficientes coercet, quo

* Inter recentiſſimos auctores Cl. BVTINI grauiſſimum pro commendanda variolarum inſitione argumentum ex eo petere recordamur, quod inſignis varioloſae, in corpore latitantis, materiae copia per plura eum in finem inflicta vulnuſcula exeat, indeque eum deriuare cauſam, cur tales aegri ut plurimum parce variolentur; nec id, uti nobis quidem videtur, absque veri ſpecie. Vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 58.

minus in auram abeant, uti viſcoſae faecum particulae alias magis volatiles et fermentationem efficientes continent. A veri quidem ſpecie alienum eſſe videtur, quod craſſiores variolarum particulae, in ſe ſpectatae, contagioſam indolem habeant: nihilo tamen minus ea pars, cui minor agendi poteſtas ineſt, ab altera, quae morbum ſuſcitare valet, gradu ſaltem differre videtur, quo ſcilicet magis minusque volatilis facta fuit. Quodſi igitur omne pus, ex aliqua variola expreſſum, in vulnuſculum iniiciatur, aliquae nondum ſatis exaltatae particulae ſe in humores corporis ſimul inſinuare poterunt, non ſine aegri damno. Virus venereum per ſolum contactum communicari non poſſe, chirurgi, qui cum talibus aegris ſaepe rem habent, propter ea teſtantur, quod inde nihil labis accipiant: canes autem per inſitionem ſuſcipere illud poſſe, experimenta docent. Itaque ſi quando acciderit, ut varioloſus aeger, ex quo pus illud depromitur, venerea vel ſcrophuloſa labe inquinatus ſit, periculum omnino erit, ne per inſitionem virus illud in corpus ſimul inferatur, nec inde ſolum mala ſymptomata, ſed ulcera etiam peſſimae indolis, excitentur, id quod in commendata via per *contactum* haud metuendum erit. Ex quibus patere omnibus certe Cl. Auctor exiſtimat, hanc methodum alii huc usque uſitatae praeferendam eſſe.

p. 269. Faſciculo, menſi iunio dicato, commentarium, qui varias, easque nobis utiles viſas, *obſeruationes de variolis* continet, inſertum eſſe deprehendimus, Auctore Cl. THO. CAMERON. Triplicem febrem, quoad cauſam, modum agendi atque criſin inter ſe diuerſam, in variolarum morbo attendendam eſſe, ille monet. Varioloſam quidem materiam totius morbi eſſe cauſam; vario autem modo illam mutari. Sanguinem, pus et ſaniem, a ſe quidem differre; ultima vero bina ſanguinem eſſe, ſuo ſaltem modo immutatum In variolis benignis tres iſtas febres perfectis inter-

intermiſſionibus, in malignis autem remiſſionibus tantum eſſe conſpicuas; quarum primam eſſe illam *deſpumationis*, eiusque cauſam materiem varioloſam in circulum actam, criſin vero completam variolarum eruptionem; ſecundam autem febrem eam eſſe *maturationis*, eiusque cauſam materiem illam iam ſecretam atque fixam factam, criſin vero perfectam puris coctionem; illam, in genere conſideratam, coercendam, hanc vero iuuandam eſſe. Sed in hac morbi ſtatione multa, quae alias ſubſequi ſoleant, mala praeueniri poſſe. Quodſi enim unam tantum, inquit Cl. Auctor, corporis partem corripiat phlegmone, nullo modo diſcutienda: nonne loco inflammato imponimus remedia, quae ſuppurationem accelerare valent? Quidni idem in variolis, quae totidem loca ſiſtunt inflammata, puri coquendo deſtinata, tentemus? Pro ſua igitur, quam per longius viginti annorum ſpatium ſe conſecutum eſſe teſtatur, experientia optimi ſemper uſus eam fuiſſe methodum confirmat, qua emplaſtrum aliquod maturationem adiuuans, v. c. citrinum illud dictum, ſuper faſcias lineas duxit, iisque aegrorum artus ſeu extremitates utrasque totas obuoluit eo die, poſt quem facies ſubſeſſura eſſe expectari potuerat. Multa inde commoda ſemper proueniſſe aſſerit. Serum enim acre a facie atque capite deriuari ad artus, id quod naturae tum temporis finem eſſe principem; porro ſuppurationem ita adaugeri, ut puſtulae dicto modo coopertae copioſo atque bene cocto pure admodum turgeant; ardoris praeter ea ſenſum, de quo aegri ſoleant conqueri, illico tolli; hancque periculoſam morbi periodum absque funeſto ſymptomate abſolui. Tertiam denique febrem a *retroceſſu* appellat Cl. Auctor, eamque ſaepius admodum diuerſam eſſe dicit quoad agendi modum atque criſin, tum ratione temporis, tum exitus, ideoque etiam quoad curam, pro variis hiſce mutationibus vario quoque modo inſtituendam. Haec, quam tertiam febrem Auctor noſter

ſter nuncupat, ab aliis ut plurimum ſecunda dicitur, et a materie morbifica cutem deſerente, oriri fertur. Quaenam vero ea eſſe debet materies? Talis in ſuperficie cutis, inquit ille, duplicis tum eſſe generis obſeruatur, nempe pus atque ſerum acre, quod rubram puſtularum baſin efficit, ab illo eruptionis tempore iam ibi haerens, in pus conuertendum. Pus vero nec reſorberi, neque, ſi abſorberi quoque poſſet, tanta excitare poſſet ſymptomata: ſed illico, quando puſtularum baſes igneum ſuum colorem amittunt, febris accenditur, indicio ſatis probabili, quod ſerum hoc cauſticum retrogrediens vera nouae huius febris cauſa ſit. Quaeritur itaque, num ſanguis in eo caſu mitti debeat? Optimi auctores in iis morbis, ubi acrimonia tantum, plethora vero nulla adeſt, ſanguinis miſſionem reprehendunt. Quod humores autem in hacce variolarum periodo redundare nequeant, ex duratione morbi, per undecim dies iam vires aegri conſumentis, colligere licet. Symptomata quidem ab abundantia ac inanitione, cauſis licet diuerſis, orta aliquam habere ſimilitudinem, et ratione temporis, num *ineunte*, an *prouecto* morbo, accidant, diſtinguenda eſſe, iam olim ab HIPPOCRATE annotatum fuit. Itaque cum haec febris pro putrida tantum, ab iſto ſero acri excitata, haberi debeat: venam haud eſſe ſecandam, ſed nitroſa potius, abſorbentia, antiſeptica et diluentia aceſcentia, larga in quantitate hauſta, optimos praeſtare effectus, longa Cl. Auctoris experientia comprobauit, ita, ut ſolo eorum uſu, ſine veſicantibus remediis atque venae ſectione, impetuoſos undecimi diei impetus ſenſim ſenſimque imminui, quartoque poſt illum die prorſus euaneſcere viderit. Aliam deinde quaeſtionem ille mouet: Num vomitoria tum temporis aegro propinanda ſint, quando materia iſta, per ſaliuationem excerni ſolita, tam viſcida tamque tenax euadit, ut liberam per laryngem atque tracheam intercipere viam videatur? Praeter id vero, quod per

fidam

fidam aliorum medicorum constat experientiam, mortem in non nullis aegris eorum usu acceleratam fuisse; notari quoque meretur, quod vomitus iste tempore minus commodo, nec sine metu damni, capiti, ventriculo atque vasis pulmonum sanguiferis inferendi, cieatur; materie viscida nihilo minus in aeriferis pulmonum receptaculis haerente, vel certe difficulter exinde eliminanda. In hoc igitur, uti et in eo casu, quem plurimi auctores prorsus desperatum esse putant, ubi saliua tam tenax facta fuit, ut consistentiam atque formam pelliculae acquisiuerit, herbam maluae, myrrham et mel in sufficienti aquae et aceti quantitate coquere, et vapores huius decocti per tubum vitreum talis formae atque longitudinis, ut aeger, qui in lecto iacet, eum adhibere queat, in os eiusque partes affectas immittere iubet. Usum huius remedii, cuius vires incidentes, lubricantes, detergentes et antisepticas partibus affectis toties applicantur, quoties aeger spiritum ducit, valde commendat Cl. Auctor, et post longum illud tempus, ex quo in usum id vocare solitus est, nullum ex talibus aegris, quorum curam habuit, a tenaci illo muco iugulatum fuisse, asseuerat. Ultimum denique, quod is adhuc dat, consilium urinae sub variolarum morbo mittendae difficultatem concernit, contra quam sal succini vix non semper valere asserit, simulque iuniores medicos monet, ut cauti sint in exsequendo consilio, cuius auctor olim fuit SYDENHAM, qui aegrum in eo casu ex lecto surgere, et per conclaue ambulare iussit. Funestos enim eosque subito ingressos euentus in aegris inde obseruauit, de quibus multa bona sperari potuissent. Quam ob causam HOFFMANNI nostri dissertationem *de situ erecto in morbis periculosis valde noxio* legendam suadet.

Ad illustrandam de generationis modo doctrinam sequens fortassis non inutilis erit obseruatio in epistola, quam I. MERCER ex Virginia scripsit, enarrata: Aethiopissa quaedam, quae ex seruitio cuiusdam chiliarchi, p. 270.

liarchi, MASONII, erat, iuuenis adhuc prima vice nigrum pariebat infantem. Haud longo tempore poſt enitebatur partum geminum, puellum ſcilicet nigrum atque puellam, cuius color ex albo fuſcus ſiue flauus erat (*a molatto girl*). Quamuis infantes hi ſimul unoque tempore ederentur in lucem, a diuerſis tamen patribus geniti credebantur. Praeter id enim, quod virum quendam album, THO. PLVM, qui ſeruorum inſpectoris munere fungebatur, hac femina, non ſine ipſius mariti indignatione, familiariter uti conſtabat; ſolus etiam infantum aſpectus ſatis forte ſuppeditabat teſtimonium. Puellus enim nigerrimum habebat colorem, et breuem, criſpum, lanaeque ſimilem crinem, et ex omni reliquo reſpectu aethiopem referebat; ſoror autem eius ſatis alba, caeruleos oculos, longum et nigrum gerebat capillum, ad medium usque dorſum propendentem. In proximo deinde partu tres ea femina edebat partus, quorum unus tantum erat aethiops, reliqui autem bini coloris in albidum vergentis (*molattoes*).

p. 270. Alia, quae priorem excipit, epiſtola IOANNIS CAVLTON obſeruationem continet, quae urachum in humano foetu peruium eſſe, probare videtur. Puellus aethiops duos annos natus, ſanus, alacris, et laete creſcens, urinam, quoties eam mittebat, tum ex pene, tum ex umbilico, pleno flumine profluentem reddebat. Qua de re Cl. Auctor in conſilium vocatus, pannos multiplices ex forti ſolutione aluminis crudi expreſſos, atque puluere ex duabus boli armenae partibus, unaque vitrioli romani parato conſperſos umbilico applicauit, eoque modo intra biduum curam abſoluit.

p. 301. Menſe iulio de *nautilo foſſili*, anonymus dicere pergit Auctor, cuius de ipſo nautilo obſeruationes ſupra iam adduximus *. Elegit autem, quantum fieri potuit, perſe-

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 501.

perfectum et integrum eius modi nautilum, quem ab aliis nautilitem vocari adnotamus, in quo per medium ſollicite diſſecto, tubus medius, a principio ad finem deductus, pariter deprehendebatur. Quod, ut euidentius appareat, in addita tabula aenea et integrum et diſſectum ſiſtit nautilum. In priori tantum aliqua exterioris ſuperficiei portio ablata et deſtructa erat, ſub qua tamen incuruae adnotantur lineae, interiorum camerarum indices. Superior cauitas duro, liueſcente lapide calcario repleta reperiebatur, qui ad reliquas etiam penetrans cauitates, magis ſpatho ſimilis, ſemipellucidusque erat, ita tamen poſitus, ut quaecunque camera intus cauitate adhuc inſtrueretur. Tubus, de quo ſupra dixerat, per medium dimiſſus locum camerarum, maximam partem integer conſpiciendus, ſine interruptione aut orificiis in ipſa caua extabat. Putat itaque utilitatem huic tubo adſcriptam, magis confirmari, in primis, quod ille ubique eandem non habeat capacitatem, ſed ex altera parte diſtentus ſit, ex altera contractus; cum autem parum terreſtris eum ingreſſa ſit materiei, forte illud ab ea deducendum eſt vi, qua conchylium in limum detrudebatur, dum in lapidem conuertebatur, eo nimirum tempore, quo oceani indigena corpora ad remota per uniuerſalem deducebantur cataclyſmum. Accepit hunc lapidem Auctor ex inſula, *Shepey* dicta, quae eius modi rebus mire abundat, ex quo ipſo etiam loco tradita ipſi teſtudo eſt, cuius deſcriptionem ſe daturum eſſe promittit.

Ad finem huius obſeruationis *de dentibus rarae magnitudinis* diſſerit Auctor, quos ex littore Chienſi in Virginia adportatos eſſe refert, et ſimiliter iconem eorum proponit. Dens autem talis longitudine quinque et ſemiſſem pollices, latitudine tres et quartam partem, craſſitie duos et quartam pollicis partem, pondere unam et ſemiſſem libram aequabat. Erat ex molaribus minimus, ex buffalo ſine dubio deſumtus, quippe quorum ſcëleta hic deprehendebantur. Eo-

dem

dem tempore alius adducebatur ex maiori animali, quem integrum ſex ponderaſſe libras narrabant, in quo radices, ut in homine non nunquam fit, ad alueolorum deuenientes radices retorquebantur. Marmorea eorum ſubſtantia octauae pollicis parti aequalis, dura, et eo, prout in herbiuoris animalibus eſſe ſolet, comparata modo.

p. 324. T. WHITEHORNE *obſeruationes cum alga latifolia inſtitutas*, aliasque recenſet. Ex alga ſcilicet latifolia partem in veſtimenti marſupium reponens, eiusdem diei veſpertino tempore paulum exſiccatam et candicantem eam inuenit, altero vero die totam eius modi materiei obductam obſeruauit, quae et guſtu et colore a diuerſis hominibus iudicabatur ſacchari ſimillima eſſe. Laetus dein hoc de inuento, ab aliis idem iam adnotatum fuiſſe vidit*, interim nec aeri, nec ſoli, plantam exponendam eſſe comperit, quod ſal ille, volatilis fere, alias in auras abit nec in cryſtallinam redigitur formam. Repetiit idem experimentum cum alia planta, quam *dullisk or dulsk* Angli vocant, ** quae papyro inuoluta et in quietum, ab aere reconditum, locum deducta, poſt aliquot menſium decurſum in ſuperficie ſalem natiuum, cum nitro conſpirantem adhaerentem monſtrauit. Tandem ex aqua picis liquidae, ex qua Haleſii per experimenta ſal obtineri non poterat, in vaſe et a ſolis radiis remoto loco retenta, euapo-

* Huius algae iam meminit ſub *algae ſaccharíferae* nomine BORRICHIVS in Act. Hafnienſ. Vol. I. obſ. 59. ita tamen ab Auctore noſtro diſcrepans, ut in aere libero a calore ſolis etiam hoc ſaccharum melius praeparari aſſerat, et BIARNO PAVLI in diſſ. continente obſeruationes circa plantas quasdam maris Islandici, ſpeciatim circa algam ſaccharíferam dictam. Hauniae, 1749. 4.

** Hoc nomine, quantum quidem reſcire potuimus, indicatur *fucus marinus ſcrupoſus, albidus, anguſtior, compreſſus, extremitatibus quaſi abſciſſis*, a MORISONO III. ſ. 15. t. 8. f. 17. deſcriptus.

euaporata aqua, maſſam obtinuit, reſinae, quoad conſiſtentiam, ſimilem, tactu aſperam. Haec autem aſperitas a ſalinis proficiſcebatur immiſtis particulis, quarum quaedam in maſſulas, acus maioris capitulo aequales, coiuerant.

Faſciculo, qui menſi auguſto inſcribitur, *caſus curioſus recuperatae loquelae, poſt adhibitam electricitatem ſolam, quae per viginti menſes erat deperdita, adnotatur* a PATRICIO DICKSON. Cum electricitatis in medicina utilitatem pluribus confirmare noſtro ſtudeant tempore experimentis medici, quod et a nobis iam indicata, data occaſione, ſpecimina teſtantur, et in poſterum variis adhuc demonſtrabitur, hoc in rei teſtimonium adducere ſimul voluimus. PHILIPPVS BROWNE, medicus, electricis etiam operam nauans diſquiſitionibus, menſe ianuario 1750. prima vice, febre, quam Auctor vocat, neruoſa et aſthmate correptus, paralyſin linguae percipiebat, quae pauliſper leuata, denuo accedente pleuritide, immo paulo poſt hydropico affectu, et paralyſi ſiniſtri brachii, ingraueſcebat. Varia incaſſum tentabantur remedia, usque dum tandem menſe octobri eiusdem anni plenarium linguae amitteret uſum. Electrica igitur, ſuadente IO. RVTHERFORD, Prof. med. Edimburgenſi, applicabatur menſe februario 1751. machina, qua omnia peiora reddi videbantur. Interiectis vero quibusdam menſibus repetebantur illa experimenta et per ſex continuas ſeptimanas duabus per diem vicibus, quinquageſies, ſexageſies, immo centies, ſuccuſſiones experiebatur aeger. Tandem et linguae electricitas communicabatur, in qua calorem et ſaporem, ſulphureo ſimilem, excitabat, redeunte ſimul quodam eiusdem motu. Poſt ſaliuatio ingruebat, oculi inflammabantur, ſulphureusque ſapor fortior reddebatur. Loquela interim nulla et uni ſono tantum adſcripta perſiſtebat. Qua re percepta, Auctor litteras primo p. 363.

pro-

pronunciando effingebat, deinde ſyllabas et voces, quas imitando, motumque linguae digitorum ope adiuuando, aeger ſenſim ita eloquebatur, ut breui intercedente tempore pro voluntate, et facilius fere, quam ante morbi inuaſionem, linguae uſu frueretur. Soli itaque electricitati ſtupendi huius phaenomeni rationem adſcribendam eſſe putat Auctor.

XIV.

Apus piſciformis inſecti aquatici ſpecies nouiter detecta breuibusque deſcripta a IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFER, eccleſ. Ratisbon. miniſtro. Norimbergae, impenſis Io. Mich. Seligmanni, 1752. 4. pl. 3. tab. aen. viuis coloribus picta.

Inſectorum hiſtoria, ſtudioſiſſime a variis perquiſita, et a REAVMVRIO fere exhauſta, eius tamen cultoribus, neque de iis aliquando cogitantibus, noua quaedam obiicit, quae admirationem eorum in ſe rapere poſſint. Idque euenit ſollicito inſectorum perſcrutatori, Cl. SCHAEFFERO, qui monoculorum LINNAEI inueſtigans naturam, hoc, de quo ſcribit, in aquis paludoſis detexit inſectum, cuius partes in exhibita deſcriptione et nitida tabula ita graphice adumbrauit delineauitque, ut nulli dubitemus, ab illo, cui ſeſe illud obtulerit, vel dignoſci facile poſſe, vel ea, quae deficiunt, addi, in primis, cum a nemine eius mentionem factam fuiſſe inuenerit Auctor. Siſtit autem tabula et naturalem et microſcopio auctam magnitudinem, tum animalculi integri, tum diuerſarum eius partium, quarum praecipuas tantum liceat adnotaſſe conditiones, quippe quae in mare et femina diſcrepant. Longitudine ſemunciam aequat, pellucidum eſt rutilantis coloris, a quo tranſitus, praecipue

p. 8.

in

in feminis, ad virideſcentem usque. Caput articulatum in fronte duabus eminentiis nigris inſtruitur, quas oculos ſimplices eſſe putat Auctor; ad latera enim duo nigri oculi poſiti comparent, ouales, conuexo ſtilo mobili affixi, ex lentibus innumeris compoſiti, cuticula pellucida tecti, quae in animalculis, ex aqua extractis, euaneſcit mox, ſi manibus illud tractatur, denuo conſpicienda. Mares quatuor habent antennas, quarum duae breuiores prope oculos, duae longiores anterius capiti inhaerent, illae mobiles ſunt, hae vero neutiquam, ut igitur vix antennarum mereantur nomen. Ad has tentacula cornea, dilute fuſca oriuntur, medio aculeata, apice bifurco, dura quidem, ſed intus caua. Feminae breues tantum antennas habent, et tentaculorum loco caput eorum corniculis ornatur articulatis, mobilibus, retractilibusque. In p. 11.
maris capite anterius adhuc duae adſunt eminentiae, ſeu corpora triangularia, quae proboſcidis uſum habere opinatus Noſter, accuratiori inueſtigatione ſententiam mutauit, cum nimirum os, in extremitate capitis, ad ventrem prope oculos compoſitos roſtriformi proceſſu quatuorque corpuſculis munitum, inueniret. Collum, capiti ſubiectum, breue, annulum conſtituit, p. 12.
tergum cylindraceum et carinatum eſt, ac duodenis conſtat inciſuris, per medium dorſum vas decurrit, ſyſtolen et diaſtolen exercens manifeſtam, ſub quo inteſtinum a capite ad caudae pinnas continuatur. Latus ventris utrinque pedibus natatoriis ſeu branchiis inueſtitur, plumoſis, in triplicem ordinem diſpoſitis, quorum anterior ſemper poſteriorem tegit. Has pulmones eſſe bullulae aeris, inde exeuntes, demonſtrant, motum tamen iisdem animalculum noſtrum exercere, non absque omni dubitatione eſt, continuum etiam undulatorium exercent motum, et mediantibus iisdem corpora, in aqua contenta, et nutritioni apta, ori applicari poſſunt. Cauda ex tergo continuata, no- p. 15.
uem componitur ex annulis, ad quorum ſecundum

duo tubercula breuia deteguntur, ex quibus, preſſione accedente, duo corpuſcula cylindracea, diaphana, eminent articulata, quae penis duplex maris ſunt. In femina eodem in loco ſaccus haeret cordiformis, multis corpuſculis oualibus plenus, aliis annulo pellucido cinctis, aliis colore cyani, quae oua ſunt in duplici cauitate haerentia. Haec expreſſa et aquae vel aeri commiſſa, hexagonam figuram adſumunt. Ultima tandem cauda in pinnam diuiditur horizontalem, bifidam, in acutos deſinentem angulos, aurantio colore, ad latera plumoſam. In aquis viuunt ſtagnan-
p. 17. tibus, auguſto et ſeptembri menſe inuenienda. Modum tamen generandi et metamorphoſin accuratius penetrare Cl. Auctori non licuit, licet ad illa pertinere credat inſecta, quae euidentem non patiuntur mutationem. Apodis nomen indidit inſecto SCHAEFFERVS, quod plures habet oculos monoculo LINNAEI, cum eo tamen quodam modo conuenit, illud autem apodis a FRISCHIO iamiam fuit introductum.

XV.

Quaeſtio medico - chirurgica: An in cataracta, potior lentis cryſtallinae extractio per inciſionem in cornea, quam depreſſio per acum? Praeſide M. ANTONIO DE IUSSIEU, Botan. Prof. M. D. etc. Proponebat IOANNES BAPTISTA THVRANT, theſeos Auctor, Pariſiis, 1752. 4. mai. pl. 1½.

Inter morbos, qui oculos infeſtare ſolent, prae aliis ille, qui cataracta ſeu ſuffuſio dicitur, medicorum huc usque ſtudium atque induſtriam ita excitauit, ut alii modo hanc, alii modo aliam eam tollendi viam ingrederentur, ſuamque ceu optimam quilibet methodum commendaret. His noſtris etiam temporibus praeter

praeter alios ocularium quendam medicum gallum, DAVIEL, suffusioni eam medendi rationem in usum vocasse constat, quae ab AVICENNAE aetate suam trahere dicitur originem, qua lens oculi opaca facta per incisam corneam educi debet. Eam quoque methodum omnibus aliis in iam indicata dissertatione Cl. Auctor praefert, cuius singularia recensebimus. *Oculo aegri defixo, acum plano-conuexam, myrtiformem, lateribusque secantem, chirurgus, cuius cubitus super cathedrae dorsum firmatus nitatur, versus corneam dirigit iuxta coniunctionem cum sclerotica, leniter ipsam demittit, sed non alte in cameram anteriorem, ne iris laedatur. Retrahendo acum, lateribus hinc et inde molliter secat, ut aperturam dilatet. Humor effluit aqueus, quem detergit seruus. Oculis detersis, forfices apprehendit chirurgus, modo curuas tantum, ita ut harum curuatura circumferentiae corneae apprime respondeat, modo curuo-conuexas, ut figurae oculi globosae quadrent. Harum forficum cuspides obtusae sunt, laminae ad planitiem extenuatae. His mediantibus, ocularius dimidiam circuli corneae partem, circumferentiae tractum sequendo, resecat. Ultimo chirurgus acum sumit tenuem, cuspide tantum secantem, in lateribus autem leuem atque politam, cauda conuexam. Hanc, resegmine corneae cum specillo sursum sublato, in oculum demittit, usque ad membranam lentis arachnoideam, quam in pupillae parte inferiore, circuli in modum, soluit. Ut plurimum tum sponte sua excidit lens. Si aegre prodeat, duobus sinistrae manus digitis indice et medio, adnatam chirurgus ita prope corneam premit, ut et humorem vitreum contineat et crystallinum expellat. Quam primum lens in cameram anteriorem transit, facile, mediante specillo, foras eiicitur. Peracta operatione, orae vulneris ita cum specillo aptantur, ut sibi inuicem iunctae respondeant. Oculi cum spongia, aqua tepida imbuta, eluuntur*, et reliqua, uti post cataractae depressionem, modo iam cognito, obseruan-

tur. In eo dein multus eſt Cl. Auctor, ut huius nouiter nunc commendatae methodi utilitates, eiusque prae illa plurimis aliis huc usque uſitata, ab auctore, qui primum deſcripſit eam, Celſiana dicta, praeſtantias non enarret tantum, ſed contra obiectiones, aduerſus ipſam mouendas, ſimul etiam defendat. Breui ut plurimum temporis ſpatio, inquit, omnis illa curationis actio abſolui poteſt, vel certe breuiori, ac in illa vulgari interdum fieri ſolet, in qua nimirum plures eius actus ſeu ſtadia quaſi requiruntur. Porro facilior illo eſt agendi modus, licet per ſe quoque ſit, uti ſubtiliſſimus, ſic et difficillimus. Cubitus enim operantis manus firmus, ideoque talis etiam eſſe debet inflictus, praeſertim ſi acus myrtiformis ope is fiat, qua inferior tantum ac extremus corneae circulus pertunditur; eiusque ulteriori auxilio, propter aqueum humorem effluxum, irrito nunc facto, ad manus ſunt illae forfices ad ampliorem inciſionem faciendam magis aptae; oculo ſimul, praeſertim ab indice chirurgi digito ſcleroticae impoſito, immobili ſeruato. Ut praeter ea laedi queat uuea, periculum non eſt, cum latera acus ſint laeuia, nec, niſi eius cuſpide, membranula lentem inuoluens ſecetur. Nec metus eſt, ut lens elabatur. In ſano et naturali quidem ſtatu diameter eius ipſa pupilla maior eſſe deprehenditur, contra vero in morboſo lens ſua mole eo minor et compactior fit, quo maior eam affligit opacitas. Extenſilis etiam eſt molliuſculae apertura uueae; et manus chirurgi, dum adnatam premendo vitreum humorem retro agit, cryſtallini in anteriorem cameram prolapſum iuuat. Facilis etiam inde redditur operatio, quod omnes, in quas agere debet chirurgus, partes ipſius viſui pateant. Illa quoque conſueta longe tutior haec noua methodus eſſe cenſetur, cum ea haud metuenda ſint ſymptomata, quae illam tum in perforanda ſclerotica, tum in diſſecanda lentis capſula, ipſaque lente

ſoluta

ſoluta deinde in humorem vitreum * deprimenda, ſaepius ſolent ſequi, quae in primis ab aliqua parte, vel neruis, vel vaſis ſanguiferis abundante, laeſa proueniunt. Nec aegro ea, quae fit per inciſam corneam, lentis extractio tam moleſta eſſe poteſt, ac iſta eius depreſſio, ſiue ipſum curandi modum, ſiue ſymptomata reſpicias. Inter ea, quae in iſto caſu accidere poſſunt, vehementiſſimus in primis, quem ſaepius aegri ſentiunt, dolor et grauiſſima inflammatio, quam iſte deponendi modus non raro excipit, prima ſunt, quae conſiderari merentur, in hac noſtra vero medendi ratione non adeo extimeſcenda. Quid? quod ſi res ibi etiam optime ceſſerit, lens depreſſa quidem, inutile tamen in oculi fundo relictum corpus ſit, et ſicut calculus in veſica haereat, noua dolorum oculi et capitis ad minimum corporis motum oriundorum cauſa. Facta dein operatione, aegri noſtri parum experiuntur moleſtiae, vel certe longe minorem ac illi. Non adeo enim metuere debent vel leniſſimum corporis motum; nec ſanguis tam crebro debet mitti, cum a partibus laeſis, quae nullā habent vaſa ſanguifera, nullos neruos, non tantam aegri timere debeant inflammationem. Omnis potius periculi metus abeſſe poſt quartum diem, et poſt duodecimum, corneae inflictum vulnus perfecte curari ſolet. Omnibus denique modis, quibus in iſta operatione, qua lens deprimitur, aegrotanti oculo totique corpori damnum inferri poteſt, ſedulo excuſſis, ad experientiam prouocat Cl. Auctor, qua conſtare dicit, pauciſſimos ex aegris, vulgari operandi modo tractatis, aliquem verum

* Neminem praeter unum TAYLORVM ſe nouiſſe, ait Cl. Auctor pag. 8, qui de diuidendo humore vitreo aliquatenus curet: contra hanc tamen ſententiam unum modo iam ex noſtratibus nominaſſe ſufficiat, Ill. GÜNZIVM. Vid. ei. *animaduerſiones de ſuffuſionis natura et curatione*, pag. 56. et 57. et Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 321.

rum uſum, plurimos vero nullum percipere, non nullos autem ipſa caecitate maiora mala pati; effectus autem his contrarios a noua iam laudata methodo expectari poſſe. Cuius in rei documentum ſummam teſtimonii, a multis medicis perhibiti atque ſubſcripti adducit, quibus praeſentibus ſub finem anni 1751. Remis in quadraginta tribus aegris talis curatio ſuſcepta fuit, ex quo apparet, eorum viginti quatuor optimam viſus aciem, nouem, a leuiori ſtaphylomate aut macula iuxta pupillam, debilem modo recuperaſſe viſum, decem vero caecos prorſus manſiſſe, eosque vel propter adhaerentis cataractae, aliudue ipſius oculi vitium. Ex ſymptomatibus quidem aegros ſuos et inflammationem corneae, uueaeque per eius vulnus prolapſum affligere poſſe concedit: illam vero in hoc caſu facilius ac in altero tolli monet; ſi qua etiam remaneat macula, inciſionis factae eam obtinere tractum, raroque totam obtegere pupillam; alteri autem vitio, ſtaphylomati, tenuis ſpecilli ope, uueam intus recondentis, ſituque capitis aegri reſupino, ſuccurri poſſe. Quod plurimi autem aegri tam perfecto iterum viſu gaudeant, ut et filum in acum coniicere queant, eam eſſe ait cauſam, quod *humor vitreus partem capſulae poſteriorem antrorſum protrudat, et in locum cryſtallini cedat, ita ut non ſecus ac lens protuberet.* Dignum ſatis argumentum huius diſſertationis nobis eſſe videtur, quod a doctis medicis praeſertim ocularibus probe expendatur.

XVI.

XVI.

Quaeſtio medico chirurgica: Utrum in deprimenda cataracta, ipſius capſula inferne et poſtice ſit primum ſecanda? Praeſide M. FRANCISCO POVSSE, D. M. Proponebat CLAVDIVS IOSEPHVS GENTIL, theſeos Author. Pariſiis, 1752. 4. mai. pl. 1.

Paucis diebus interpoſitis, poſtquam praecedens diſſertatio ventilata fuerat, haec, quam nunc indicamus, eruditorum examini ſubiecta fuit, ex parte contra illam propter ea directa, quod methodum tollendi cataractam in ea commendatam in hoc unico caſu admitti poſſe Cl. Auctor exiſtimet, ubi nimirum ſuffuſa lens iridem inter et corneam libere fuerit appulſa; in ſolito autem ſuffuſionis ſitu eas ob cauſas locum habere nullum, quod lentis volumen, licet omnino ea minoris quidem tum temporis eſſe ſoleat magnitudinis, nimis tamen adhuc ſit amplum, quam ut ſine metu, ut vexetur immo laceretur uuea, aut ipſi annexa choroidis vaſcula disrumpantur, per pupillam educi poſſit. Quid? quod fibrarum uueae muſcularium laeſio facile ſequi poſſit, unde praeter ſtaphylomatis ſubſecuturi, aut extimeſcendae inflammationis modo dictas cauſas, periculum quoque immineat, ne, contractionis vi in uuea deleta, incurabilis mydriaſis ſequatur. Qua propter huic operandi modo ſuum, quem deſcribit, praeferendum eſſe putat. Poſtquam igitur quaedam de anatome oculi et de obſeruationibus, quas varii auctores de vera cataractae ſede annotarunt, propoſuit, ipſamque ſuffuſionem ſaepiſſime cryſtallinam, multo autem rarius vere membraneam eſſe, conceſſit: in ea tum potiſſimum ſubſiſtit obſeruatione, quod opaca facta lens, quo ſiccior fiat, eo quoque minorem conſtituat molem, ideoque limbus eius in toto ambitu a ciliari ligamento recedat, quo fiat, ut inter

hanc utramque partem oriatur ſpatiolum, eamque ob cauſam inuolucrum lentis inferne et poſtice ſecari queat, illaeſa omnigenorum ligamenti eius vaſorum congerie. Quapropter acum idoneam duabus a cornea lineis in oculum recta ad vitreum usque immittere, tumque manu ſolerti ad ipſam ſuffuſionem, ſeu potius ad locum inter ipſam lentem eiusque capſulae anticam faciem adigere, tum vero, cuſpide eius paulo ſubmiſſa, oblique ad poſteriora inclinare, eaque poſticam capſulae partem, et, quod ipſi ſubiacet, vitreum corpus ita ſecare, ut lenti patulum fiat iter, deinde acum ad pupillam reuocare, eiusque apice paululum elato, ipſam lentem antice et tantiſper ſuperne premere, et in oppoſitum per paratam viam propellere, ſicque in humorem vitreum deprimere, iubet. Probe autem operanti ad id attendendum eſſe monet, ne apicem acus umquam verſus oculi anteriora vertat, uueaeque atque choroidis vaſcula laedat. Itaque manubrium eius ita is a temporibus amoueat, ut cuſpidem ad poſteriora et inferiora verſam, obliquum cum uuea ſitum eundo retinere intelligat. Utilitates ex hac curandi ratione prouenientes eas eſſe aſſerit Cl. Auctor, ut, antica velamenti lentis membrana integra ſeruata, vitrei humoris pars in eam ipſam capſulam ingrediatur, et cryſtallini vices gerat; neque lens in cameram anteriorem tranſilire, neque capſulae reſiſtentiam experiri, ſed, ut potius vel leniſſima preſſione, licet adhuc quoque ſuffuſio immatura ſit, ſiue lens debitam ſoliditatem nondum fuerit nacta, deprimi, ipſaque curatio propter breuiſſimum facilemque agendi modum in iis etiam aegris ſuſcipi queat, in quibus alias propter cacochymicam humorum diatheſin grauior hanc irritationem excipere ſoleat inflammatio.

XVII.

XVII.

Aphorismi practici. Siue obseruationes medicae, quas tam ex veterum quam recentiorum scriptis in usum medicinae tyronum collegit et in ordinem alphabeticum digessit R. SCHOMBERG, M. D. Amstelaedami et Lipsiae apud Petrum Mortier, 1753. 8. pl. 11½.

Pauca de hoc libro nobis iam erunt dicenda. Titulus enim totius eius rationem satis exponit, cum is quasdam tantum de plurimis huc usque cognitis morbis, alphabetico nominum ordine sese excipientibus, contineat animaduersiones, quas, varios medicorum libros legendo, Cl. Auctor collegit. Nullius enim morbi natura, signa, causae atque curatio simul explicantur, vel certe enarrantur, sed de eorum plurimis quaedam tantum saepiusque perpauca adducuntur. v. c. Totum *de gonorrhoea et lue* inscriptum caput hisce paucis absoluitur thesibus: Clysteres neque iniectiones in penem prosunt, sed caruncules saepius ortum praebent: Gonorrhoea non nisi intempestiuo adstringentium usu in veneream luem mutatur: Saliuatio omnium optima luis est medela, praesertim si unguentis excitetur: Eo efficacior eius est cura, quo liberior largiorque fuit saliuatio. Facere itaque non possumus, quin tironibus, in quorum tamen usum editus esse liber dicitur, eum haud magnopere utilem fore existimemus. Nam si morborum iam consecuti fuerint cognitionem, eorumque a fido, docto et perito medico edocti rationem, illo tum facile supersedere poterunt, sibique nunc optime consulent, si ipsi veterum atque recentiorum libros sedulo et cum iudicii usu perlustrent; sin autem minus, tum facile haerebunt perplexi, quando in praxi versantes, de aliquo morbo v. g. epilepsia, dubii quid agere debeant, caput istum, quod de eo morbo agit, in iam indicato libro p. 51. p. 67.

euoluent, deque frequentiſſimo morbi huius genere, epilepſia ſcilicet ſympathica dicta, ſeu cuius cauſa non in cerebro, ſed in aliqua alia corporis parte reperitur, ne verbum quidem inuenient. Mirari etiam ſubiit animum, cur non loca, unde obſeruationes depromſit, nec earum quidem auctores ſemper annotauerit? Praeter eam enim utilitatem, quod auctores ipſos lector facilius conſulere poſſet, alia quoque inde proueniret eaque praecipua, ut maiorem in facta obſeruatione datoque conſilio fiduciam ille collocaret, ſi nimirum intelligeret, eius auctorem eſſe virum fidei atque eru-
p. 53. ditionis conſecuta laude conſpicuum. v. c. In epilepſia *cauendum*, inquit Auctor, *ne cinnabarinis ſalia cumprimis fixa miſceantur, ne mixtura mercurio ſublimato ſimilis hinc emergat et conuulſiones augeat.* Haec theſis, ſi vera eſſet, experientia tantum fidique alicuius auctoris teſtimonio inniti deberet; a priori enim, ut aiunt logici, veritas eius non apparet; quis vero auctor eam expertus fuerit, haud ſimul annotatum eſſe inuenimus. Tantum quidem abeſt, ut eius modi inſtitutum in genere reprehendere velimus, quo quis, ex conſilio LANCISII, *ea, quae legendo, audiendo experiundoque, notatu digna cenſet, ſtatim ad memoriae ſubſidium iam inde ab adoleſcentia in commentarios digerit*, ut illud potius commendemus: in ſuos autem uſus quemlibet id facere debere opinamur, ſique collecta in publicam utilitatem edere velit, ea tum ita ſeligere, ut vel nouitate, certe veritatum iam cognitarum nouo teſtimonio, ſiue uſu atque experientia illud fiat, ſiue iuſto ratiocinio, confirmatarum, vel ſolito aptiore ordine, aut perſpicuitate, ſe commendent.

XVIII.

XVIII.

Noua medica.

Doctores et Profeſſores medicinam docentes:

1) In Academia Altorfina.

IO. IACOB IANTKE, M. D. Praxeos Pathologiae et Botanices Prof. Primarius et Horti botanici inſpector, Collegii medici Senior, Conſiliarius et Archiater Palatinus, Inclutae Reip. Norimbergenſis Phyſicus, A. N. C. Sodalis, Lucius dictus.

IO. NICOL. WEISSIVS, M. D. Anatomiae, Chirurgiae et Theoriae Prof. Publ. Ordin. Poliater Altorfinus, A. N. C. Sodalis Agathinus II.

IO. IACOB KIRSTEN, M. D. Phyſiologiae et Chemiae Prof. Publ. Ordin. A. N. C. Sodalis Hermes II.

His ex philoſophis adiungendus eſt.

IO. MICHAEL ADELBVLNER, M. D. Philoſ. natural. et Matheſ. P. P. Ordin.

2) In Academia Halenſi.

Profeſſores Ordinarii:

MICHAEL ALBERTI, M. D. Sacr. Mai. Reg. Boruſſ. aulicus et Conſiſt. Magdeb. Conſiliar. Medicin. et Philoſoph. natur. Prof. Publ. A. N. C. et Societat. Reg. Boruſſ. Scient. Sodalis, Facultat. Med. Senior.

IO. IVNCKER, M. D. Orphanotrophei Halenſis et Paedagogii Regii Medicus ordinarius, Facultat. Med. Aſſeſſor.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER, M. D. S. R. I. Nobilis, Conſiliar. Reg. intim. A. N. C. Praeſes, Medic. et Philoſoph. natur. Prof. Publ. Reg. Boruſſ. Societat. Scient. Sodalis, Facultat. Med. Aſſeſſ. Comes Palatin. Caeſareus.

FRIDERICVS HOFFMANN, M. D. Conſiliar. Reg. aulicus, Facultat. Med. Aſſeſſor.

PHILIPPVS ADOLPH BOEHMER, M. D. A. N. C. et Reg. Societat. Boruſſ. Scientiar. Sodalis et Anatom. Prof. Publ. Ordin. Facult. Med. Aſſeſſor.

Profeſſores Extraordinarii.

HENRICVS BASS: M. D. Anatom. et Chirurg. Prof. Publ. Extraordin.

HENRICVS CHRISTIANVS ALBERTI, M. D. Conſiliar. Reg. aulicus, Phyſiolog. et Botan. Prof. Publ. Extraord.

FRIDERICVS LEBERECHT SVPPRIAN, M. D. Conſiliar. Reg. aulicus.

CHRISTOPHORVS CAROLVS STRVMPFF, M. D. Chemiae et Botan. Prof. Publ. Extraord.

ERNESTVS ANTONIVS NICOLAI, M. D. Conſiliar. Reg. aulicus.

3) In Academia Lundinenſi:

GVSTAVVS HARMENS, M. D. Medic. Theoret. atque Philoſoph. experimental. Profeſſ. regius Ordinar.

EBERHARD ROSEN, M. D. Regii Collegii Medici Aſſeſſor et membrum, Medicin. Practicae Profeſſ. regius et ordinarius.

ERICVS GVSTAVVS LIDBECK, M. D. Praefectus Horti botanici Regius, Facultat. Med. Adiunctus, Hiſtor. natural. Profeſſ. Publ. Regius.

Iis, quae de regia Anglicana ſcientiarum ſocietate antea retulimus, * illud adhuc adiiciendum eſſe putamus, illuſtrem nimirum WILLVGBEYVM, Dynaſten Parhamenſem, Societatis Praeſidem ſecundum nominatum fuiſſe.

In eadem hac optima eruditorum ſocietate, vir Cl. IOHANNES PRINGLE, M. D. et huius Societatis membrum,

* Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 174.

membrum, nummum illum memorialem, ut palmam a. d. trigeſimum nouembris praeteriti anni reportauit, qui ex teſtamento equitis cuiusdam, cui nomen erat COPLEY, illi quotannis a regia ſocietate tribuitur, qui nouis inuentis, experimentis aut obſeruationibus, alios antecellit. Argumentum, quo noſter huncce honorem promeruit, corruptionem et putrefactionem corporum naturalium concernit, quam ille per varia atque diuerſa naturae et artis producta, quae animalium et vegetabilium partibus admiſcuit, ſtudioſe ſatis disquiſiuit, et enatas inde lectu omnino dignas, in ſeptem diſſertationes collectas obſeruationes * cum regia ſocietate communicauit.

Quae *Göttingae* incomparabili ſcientiarum et literarum incrementum et florem iuuandi ſtudio flagrat regia ſocietas praeter iſta, de quibus in noſtris commentariis iam diximus, laude quam maxime digna inſtituta, in conuentu a. d. ſecundum menſis decembris praeteriti anni, habito, illud cepit atque publice poſtea expoſuit conſilium, ex quo illi eruditorum, nummus memorialis aureus, quinquaginta thalerorum valorem habens, ut praemium ad diem decimum menſis nouembris huius anni percipiendum, conſtituitur, qui optimam et omnium ſuffragio dignam diſſertationem, ſocie-

* Libro eius adiectae illae inueniuntur, cui ſequens eſt titulus: Obſervations on the Diſeaſes of the Army, in camp and Garriſon, in three Parts with an Appendix, containing ſome Papers of Experiments, read at ſeveral Meetings of the Royal Society. by IOH. PRINGLE M. D. F. R. S. London. 1752. 8. mai. Inſertae etiam leguntur optimo eruditae huius ſocietatis diario, quod Philoſophical Transactions appellatur. Nos tres priores diſſertationes excerpſimus de parte 495. et 496. huius diarii, in commentariis noſtris diſſerentes. v. Vol. I. P. IV. p. 698. 701. 706.; reliquas vero, de ipſo utiliſſimo libro prolixius proxime dicentes, proſecuturi ſumus.

ſocietati huic tradet. Materies disquiſitionum ex omni quocunque ſcientiarum genere deſumi, et ab ipſis, qui rem experiri cupiunt, eruditis eligi conſtituique poteſt; in iis tamen diiudicandis, rerum propoſitarum, quae nouae et ſufficientes probeque confirmatae, hinc verae ſunt, rationem in primis habituram ſe eſſe, praemonet ſocietas.

Illis, quae haud ita pridem indicauimus * in *Viennenſi* Academia factis, ad medicinam pertinentibus inſtitutis, illud adhuc adiungimus, quod ex Auguſtiſſimae Imperatricis voluntate artis ſalutaris Profeſſoribus ſingulare aedificium deſtinatum ſit, in quo illi, tanquam in collegio non tantum habitent, ſed ſuos etiam auditores edoceant.

Mutinenſem porro Ducem in urbe *Regium Lepidi* dicta, praeter alios, qui ſcientias doceant, viros eruditos, Matheſeos etiam et Phyſices, quae per experimenta illuſtratur, nouos Profeſſores, praeterito anno conſtituiſſe, exinde a nobis hic indicandum fuiſſe putauimus, quod phyſicam aeque ac ſalutarem artem emolumenti quidquam abinde accepturas eſſe ſperandum ſit.

Anatomicas illas Rudolſtadii inſtitutas, de quibus nos olim ** propoſuiſſe meminimus, disquiſitiones *Francobuſae* quoque ut urbe Principis et Domini Schwarzburgici ditioni ſimiliter ſubiecta, continuari, nuntiatur. Ita enim iulio menſe praeterlapſi anni, virum Cl. GVNTHERVM FRIDERICVM SEVBERLICH, M. D. conſiliarium Schwarzburgenſem et Medicum prouincialem, femininum corpus publice diſſecuiſſe, et in programmate huic anatomiae praemiſſo, de hydrope omenti ſaccato praefatum eſſe, relatum legimus.

Quam

* vid. Commentarior. noſtr. Vol. II. P. I. p. 173.
** l. c. Vol. I. P. II. p. 336.

Quam virum Cl. IO. GODOFREDVM ZINN, M. D. in *Göttingenſi* Academia nactum haud ita pridem eſſe indicauimus * medicinam extra ordinem docendi prouinciam, eam ille ad diem decimum tertium menſis ianuarii, habita oratione, de iis, quae in phyſiologicis doctrinis nos adhuc latent, adiit. Programma huius ſolemnitatis cauſa ab eo conſcriptum, thema, de ligamentis ciliaribus oculi, utiliter atque ſollicite pertractatum continet.

Munera porro et dignitates, quibus Cl. BVDAEVS, *Berolini* dum viueret, praefuit, in Cl. virum IO. FRIDERICVM MECKEL, M.D. et Anatomiae in Collegio medico Berolinenſi Profeſſorem huc usque ſecundum, ut et Academiae ſcientiarum Berolinenſis et Göttingenſis Socium, Regis Boruſſorum iuſſu, una cum annexis iisdem emolumentis, translatae fuerunt.

In perantiqua *Pragenſi* uniuerſitate vir Cl. IO. BAPTISTA BOHADSCH, Art. liberal. Philoſoph. et Medicinae Doctor, praeterito adhuc anno Hiſtoriae naturalis Profeſſor Regius Publicus Extraordinarius factus nominatusque fuit. Sedulus hic, et in naturali ſcientia, in Botanica in primis, ut ſcimus, excolenda huc usque occupatus ob diſſertationem de veris ſepiarum ouis, alibi ** a nobis laudatus vir, praeter hanc, quam ipſe nunc ornat ſpartam, regni etiam Bohemici naturam et reconditos in eo illius theſauros itineribus per illud inſtituendis, disquiſiturus et indagaturus erit.

Lutetiae Pariſiorum, Cl. SALVATOR MORAND, Acad. Scientiar. Petropolitan. Societatis Londinenſis et inſtituti Bononienſis Socius, in academia ſcientiarum, Pariſina, claſſi anatomicae adſcriptum, quod ſtipendium habet, membrum ordinarium, Academiae chirurgo-

* l. c. Vol. II. P. I. p. 179.
** l. c. Vol. I. P. IV. p. 588.

rurgorum Parisiensis Secretarius perpetuus, librorum censor regius, nosocomii, quod militibus regiis emeritis dicatum est, chirurgus primus, praeter haec cuncta, scientiae et meritorum testimonia, a Galliae Rege nobilitate non tantum donatus, sed nuperrime etiam ordinis a Sancto Michaele dicti equitum numero adscriptus fuit.

In *Parisiensi* Regia scientiarum academia vir Cl. et in physicis naturae disquisitionibus huc usque cum laude occupatus STEPHANVS HALES ex Regis Galliae voluntate membri extranei iocum occupauit, qui demortuo haud ita pridem IOHANNIS SLOANE in eadem eruditorum societate assignatus antea erat.

Londini vero, qui SLOANII loco Magnae Britanniae Regis sanitatem cum reliquis archiatris curet, nominatum fuisse legimus FRANCISCVM NICHOLLS, Societati Regiae scientiarum Londinensi adscriptum, et Medicum Regium huc usque extraordinarium.

Berolini ad diem vigesimum quintum decembris praeterlapsi anni rebus humanis interesse desiit, vir Cl. AVGVSTVS BVDAEVS M. D. Regis Borussiae Consiliar. Aulae et Archiater, supremi Regii Collegii medici membrum, Medico chirurgici itidem Collegii Berolinensis Professor Anatomiae et Physices, A. N. C. et Acad. Reg. Scientiar. Berolinensis socius. Eum, pie defuncti Borussorum Regis iussu atque stipendiis auctum, literarium iter olim instituisse, per triginta postea annos regiae familiae curam habuisse, et annum nunc quinquagesimum octauum agentem, apoplexia correptum subito exspirasse, accepimus.

Clarus omnino est, et famam habet, qui primus, ut scimus, ex eruditis ad nostram classem referendis, sub huius anni initium, die nimirum undecimo ianuarii

rii *Londini*, ex vita discessit IOHANNES SLOANE eques auratus anglicanus, et Regis Magnae Britanniae medicus primus, societatis regiae scientiarum anglicanae, ut et collegii medicorum Londinensium olim praeses, academiae scientiarum Parisinae, Berolinensis et Göttingensis socius extraneus, vir in naturae et artis thesauris colligendis et disquirendis, solertissimus, et ad vitae usque finem, quem ad centesimum usque annum fere extensum, illum a natura accepisse legimus, utilissimis aeque ac oblectamento plenis hisce laboribus deditus. Praeter libros * ab eo de hoc potissimum argumento conscriptos, et praeter insignem, quam inde consecutus est, famam, testem nominamus amplissimam et sumtuosam illam, quam undequaque depromtam habuit, rerum naturalium collectionem, quae

* Exceptis aliis ab eo forte confectis libris, et philosophicis transactionibus, ut et academiae Parisinae commentariis insertis dissertationibus, sequentes tantum nunc nobis occurrunt: Catalogus plantarum, quae in Insula Iamaica proueniunt, s. prodromus historiae naturalis Pars I. London. 1696. 8. A voyage to the Islands, Madera, Barbados, Nieves, S. Christophers and Iamaica, with the natural history of the Herbs and Trees, fourfooted Beasts, Fishes, Birds, Insects, Reptiles &c. of the last of those Islands. Vol. I. London 1707. fol. Vol. II. ib. 1725. fol. c. fig. copiosissimis. Indicem etiam omnium, quas in suis thesauris reconditas habuit, rerum naturalium, una cum earum descriptionibus prelo impressum et ad aliquot volumina extensum, prostare legimus quidem; eum vero nos nondum vidisse profitemur, nisi forte in eo error lateat, quod alteri volumini, secundi a nobis nunc indicati libri, breuis rerum naturalium tunc temporis, iam collectarum recensio annexa inueniatur. Succinctam interim de splendido hocce museo recensionem habet M. GEORGE WILHELM ALBERTI, *in seinen Briefen, betreffend den Zustand der Religion und Wissenschaften von Gross-Britannien, 2ter Theil. Hanover 1752. 8. im 21 Brief* p. 277. seq.

quae plus quam quinquaginta millia ponderum anglicanorum, ab harum rerum aequis atque peritis iudicibus aestimata, Magnae Britanniae Regi primum, ex testamento defuncti, una cum rarioribus, ab eo collectis et ordinatis, nummis, pro viginti millibus dictorum ponderum, et renuente illo, variis eruditis societatibus et uniuersitatibus pro eodem pretio, offerenda erat. Non diu tamen optimum regem de coemenda et conseruanda splendida hacce collectione dubitasse, exinde colligere licet, quod die iam decimo nono ianuarii, illius eum dominum euasisse, mandata insuper ab eo iam data fuisse legimus, quo aedificio isti, in quo a Regina CAROLINA piae memoriae, olim congestus splendidus et regius vere librorum thesaurus asseruatur, ab utroque latere, nouum adstruatur, ut egregii hi rerum naturalium thesauri, in iisdem reponi et in ordinem redacti, aliis etiam harum rerum studiosis, usui et oblectamento esse possint. Laude praeter ea digni, et in historiae naturalis, botanices in primis incrementum directi SLOANII nostri studii documentum illud est satis conspicuum, quod hortum Chelseae, haud procul ab urbe situm, plantis in medicina usu venientibus dicatum, societati pharmacopoeorum Londinensi iam ante aliquot annos dono dederit, cuius utilissimi instituti rationem reddunt Philosophicae Anglicanae Transactiones *.

In *Gröningensi* porro Academia ad diem decimum tertium eiusdem mensis ianuarii, obiit vir Cl. IOHANNES HENRICVS CRORSER, M. D. eiusdemque in ea professor publicus ordinarius, annum agens sexagesimum tertium.

Nostris etiam hisce catalogis inserendum esse putauimus, GEORGIVM BERKLEY, Theol. Doctorem et dioeceseos Cloyenensis, in Hibernia sitae, episcopum, qui

* Conf. n. 376. art. 1.

qui ſenio confectus, *Oxoniae*, ubi per tempus quietus, commoratus erat, ad diem decimum quartum menſis ianuarii vitam finiit. Hunc eius diſceſſum indicare, eo minus dubitauimus, quo maiorem ille, infuſo picis liquidae, famam atque celebritatem ſibi comparauit, quippe quod, ut medicinam, primus non tantum inuenit, commendauit atque deſcripſit, ſed in multis etiam ac deſperatis morbis, aegrotis ipſe exhibuit et prouenientes abinde effectus ſedulo annotauit atque congeſſit.

Hanouerae tandem ad diem decimum ſextum menſis februarii, breui, eoque acuto morbo oppreſſus, viuere deſiit Cl. AVGVSTVS LVDOVICVS DE HVGO, M. D. Aulae Regiae Britannicae et copiarum Hanoueranarum medicus, ex edita Göttingae anno huius ſeculi quadrageſimo ſexto de glandulis et ſpeciatim de thymo conſcripta optima diſſertatione, lectoribus noſtris iam cognitus, et a patruo, medico itidem clariſſimo, IO. AVGVSTO DE HVGO, qui ſenex iam Conſiliarii aulici et Archiatri Regis Magnae Britanniae munere fungitur, probe diſcernendus.

Ad Lectores.

De librorum phyſico medicorum indicibus monitum.

Licet omnem ſemper ſedulitatem, omneque ſtudium in eo poſuerimus, quo librorum ad medicinam et phyſicam, in quantum ea ſalutari arti iuncta eſt, pertinentium, catalogos, prout fieri poſſet, perfectos et abſolutos noſtris his commentariis ſubiungeremus, eos certe ut mancos et incompletos, utiles minus futuros eſſe, probe perſpicientes; in ipſa tamen ſuſcepti huius laboris continuatione, errorem omnem atque defectum euitari non potuiſſe intellexi-mus. Partim namque libri ſero nimis ad manus no-

ſtras peruenientes, aliorum partim vitiati et multis in locis laborantes, quos notauimus, tituli, eam nobis neceſſitatem impoſuerunt, ut alios eorum inſcii, alios vero, ut nondum ſatis cognitos, omitteremus, alios denique imperfectos tantum indicaremus. Quo interim ineuitabilem vere huncce defectum ſuppleamus, additamenta ad ſingulorum annorum catalogos conficiendi, et ea lectoribus noſtris tradendi, conſilium cepimus. Propoſitum inde nobis eſt, poſtremae ſecundi huius voluminis parti, ſupplementa ad anni huius ſeculi quinquageſimi et quinquageſimi primi a nobis iam traditos librorum catalogos pertinentia adiicere. Haec quo magis perfecta et numeris ſuis abſoluta euadant, omnes ac ſingulos eruditos, quibus inſtitutum hoc noſtrum non diſplicet, rogatos cupimus, velint, pro ſuo in literas fauore, librorum, indicatis antea annis impreſſorum, et ad noſtram claſſem pertinentium, a nobis praeteruiſos, aut minus recte notatos titulos, ſollicite et cum cura exſcriptos, aliquot ſaltim ante feſtum Michaelis huius anni ſeptimanas, omni, quae ipſis et nobis commoda eſt, occaſione ad officinam librariam Gleditſchianam transmittere.

Exhibemus nunc:

XIX.

Continuationem indicis ſcriptorum Phyſico Medicorum quae anno 1752. prodierunt.

ANDR. ELIAS BVCHNER, Diſſ. de intempeſtiuo diureticorum uſu, frequenti affectuum nephriticorum cauſa, Reſp. *Gottl Chriſt. Gotthold Webel*, Hal. 4.

Eiusd. Diſſ. de varia medendi methodo pro aetatum diuerſitate, Reſp. *Io. Conrad. Roſe*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de celeri corporis incremento poſt febres, Reſp. *Henr. Arnold. Mallinkrot*, ibid. 4.

ANDR.

ANDR. ELIAS BVCHNER, Diſſ. de cura dentium ad ſanitatem proficua, Reſp. *Carol. Gottlob Stumpf*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de debilitate ab imminuto partium C. H. motricium elaſtico vitali motu pendente, Reſp. *Io. Daniel Gerlach*, ibid. 4.

Eiusd. de temperamentorum ratione in ſemiologicis habenda, Reſp. *Carl Gottlob Gaebel*, ibid. 4.

HEINR. WILHELM BÜCKING, *Abhandlung von der Blutader Oefnung, wie ſolche am ſicherſten zu verrichten, nebſt Anhange von Hühner- und Krähen-Augen. Wolffenbüttel*, 8. *mit Kupfern.*

GOTTFR. HEINRICH BVRGHART, *Sendſchreiben betreffend einen zweyleibigen ſonderbar geſtalten Mann* Antonio Martinelli, *und eine Poſiturmacherin, desgleichen verſchiedene andre in die Naturgeſchichte Schleſiens und die Arzneykunſt einſchlagende Sachen, Franckfurth an der Oder*, 8. *mit Kupfern.*

CHRIST. GOTTLIEB BÜTTNERS *anatomiſche Anmerkungen bey einem mit auswerts hangenden Herzen lebendig gebohrnen Kinde, und denn bey Gelegenheit einer todgebohrnen zweyköpfigen Mißgeburth nebſt Erörterung einiger curieuſen Fragen, Kœnigsberg und Leipzig*, 4. *mit Kupfern.*

IEREM. BVRSEN, *Erklärung der electriſchen und magnetiſchen Kräfte, Frf. und Leipzig*, 8.

Traité de la petite verole, communiquée par l'inoculation, par Mr. BVTINI, à Paris, 8.

Lettres ſur les nouveaux bains medicinaux par M. C. à Paris, 12.

AVGVST CALMELTS *Verhandlung der Materie von Erſcheinungen der Geiſter, und denen Vampiren in Ungarn, Mähren etc. darinne auch von Zaubereyen, von Beſeſſenen und Bezauberten etc. gehandelt wird, aus dem Franzœſiſchen überſezt*, 2 *Theil, 2te Auflage, Augſpurg*, 8.

Traité sur les aimans artificiels, traduit de l'anglois de I. MICHEL et I. CANTON, par le P. RIVOIRE, à Paris, 12.

IO. FRIDER. CARTHEVSER, Tabulae formularum medicarum praescriptioni inseruientes, editio 2da, Francf. ad Viadr. 8.

Recueil des pieces concernant l'operation de la taille, qui contient la description des plusieurs lithotomes composés, celle d'une tenette à briser la pierre celle des diverses situations du pierreux dans l'operation de la taille, leurs avantages et leurs inconveniens, discutés par les critiques reciproques etc. avec la reponse aux derniers ecrits de l'anonyme auteur du recueil in 12. des pieces importantes sur l'operation de la taille faite par le lithotome caché, par CLAVDE NIC. LE CAT, à Rouen, 8. c. fig.

WILHELM. IAC. VAN CATZ, Diss. de febre ardente, Trai. ad Rhen. 4.

PETR. SAMVEL. DE CHAVFEPIE, Diss. de malo hysterico, Lugd. Bat. 4.

Lettres a Mr. de Iean 1) sur les maladies de St. Domingue 2) sur les plantes de la même 3) sur le remora et les halcyons, par M. CHEVALIER, à Paris, 8.

IO. DAMIAN CHEVALIER quaest. med. an per suffitum felicior et tutior, quam per inunctionem mercurialem morbi venerei curatio? Resp. *Ludov. Petr. Felix Renatus à Thieullier*, à Paris, 4.

Supplement historique du voyage à l'Equateur, et au livre de la mesure des trois premiers degrés du meridien, servant de reponse à quelques objections par Mr. DE LA CONDAMINE, ibid. 4. mai.

Natural history of fossils by EMANVEL MENDES DA COSTA, Tom. II. London, 4.

Nouvelles experiences et observations sur les eaux minerales de l'Allemagne, où l'on donne la maniere de s'en servir pour la conservation de la santé et la guerison des maladies, traduite du FREDERIC HOFF-

HOFFMANN, corrigées miſes en ordre par Mr. COSTE, Berlin. 8. mai.

MICHAEL PROCOP. COVTEAVX quaeſt. med. an ſimplicia pulmonum vulnera acie facta, ſolis diaeta et venae ſectione ſanentur? Reſp. *Petr. Abrah. Pajon de Moncets*, Paris, 4.

IO. FRANC. COVTHIER quaeſt. med. an infauſtus bubonoceles eventus ab operatione procraſtinata? Reſp. *Simon Anton Bringaud*, Paris, 4.

Art de la verrerie de NERI, MERRET et KVNCKEL, auquel on a ajouté le Sol ſine veſte d' orschal, l' Helioſcopium videndi ſine veſte ſolem chymicum, le Sol non ſine veſte, le chapit: XIme de flora Saturnizans de Mr. HENCKEL, une memoire ſur la maniere de faire le ſaffre, le Secret de vraies Porcellaines de la Chine et de Saxe, traduit de l' Allemand par Mr. M. D. à Paris. 4. c. fig.

Roſs-Arzney-Büchlein, nebſt einem Anhange von Rind-Vieh-Arzeneyen, zuſammen getragen von IOH. DELIGENDESCH, *Tübingen*, 12. *neue Auflage.*

HENR. FRID. DELII animadverſiones in doctrinam de irritabilitate, tono, ſenſatione et motu corporis humani, Erlang, 4.

IOH. DAN. DENSO *monathliche Beyträge zur Naturkunde, 1tes-6tes Stück, Berlin*, 8.

Cours de phyſique experimentale par le Doct. I. T. DESAGVLIERS, traduit de l' Anglois par LE R. P. PEZENAS, Tom. II. Marſeille, 4. c. fig

GEORG. CHRIST. DETHARDING, Progr. de praeſtantia ſcientiae anatomicae ex autopſia, prae ea, quam nobis ex libris anatomicis comparamus, Roſtock, 4.

IOH. DISSELII Diſſ. de ſpina ventoſa, Kilon. 4.

I. S. DODD, Eſſay towards a natural hiſtory of the herring, London.

IO. IGNAT. IOSEPH. DOELLINGER Diſſ. de effectibus irae, medice conſideratae, Würzburg, 4.

HEINR. FRANC. LE DRAN *chirurgiſche Anmerkungen, ſamt angefügten vielfältigen Bedencken darüber, zum Beſten der Chirurgie Befliſſenen in zweyen Theilen beſchrieben*, Leipz. 8.

BERNH. GEORGE DRECKMANN *kurze Nachricht von dem Zuſtande der Arzney-Kunſt, ſonderlich in den Tagen der Alten*, Halle, 4.

IVLIVS FRID. DROYSEN Diſſ. de renibus et capſulis renalibus, Götting. 4.

FRANC. IOH. DVTOY Diſſ. de reſpiratione, Reſp. *Maurit. Adolph Meyer de Mayersbach*, Pragae, 8.

EMMAN. MAVRIT. DVVERNEY, quaeſt. med. an multis in morbis eluceſcat corporis mechanismus, Reſp. *Iac. Franciſc. Latier*, Paris, 4.

KENELM DYGBY *entdeckte Heimlichkeiten der Natur bey der Sympathie, Erf. und Leipz.* 8.

IO. PETER EBERHARD Diſſ. ſenſationum theoria phyſica, geometrice demonſtrata, Reſp. *Sam. Auguſt Clauswitz*, Hal. 4.

Eiusd. Conſpectus phyſiologiae et diaeteticae tabulis expreſſus, Halae, 8.

Eiusd. *Betrachtungen über einige Materien aus der Naturlehre; nebſt einem Anhange von einer beſondern Entſtehungs-Art des Schalls*, Halle, 8.

GEORG HEINR. EISENMANN, Tabulae anatomicae quatuor, uteri duplicis obſeruationem rariorem ſiſtentes, mandato facultatis medicae Argentoratenſis editae, Argent. fol. mai. c. fig.

Idem liber gallice verſus, ibid. eod. fol. mai.

WILHELM ELLIS, *von Erbauung des Zimmerholtzes, oder die vorzügliche Art, verſchiedene Ländereyen mit gutem Zimmerholtze zuverſehen, wie auch von denjenigen Obſtbäumen, deren Holtz den Eigenthümern den meiſten Vortheil bringt; aus dem Engliſchen überſetzt*, Leipz. 8.

CHRIST. FRIDER. ENGELMANN Diſſ. de motibus conuulſiuis atque conuulſionibus a partu difficili, Altorf, 4.

Unterricht von einer kurz und beſonders zu verfaſſenden Hiſtorie der nützlichen Kräuter, Pflanzen und Bäume, Memmingen, 4. (*auct.* BALTHASAR ERHART.)

CHRIST. EHRENFRIED ESCHENBACHS *gegründeter Bericht von dem Erfolge der Operationen des Engliſchen Oculiſten* Taylors, *in verſchiedenen Städten Deutſchlandes, beſonders in Roſtock, Roſtock*, 8.

L. EVLERI opuſculorum Tom. III. continens nouam theoriam magnetis, una cum non nullis aliis diſſ. analytico mechanicis, Berol. 4. c. fig.

CAMILL. FALCONET quaeſt. med. an legitimae vulnerum ſuppurationi promouendae cortex peruuianus? Reſp. *Ludov. Anna Lavirotte*, Paris, 4.

IOH. FRIDER. FASELI Diſſ. de pulmonibus, organis humores ad futuras ſecretiones praeparantibus, nec non ſanguificationis atque nutritionis primariis, Reſp. *Io. Iac. Perthes*, Ien. 4.

IOH. FATIO *Helvetiſche vernünftige Wehmutter; oder Unterricht, wie mit den Schwangern, Gebährenden, Kindbetterinnen und neugebohrnen Kindern &c. umzugehen; ſamt einer ausführlichen Beſchreibung von Fortpflanzung des menſchlichen Geſchlechts &c. Baſel, 4. mit Kupfern.*

A ſyllabus of the contents and order of a courſe of lectures on the principal parts of the animal oeconomy, by MALCOLM FLEMYNG, Lond. 8.

Splanchnologie raiſonnée; redigée en demonſtrations où l'on traite de l'anatomie et du mechanisme des viſceres du corps humain par Mr. FLVRANT, Tom. I. et II. à Paris, 12.

Experiences et obſervations, ſur l'electricité faites à Philadelphia en Amerique par Mr. BENI. FRANC-

LIN &c. communiquées dans pluſieurs lettres à Mr. PETER COLLINSON, de la Societé Royale de Londre, traduites de l'anglois, à Paris, 8.

CLAVD. DE LA VIGNE DE FRECHEVILLE quaeſt. med an in febribus curandis venae ſectio, cautela tantum? Reſp. *Edmund Thomas Moreau*, Paris, 4.

A Treatiſe on the nature and properties of fire; in three Eſſays: 1. Shewing the cauſe of vitality and muſcular motion, with many other phaenomena. 2. On Electricity. 3. Shewing the mechanical cauſe of magnetism, and why the compaſs varies in the manner it does, by IOHN FREKE, London, 8.

IO. HERM. FÜRSTENAV medicinae forenſis contractae Spec. I. Reſp. *Chriſtoph Rudolph Boedecker*, Rintel. 4.

Eiusd. Spec. II. Reſp. *Phil. Carol. Reſe*, ibid. 4.

Eiusd. Spec. III. Reſp. *Carol. Godfr. Fürſtenau*, ibid. 4.

I. C. G. *Rechte und wahrhafte Färbekunſt, worinne gewieſen wird, wie man alle Farben auf 4. bis ſerley Art färben kann &c. andere Auflage*, Langenſaltz, 8.

IO. MICH. GALLAO Opuſcula medico practica, varii argumenti, Romae, 4.

THOM. RENATVS GASNIER quaeſt. med. utrum in febribus malignis, cutis intacta veſicantibus applicitis ſignum lethale? Reſp. *Simon Anton Bringaud*, Paris, 4.

HIER. DAVID GAVBII methodus concinnandi formulas medicamentorum, editio auctior, Leidae, 8.

Entdeckte Gruft natürlicher Geheimniſſe; oder gewiſſe durch Experimente bewährte Künſte &c. die Land-Güter mercklich zu verbeſſern, den Ackersmann reich zu machen; neue Auflage mit Anmerkungen und Erläuterungen. herausgegeben von C. L. B. V. G. (*Chriſtian Bachhelbel v. Gehaag,*) *Leipz.* 8. *mit Kupfern.*

Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des inſectes par CHARLES DE GEER, Tom. I. Stockholm. 4. mai.

Oſtindi-

Oſtindiſche Naturgeſchichte, Sitten und Alterthümer, inſonderheit bey den Malabaren, ſo aus den Berichten der Königl. Däniſchen Miſſion zuſammen getragen von GVSTAV FRIEDR. GERBETT, *Halle*, 8.

OTTO GESENIVS *Verſuch einer allgemeinen Betrachtung der Wechſel-Fieber und ihrer Wirckung in die Geſundheit des menſchlichen Körpers, Helmſt.* 8.

IOH. GESNERI Diſſ. de petrificatorum differentiis et varia origine, Reſp. *David a Moos, Caſparus Ammianus, Felix Hofmeiſterus Rodolphus Dænckerus, Henricus Kilchſpergerus, Ioh. Luc. Salomon Wolfius*, Tiguri, 4.

GEORG. WOLFFG. GILG Diſſ. de exploratione grauidarum eiusque utilitate et neceſſitate, Argent. 4.

An Account of the ancient Baths, and their uſe in Phyſic, by THOM. GLASS, London, 8.

IOH. GEORGE GMELINS *Reiſe durch Sibirien, 2ter Theil, Götting.* 8. mai. *mit Kupfern.*

Deſſelben 3ter Theil, ibid. 8. mai. *mit Kupfern.*

Deſſelben 4ter und lezter Theil, ibid. 8. mai. *m. K.*

Eiusd. Florae Sibiricae, Tom. II. Petersburg, (1749) 1752. 4. mai. c. fig.

Eiusd. Diſſ. de Caffée, Reſp. *Chriſtoph Samſon Georgi*, Tubing. 4.

IO. GOTTSCHALCH, Meditationes de motus muſcularis cauſis praeſertim occaſionalibus, Reſp. *Chriſt. Friis Rottböll*, Haffniae, 4.

De colica Pictonum tentamen, acc. de natura ſede et origine hydatidum diſquiſitio; auctore IOH. GRASHVIS, Amſtelod. 8. mai.

A Diſſertation on ſuppuration translated from the latin of IOHN GRASHVIS, M.D. Lond. 8.

I. IVST GRVMBRECHTS *wahrhafter Bericht von einer vernünftigen Cur, welche derſelbe an einer Frauensperſon verrichtet, Hildesheim*, 4.

IOH. GVFERS *kleine Hauſs-Apothecke, darinne allerhand Arzney auch von den geringſten Sachen beſchrieben werden, Wien*, 12.

Erklär-

Erklärte Anatomie für Hebammen, ſamt derſelben Nutzanwendung zur Praxi geſchrieben, und in Druck gegeben von GEORGE FRIEDRICH GVTTERMANN, *Augſpurg*, 8.

Abhandlung von der Verdickung des Geblüts in der Lunge, nebſt angehengter Vorrede von den medicimiſchen Neid von I. N. H. *Erfurt*, 8.

ALBERT. DE HALLER Iconum anatomicarum faſciculus V. arterias pedis exhibens, Götting. fol. mai. c. fig.

Index ſeptem voluminum diſſertationum academicarum ſelectarum, quas collegit et edidit ALB. DE HALLER, ibid. 4. (auct. CHR. LVD. WILLIG.)

Eiusd. Diſſ. de praeſtantia remediorum vegetabilium, Reſp. *Otto Geſenius*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de malo hypochondriaco, Reſp. *Petr. Ioſeph. Stirtz*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de purpura, Reſp. *Allen Swainſton*, ibid. 4.

Eiusd. Elemens de Phyſiologie, à Paris, 8. mai.

Lettre de Mr. HALLER à Mr. DE MAVPERTVIS ſur une brochure de Mr. de la M. avec la reponſe de Mr. DE MAVPERTVIS, *Franzöſiſch und Deutſch, Erf. und Leipz.* 8.

THEOPH. EMAN. V. HALLER Epiſtola, in qua nuper propoſita dubia contra CAROL. LINNAEVM illuſtrat, Götting. 4.

GEORG. ERH. HAMBERGERI Progr. de peruerſa valetudinis cura, 3.-5. Ien. 4.

Eiusd. Diſſ. diarrhoeae pathologiam ſiſtens, Reſp. *Gerhard Meier*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de frigore ſymptomatico, Reſp. *Ioh. Frid. Schickard*, ibid. 4.

IO. ERNST HEBENSTREIT, Diſſ. ſiſtens palaeologiae ſpec. 29. de fonte medicamentorum remotas vias purgantium, Reſp. *Ioh. Chriſtoph Hebenſtreit*, Lipſ. 4.

IO. ERNST HEBENSTREIT, Progr. palaeologiae therapiae ſpecim. 30. de antiſpaſticis, Lipſ. 4.

Eiusd. Progr. palaeologiae therapiae ſpecim. 31. de alterantibus, ibid. 4.

Eiusd. Progr. περι ἀναφωνήσεως ſeu de declamatione antiquae gymnaſticae parte, ibid. 4.

IOH. NIKOL. HELD *Sendſchreiben an einen guten Freund von der Erkänntniſs Gottes und ſeiner ſelbſt aus der Anatomie, Erf am Mayn.* 8.

GER. NICOL. HEERKENS de officio medici poema dedicatum Aug. Mariae Quirino, accedunt, 2 Epiſtolae, 1) ad illuſtriſſ. virum *Iac. le Franc*, 2) ad *Iac. de Bunting*, Grœning. 8.

LAVR. HEISTERS *practiſches mediciniſches Handbuch, Leipz. 8. neue Auflage.*

Eiusd. Chirurgie, *neue viel verbeſſerte Auflage, Nürnberg*, 4.

A compendium of anatomy, by LAVRENCE HEISTER, translated from the laſt edition in latin, greatly augmented and improved by the author: to which are added notes by M. HVNAVLT and the editor, London. 8.

Eiusd. Progr. quo ad lectiones inuitat atque ſimul iniquum lipſienſium iudicium de noua ſuarum Inſtit. Chirurg. editione latina amſtelodamenſi in commentariis ſuis nouis de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis, relatum, retundit atque eneruat, Helmſtadii, 4.

IO. CLAVD. ADRIANVS HELVETVS quaeſt. med. an oſſa prope articulum fracta, poſt calli geneſin leni motu exercenda? Reſp. *Petr. Lud. Maria Moloët*, Paris, 4.

Eiusd. Principia phyſico medica in Tyronum medicinae gratiam conſcripta, 2 Voll. Paris, 8.

IO. HERMENT quaeſt. med. utrum in arteriarum vulneribus tutum haemorrhagiae ſiſtendae auxilium fungus

fungus maximus, rotundus puluerulentus IOHANNIS BAVHINI? Resp. *Paulus le Roy*, Paris, 4.

GEORGE HEVERMANNS *Physiologie 2ter Theil, welcher eine deutliche Beschreibung der vornehmsten Wirkungen und Verrichtungen der Seele in sich enthält*, *Coppenh. und Leipz.* 8.

I. G. H. (HEVMANN) Commentaria in H. BOERHAAVE institutiones medicas, Vol. IV. Lugd. Bat. 8.

Essays in natural history and philosophy containing a series of discoveries by the assistance of microscopes, by IO. HILL, London, 8.

IOH. MICH. HOFFINGERI Diss. de doloribus parturientium, Viennae, 4.

FRIEDRICH HOFFMANNS *politischer Medicus; oder Klugheits-Regeln vor neu angehende* medicos practicos, *auf Verlangen übersetzt von* IOH. MORITZ AVERBACH, *Leipz.* 8.

Eiusd. *vollständige Anweisung zur medicinischen Praxi, herausgegeben von* GEORCE FRIEDR. REINMANN, Ulm, 8.

Discours sur l'utilité des passions par rapport à la santé, avec un éloge historique de Mr. PETIT, et l'art de conserver sa santé reduit à un seul principe par Mr. HOIN, Dijon, 8.

IOH. HVARTS *Prüfung der Köpfe zu denen Wissenschaften &c. aus dem Spanischen übersetzt von* GOTTHOLD EPHRAIM LESSING, *Zerbst*, 8.

Obseruationes de aere et morbis epidemicis ab an. 1728. ad finem anni 1738. Plymuthi factae. Huic accedit opusculum de morbo colico Damnonienſi, auct. IO. HVXHAM, Lond. 8. mai. editio secunda.

Obseruationum de aere et morbis epidemicis &c. volumen alterum; ab anni nimirum 1738. ad exitum usque 1748. auct. IO. HVXHAM, Lond. 8.

Essai sur les differentes especes de fievres en tant qu'elles dependent des differentes constitutions du sang; avec des dissertations sur les fievres lentes nerveu-

ses,

ſes, putrides, peſtilentielles, et pourprées, ſur la petite verole, ſur les pleureſies et les péripneumonies, par IEAN HVXHAM; on y a joint deux autres eſſais, l'un ſur la maniere de nourrir et d'elever les enfans depuis leurs naiſſances jusqu'à l'age de trois ans; l'autre ſur leurs differentes maladies; le tout traduit de l'Anglois par Meſſieurs EIDOWS et LAVERIE, à Paris, 12.

GABRIEL ANTON IAQVES quaeſt. med. an peripneumoniae putridae, vomitoria? Reſp. *Claud. Thom. Guilielm. Gilbert. de Preval*, Paris, 4.

A ſermon preached before his grace CHARLES DVKE OF MARLBOROVGH, Preſident, the vice Preſidents and Governors of the Hoſpital for the ſmall pox and for inoculation, by ISAAC, Lord Bishop of Worcheſter, Lond. 4

IO. IVNCKERI Diſſ. de aſthmatis vera pathologia et rationali therapia, Reſp. *Carol. Wendt*, Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. de fluore albo titulo quidem et ortu benigno, curatione autem ſaepius maligno, Reſp. *Georg. Henric. Stammler*, ibid. 4.

FRIDER. CHRIST. IVNCKER, Diſſ. de tonitru magno ſub pluuia perſonante et miteſcente, Reſp. *Io. Conr. Philip. Zimmermann*, ibid. 4.

ANTON DE IVSSIEV quaeſt. med. an in cataracta potior lentis cryſtallinae extractio per inciſionem in cornea, quam depreſſio per acum, Reſp. *Io. Bapt. Thurant*, Paris, 4.

Le ſecret des nouvelles teintures de Saxe, avec quelques reflexions ſur la theorie et ſur les avantages des ces nouvelles teintures, par I. H. G. IVSTI, traduit de l'allemand, à Paris, 12.

CAROL. FRID. KALTSCHMID Diſſ. de ſignis grauiditatis certis, Reſp. *Io. Chriſtoph Harres*, Ien. 4.

Eiusd. Diſſ. de phthiſi pulmonali eiusque praeſeruatione, Reſp. *Phil. Bernh. Pettmann*, ibid. 4.

Conten-

Contenta in hac parte.

1. Hiſt. et mem. de l'academie royale des ſciences de Paris an. 1747. p. 193
2. GRASHVIS de colica pictonum tentamen p. 241
3. BOEHMERI Obſeruationum anatomicarum rariorum faſciculus p. 247
4. GESNERI Diſſ. de petrifactorum differentia et varia origine p. 251
5. Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle ſur la phyſique et ſur la peinture p. 254
6. NICOLAI Syſtema Materiae medicae Tom. I. et II. p. 267
7. GMELINI Flora ſibirica Tom. II. p. 276
8. DE MAVPERTVIS Lettres p. 286
9 DE HAHN Morbilli variolarum vindices p. 301
10. Commentarii academiae ſcientiarum imperialis petropolitanae Tom. *XIII.* et *XIV.* p. 307
11. ZIMMERMANN Diſſ. de irritabilitate p. 323
12. DE MAGNY An a vaſorum aucta et imminuta irritabilitate omnis morbus? p. 331
13. Epitome aliquarum obſeruationum de rebus medicis in promptuario viris ingenuis dicato (*Gentleman's Magazin*) contentarum p. 333
14. SCHAEFFERI Apus piſciformis inſecti aquatici ſpecies p. 350
15. DE IVSSIEV An in cataracta potior lentis cryſtallinae extractio per inciſionem in cornea quam depreſſio per acum? p. 352
16. POVSSE Utrum in deprimenda cataracta ipſius capſula interne et poſtice ſit primum ſecanda? p. 357
17. SCHOMBERG Aphoriſmi practici p. 359
18. Noua medica p. 361
19. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum quae 1752. prodierunt p. 370

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS II. PARS III.

LIPSIAE
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
venduntur etiam
AMSTELODAMI apud PETRVM MORTIER.
M D C C L I I I.

Jos: Banks



I.

CONRADI GESNERI Opera Botanica, per duo ſaecula deſiderata, quorum pars prima prodromi loco continet figuras ultra 400. minoris formae, partim ligno exciſas, partim aeri inſculptas, omnia ex Bibliotheca D. CHRIST. IAC. TREW nunc primum in lucem edidit et praefatua eſt D. CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIEDEL Anat. et Bot. Prof. Erlang. Norimbergae impenſis Ioh. Mich. Seligmann. 1753. fol. regal. Alph. 2½. pl. 2. Tab. aen. et lign. 42.

Quo maiorem ſuis ſcriptis, in omni fere ſcientiarum genere editis, gloriam conſequutus fuit GESNERVS, et quo maiori aeſtimatione ea hiſce etiam temporibus excipi ſolent, eo maiori certe deſiderio opera botanica, ab eodem ſuis haeredibus relicta, expectarunt hiſtoriae naturalis cultores. Primum enim eo tempore inter phytologos iure occupauit locum, primus certe fuit, qui rudem atque indigeſtam plantarum molem in ordinem, a primariis fructificationis partibus, flore ſcilicet et fructu, deſumtum, digerere allaborauit, quique hac methodo concinnatam uniuerſalem plantarum hiſtoriam edere voluit.

Quod etiam ſolus GESNERVS praeſtare potuiſſet, niſi praematura morte fuiſſet e viuis ſublatus. Ab amicis enim, et cum quibus commercium litterarium habuit, maximam plantarum exſiccatarum vel delineatarum copiam obtinuit, et ipſe non ſine multo labore plurimos ex itineribus, extra et intra Heluetiam ſuſceptis, in natali ſolo indagauit, easque vel exſiccatas vel viuas adportauit; has in proprio horto coluit, earum vires explorauit, et in primis partium ſtructuram ſollicite extricauit; porro etiam non ſolum ipſe earundem icones perita manu exaravit et communicatas rudiori ſtylo delineatas, nitidiores fecit, ſed et pictores conduxit, qui ſingulari artificio figuras tam in chartas, quam in ligna coniecerunt. Has icones omnes edere, iisque explicationem adiicere voluit GESNERVS, et quidem de qualibet planta 1) nomina diuerſa, ex notiſſimis linguis mutuata, praemittere, 2) deſcriptiones tam veterum, quam recentiorum eiusdem temporis auctorum, interſperſis ubique emendationibus, ex partibus plantae ſexuque deſumtis, addere, 3) tempus florendi et loca natalia annotare, 4) ſym- et antipathias enarrare, 5) culturam variaque ad rem ruſticam ſpectantia, deſcribere, 6) uſum et remedia inde paranda explicare, hisque omnibus 7) philologiam ſubiungere, in animo habuit. Maximam materiei partem ordine, ſecundum alphabeti ſeriem inſtructo, ipſe iam iam elaborauerat, licet per ſchedia adhuc diſſeminata eſſet, cum praematura morte an. 1565. extingueretur Auctor. Inſtante vero mortis termino a CASP. WOLPHIO, Tigurino medico, petiit, ut opus hoc imperfectum abſolueret atque ederet. Qui etiam, eius voluntati obediens, omnia ad hanc rem pertinentia, certo pretio ab haeredibus accepit, poſt ea aliquo modo digeſſit, utque ex parte promiſſis ſatisfaceret, an. 1566. ſuam de publicanda hac ſtirpium hiſtoria pollicitationem edidit, atque generalem

lem totius operis ideam exhibuit. Ab hoc tempore per quindecim annos in eadem ulterius elaboranda occupatus plenum omnium figurarum indicem confecit, et icones, in formis ligneis iam sculptas, vel modo delineatas, propriis nominibus insigniuit, et quo perfectissimum fieret opus, varios viros, in primis IO. BAVHINVM et THOM. PENNEIVM in subsidium adsciuit. Quibus praestitis, WOLPHIVS ipse elaborationem operis inchoauit librique primi octoginta capita perfecit. Ut vero experiretur, num eius labor eruditis placeret, aliquam operis partem IOH. CRATONI misit, cuius etiam fragmentum, a Cel. IOH. GESNERO communicatum, huic nunc edito volumini insertum legitur. Edidit etiam an. 1577. epistolarum GESNERI tres libros, et hisce denuo speciminis loco adiunxit librum de Aconito primo DIOSCORIDIS. Voluisset etiam WOLPHIVS lubenter in concinnanda hac atque perficienda plantarum historia ulterius desudare, sed rerum multitudine et publicis priuatisque negotiis nec non grauissimis morbis impeditus, id efficere non potuit. Ideoque alium, huic operi parem, quaesiuit virum, cui omnia quidem tradere, nihilo minus tamen institutum sua adhuc opera promouere posset; quem etiam in IOACHIMO CAMERARIO, physico Norimbergae ordinario felici omine an. 1581. inuenit. Hic pro universa GESNERI supelectile herbaria centum et quinquaginta florenos, pro PLINIO vero, DIOSCORIDE et THEOPHRASTO, quos Auctoris copiosissimis adnotationibus idem adornauerat, viginti quinque florenos WOLPHIO soluit. Firmiter quidem primum sibi proposuerat CAMERARIVS, operis totius elaborationem secundum GESNERI voluntatem perficere, sed post ea consilium mutauit, et partem modo figurarum aliquam partim epitomes Matthioli nouae editioni, partim herbario suo germanico, additis non nullis propria manu confectis iconibus,

inſeruit. Quibus publicae luci expoſitis denuo ad perficiendam ſtirpium hiſtoriam animum compoſuit, acceperat enim a WOLPHIO nouas plantarum figuras, omnia etiam iam iam elaborata capita cum CLVSIO communicauit, qui ſuam ubique ſententiam candide ipſi aperuit, IOACH. quoque IVNGERMANNVS et THOMAS PENNEIVS multis modis eiusdem labores promouerunt. Verum ingruentis ſenectutis grauitas, et fatalis IVNGERMANNI ipſiusque CAMERARII an. 1598. obitus irrita fecere omnia. Praeceperat quidem teſtamento, ut omnia Geſneriana poſt mortem ederentur. Aſt mortuo patre, haereditas inter filios diuiſa fuit, et maxima horum pars ad IOACH. CAMERARIVM *tertium*, et duo minora volumina ad *Ludouicum* migrarunt. Diſperſa hoc modo collectione, operis quoque editio ceſſauit. An. 1642. moritur IOACHIMVS, et cum nullum haberet filium, eius haereditatem una cum ſupellectile botanica filiae ſoboles IOACHIMVS NVZELIVS acquiſiuit, a quo deinde anno circiter 1658. eam theſauri partem IO. GEORG. VOLCKAMERVS obtinuit. Quo 1693. mortuo bibliothecam quidem, filii eius nacti ſunt, maritus tamen filiae natu maioris THOMASIVS plurimos codices et duo figurarum Geſnerianarum volumina accepit, quae ultimo deinde a filio GEORG. VOLCKAMERO recuperata fuerunt, a quo an. 1744. iuſto pretio Illuſtris TREWIVS coemit. Haec mox codex Kentmannianus, vt et formae lignorum, partim ſculptorum, partim delineatorum ſunt ſecutae, tandemque ex bibliotheca THOMASII codex VALERII CORDI, a GESNERO annotationibus illuſtratus, nec non LOBELII opus, quo CAMERARIVS uſus fuerat, et non nullas pictas imagines adnexas habet, quibus KENTMANNI nomen inſcriptum erat. Acceperat porro aliquam ſupellectilis herbariae partem ex haereditate IOACH. CAMERARII filius LVDOVICVS, quo an. 1651. mortuo,

tuo, filius eius IOACHIMVS eam obtinuit; et hoc an. 1687. defuncto, IOH. PHILIPPVS eiusdem thesauri possessor, haereditatis iure, constitutus fuit. Huius autem bibliotheca infelici Heidelbergensi incendio an. 1693. fuit consumta, ast, felici casu, manuscriptae chartae, et inter has etiam Gesnerianae, integrae adhuc conseruatae fuerunt. Hinc et eodem e viuis sublato, an. 1710. chartas hasce obtinuit PHIL. ENGELBERTVS ADAMVS CAMERARIVS, qui an. 1741. exspirauit. Mater vero vidua superstes testamento dispossuit, ut haec duo volumina picturarum, una cum septem voluminibus manu scriptorum instructissimae TREWII bibliothecae traderentur. Post haec a praeclaris viris varii ad Ill. TREWIVM missi sunt codices. Ita IOHANNES GESNERVS Prof. Tigur. italicam MATTHIOLI et latinam TRAGI editionem, utramque copiosis annotationibus a GESNERO illustratam, cum eodem communicauit, et IOH. ALBERT. GESNERVS, Protomedicus Würtembergicus FVCHSII icones tradidit. En compendium historiae, quam operi huic praemisit Cl. SCHMIEDELIVS, supereſt vero, ut etiam de figuris sculptis, editis ac ineditis pictisque quaedam ex eadem repetamus. Sculpendas curauit GESNERVS figuras minoris formae, quibus integer plantae habitus, imminuta modo naturali magnitudine, partesque earum, et illae in primis, quae characteris cognitionem sistunt, maiori in forma exhibentur. Has icones a CAMERARIO emtas fuisse, superius indicauimus, et cum ille nouam compendii de plantis, a MATTHIOLO editi, editionem adornaret, nomina et descriptiones non modo emendauit, sed et picturas plantarum accuratiores, partiumque figuram et numerum exhibentes, nondum eo tempore visas, Gesnerianas addidit, aliasque nouas stirpes adiecit. Edidit etiam eodem tempore germanicum herbarium, in quo, paucis modo exceptis, eaedem fere

omnes figurae denuo continentur, et nouae tantum duodecim acceſſerunt. Biennio poſt an. 1590. iterum illud recuſum fuit, in eo modo a priori differens, quod figurae 21. in horto philoſophico editae, eidem inſertae, duaeque nouae additae fuerint, ita, ut nunc numerus omnium eſſet 1037. In horto philoſophico et THALII ſylua 56. continentur icones, quae propter nitorem atque praeſtantiam GESNERO tribuuntur, aſt CAMERARIVM etiam ſua induſtria non nullas harum exhibuiſſe, SCHMIEDELIO videtur probabile. Poſt ea ligneae harum omnium iconum formae ad alia quaedam opera imprimenda a bibliopola adhibitae fuerunt. Non nullae ALBERTI MAGNI libro de ſecretis mulierum, germanico idiomate 1592. et 1608. edito, inſertae inueniuntur, plures vero CASTORIS DVRANTIS hortulo ſanitatis, per VFFENBACHIVM in germanicum translato ſermonem, adpoſitae. Porro etiam mortuo CAMERARIO, bibliopola Vlmenſis, IOH. GOERLINVS eas IOH. IAC. BECHERO tradidit, qui in libro, parnaſſus medicinalis inſcripto, denuo easdem figuras euulgavit, repetiitque quindecim annis elapſis illas VERZASCHA. Tandem an. 1696. hiſce figuris theatrum ſuum botanicum THEOD. ZWINGERVS exornauit, neque mutauit in noua editione filius FRIDERICVS. Praeter has vero euulgatas iam iam figuras, reliqua GESNERI ſupellex botanica quinque conſtituit codices, quae meras continent picturas, quibus acceſſerunt FVCHSII minores icones, in quibus etiam GESNERI induſtria ſeſe manifeſtauit, adſunt porro icones, ligno exciſae, minoris formae, et aliae in lignis modo penna artificioſe delineatae. Maximam chartarum partem conſtituunt duo maioris formae volumina, quae 490. folia complectuntur. Quibus aliquas mortuo GESNERO WOLPHIVS, non nullas CAMERARIVS inſeruit. Inuenitur hic una planta multoties, alia ſub forma, ſemper elegantior. Plantis

tis adſcriptae ſunt multae animaduerſiones, interdum amicorum litterae agglutinatae. Harum figurarum numerus ad 1600. fere accedit. Exſtant etiam hic duae pigmento typographorum recentibus foliis illito, expreſſae. Tertium volumen continet collectionem figurarum a KENTMANNO factam et cum GESNERO communicatam. Conſtat foliis 146, harum vero plurimae minus exercitata manu factae ſunt, quas autem GESNERVS, incomparabili artificio confectas, huic codici addidit, quarum circiter 583. ſunt, et omnibus admirationem mouent. Duo illa volumina, ad LVDOV. CAMERARIVM translata, forte a IOACHIMO ſuam acceperunt formam. Unum ex his regalis formae 81. conſtat foliis, et plures aliorum auctorum, non nullas ipſius GESNERI icones continent. Alterum minoris formae 49. habet folia. FVCHSII iconibus GESNERVS 74. adiecit, quas etiam characteribus adornauit. Tandem Ill. TREWIVS accepit figuras minores, tam ligno exciſas, quam ligno per lineas modo inſcriptas, illarum 215, harum 179. ſunt. Figurae hae omnes, omiſſis modo iis, quas ipſe GESNERVS iam iam excluſit, nunc nullo ordine ſeruato, ſpeciebus modo unius coniunctis, prodibunt, quibus adiungentur annotationes, quae ſuperſunt, indicatis vero ubique illis, quas alii poſt GESNERVM addiderunt. Quae viuis coloribus pictae ſunt icones, eadem magnitudine, et elegantia, ac quae modo lineis in ligno expreſſae ſunt, eas pro ſua induſtria atque dexteritate SELIGMANNVS aeri inciſas exhibebit.

Prima itaque botanicorum GESNERI operum pars quam indicauimus, continet primo Cel. SCHMIEDELII dedicationem ad Ill. TREWIVM, in qua de ſatis libri breuiter diſſerit eique gratias decentes agit. Sequitur hanc vita GESNERI, a Cel. Auctore haud quaquam, ut quidem recentior, medicorum veterum vitas recenſens, ſcriptor fecit, ex aliorum libris p. 1.

exſcripta, ſed multo labore, collatis ubique ipſius GESNERI libris, et annotatis fontibus, ex quibus
p. 41-- hauſit, curatius elaborata. Huic ſubiecta eſt operis
56. hiſtoria, ex qua antea recenſita, deſumſimus, hanc Cel. TREWIVS maxima ex parte conſignauit, primarium vero auctorem nihilo minus SCHMIEDELIVM agnoſcit, qui utraque hac in re, et in vita et hiſtoria conſcribenda, ea omnia in ordinem redegit, quae TREWIVS, uterque ſupralaudatus, GESNERVS, IOACHIM. SVLZERVS, et AMBROS. BEVRERVS cum eodem beneuole communicarunt. Nunc legitur nouus titulus: VALERII CORDI ſtirpium deſcriptionis liber quintus, de morte et obitu eiusdem epiſtola HIERON. SCHREIBERI et CASP. CRVCIGERI Elegia, emendationes quaedam et additiones, Argentinae excuſa an. 1560. Argentorati excudebat Ioſ. Rihelius 1563. Editio noua, plurimis emendationibus et adnotationibus ex GESNERI codice deſumtis aucta et recuſa Noriberg. 1753. Liber hic paginas continet 39. et a pag. 21. usque ad ultimam tantum leguntur GESNERI addenda et emendanda. Dein-
p. 40. de exhibetur fragmentum hiſtoriae ſtirpium a CASP. WOLPHIO ad GESNERI inſtitutum compoſitae, in quo in primis de abiete, de opere ruſtico, ablaqueatio dicta, et abrotano agitur. Hoc excipit
p. 55. index figurarum, tam earum, quae cura C. GESNERI ligno inciſae, et partim ab Auctore, partim ab aliis publicatae ſunt, quam illarum, quas IOACH. CAMERARIVS inſtruxit. Hic ſecundum alphabeti ſeriem
p. 119. eſt conſcriptus. Additus huic indici eſt alius, in quo eae recenſentur, ad normam tabularum, figurae, quae nunc publicae luci expoſitae fuerunt. Et quo nomina plantarum, hiſce expreſſarum, faciliori labore
p. 127. inueniri poſſint, alphabeticum quoque indicem ad-
p. 129. iecerunt. Agmen totius libri claudit explicatio tabulae ſpeciminis loco additae, et viuis coloribus pictae. Primam hanc partem, quae prodromum ſiſtit,

et

et cujus modo 400. exemplaria chartae regali impreſſa fuerunt, egregie ornant tabulae ligneae XXII. in quibus 198. figurae expreſſae ſunt, et aliae aeri inciſae XX, quae in 175, ſpatia, totidem plantis inſignita, diuiſae deprehenduntur. In illa, quae reliquis addita eſt, et viuis coloribus ſuperbit, delineatae ſunt quinque plantae, ſwertia ſcilicet, muſci duae totidemque ſedi ſpecies.

Cum haec prima pars omnium certe applauſum aſſequuta fuerit, ſperamus quoque, ut Cel. Auctor reliquas quam proxime publicae luci exponat; ideoque eidem vires conſtantemque ſanitatem exoptamus.

II.

Obſervations on the diſeaſes of the Army in camp and garriſon; in three parts. With an Appendix containing ſome papers of experiments read at ſeveral meetings of the Royal ſociety. By JOHN PRINGLE, M. D. F. R. S. Phyſician-General to his Majeſty's Forces employed abroad, during the late war. London printed for A. Millar and D. Wilſon and T. Payne. 1752. 8. mai. 1. Alph. 5. pl. c. praefat.

i. e.

Obſeruationes de morbis militum in caſtris et praeſidiis collocatorum, in tres partes diuiſae. Appendix continet aliquot commentarios de quibusdam experimentis coram regia ſocietate lectos.

Dignum ſane, quod medicorum excitet attentionem, eam in primis ob cauſam libri huius argumentum eſſe videtur, cum a nemine medicorum, qui

qui ipſe caſtra ſecutus eſſet, huc usque ita fuerit pertractatum, ut morbi non ſolum, qui inter milites ſolent eſſe frequentiores, ſed et medicorum, quibus eorum cura commiſſa fuit, officia, ſatis adhuc et de induſtria explicata ſint. Laudem itaque et gratias omnino meretur Cl. Auctor, quod, cum ſumma ſanitatis militum Anglicorum cura tempore belli iſtius, ante hos aliquot annos in quibusdam Germaniae ac inferioris Belgii prouinciis geſti, ipſi fuerit tradita, obſeruationes, quas faciendi colligendique nactus fuerat occaſionem, annotauerit, easque deinde in ſuum ordinem digeſtas publici nunc uſus fecerit, quae omnino ita comparatae ſunt, ut magna atque communis inde prouenire queat utilitas; quam ob rem translationem earum in vernaculam noſtram linguam, ab aliquo docto viro ſuſcipiendam, merito
p. 1-85. optamus. *Prima* libri *pars* octo abſoluitur capitibus, in quibus, poſt aeris atque endemiorum morborum, in Belgio ut plurimum obſeruatorum, indolem generatim expoſitam, epitome diarii illius comprehenditur, quod per omnes iſtius iam dicti belli expeditiones, ſingulosque annos, ſingulaque annorum tempora ab anno 1742. ad 1748. de rebus medicis, ad ſe ſuumque munus tunc attinentibus, ſtudioſe conſcripſit Cl. Auctor. Tota haec pars tantum eſt hiſtorica, ideoque autem eo grauioris argumenti, quo certiora ea ſunt, quae per accuratam atque fidam experientiam cognoſcuntur. Ex his enim, ut indubitatis noſtrae cognitionis principiis, quilibet medicus in primis autem caſtrenſis multa ratiocinari poteſt, quid in multis morbis agendum ſit, et quo illi modo ſaepius a militibus auerti, ſique iam praeſentes ſint, facilius, ac ut plurimum fieri ſolet, curari queant, et quid eum in finem ipſis ducibus, quibus ſumma adminiſtrandi belli tradita fuit, conſulere debeant. Morbos enim epidemicos, certe prae aliis in exercitu frequentiores, ac omnia reliqua, quae eum circumſteterunt,

runt, militumque mutauerunt ſanitatem, ratione tempeſtatum, caſtrorum hibernorum, ſtatiuorum, et ipſius faciundi itineris, ſedulo notata legimus. In *ſecunda* deinceps *parte* propius ad finem ſuum accedit Cl. Auctor, et poſtquam in primo eius capite morbos militibus praecipue familiares in ſuas claſſes redegit, in ſecundo tum de cauſis eorum, in primis quatenus a rebus vulgo ſic dictis non naturalibus dependent, in tertio poſt ea de generalibus illis auxiliis, quibus militum morbi praeuerti queant, fuſius agit, in quarto tandem tempeſtatum viciſſitudines examinat easque cum copiarum valetudine comparat, quo nimirum modo ad diuerſum coeli aerisque ſtatum, ad praematurum expeditionis annuae initium eiusque ſerotinum finem ea ſe habuerit, et in qua ratione iis de cauſis ſanorum ad aegrotantes numerus fuerit. Praeter medicos igitur ipſius potiſſimum rei militaris duces ex iis, quae hic loci dicuntur, multum omnino capere poſſunt utilitatis, cum rarius illi dentur caſus, ubi medicamentis ſuccurri debet militibus, longe autem crebriores illi ſint, in quibus ſummi praefecti variis prouidentiae ſuae militibus debitae praeceptis, variisque rerum bellicarum conſtitutionibus, aliisque factu quidem ſaepe neceſſariis, ſed prudenter tamen diſponendis, mutationibus, plus emolumenti conſeruandae militum ſanitati afferre poſſint, quam omnes medici uniuerſa ſua medicamentorum ſupellectile in caſtris aut xenodochiis praeſtare valeant. *Tertia* tandem libri *pars* tota obſeruationes continet de morbis, quales in caſtris obvenire ſolent, quorum tamen alii breuibus tantum exponuntur, tales ſcilicet, qui et alios homines, extra campum degentes, aeque frequenter infeſtant, generalibus tantum eos curandi regulis propoſitis, interſperſis ſimul remediis praecipue contra eos utilibus deprehenſis, aliisque monitis, circa differentiam eorum in noſodochiis caſtrenſibus obſeruandis;

p. 87-150.

p. 151-364.

in

in aliis autem explicandis morbis longior eſt Cl. Auctor, iis nimirum, qui inter milites illis frequentiores ſunt, quales in primis ſunt febres bilioſae, aliaeque malignae ab aere effoeto atque putrido oriundae, quae miſeros iſtos homines in noſocomiis aut carceribus detentos quam maxime affligunt, (*Jayl or Hoſpital-Fevers*). Ante hos tres quidem annos de febribus iſtis malignis iam ediderat commentarium *: nunc vero eas adhuc adiecit obſeruationes, quae ad illum perfectiorem aut quoque rectiorem reddendum ipſi facere viſae ſunt. Cum in earum vero cauſam proximam inquireret, putridum aliquod miasma aut fermentum a corpore reſorptum et in ſanguinis maſſam introductum peſtilentiales hos morbos gignere intellexit, qua re commotus experimenta inſtituit, quibus clarum fieri queat, quaenam corpora putre-
p.365- dinem aut accelerent aut impediant. Ea quidem
431. omnia in ſeptem commentarii ſectionibus propoſuit, hasque cum regia ſcientiarum ſocietate communicauit, quae eorum quoque tres priores ſuis iam inſeruit transactionibus, a nobis quoque ſuo tempore annotatas. Nunc autem eos omnes Cl. Auctor ipſe ſub *appendicis* nomine huic libro, tamquam aptiſſimo loco, iunxit, variasque iis ſubiecit annotationes, quibus eos non perfectiores ſolum, ſed ad intelligendas quoque et confirmandas ſuas de febribus iſtis malignis obſeruationes, clariores redderet. Totius libri ratione nunc expoſita, quaedam adhuc e binis ultimis eius partibus extracturi ſumus. Vt conſtet, quibusnam praecipue morbis milites prae aliis obnoxios eſſe Cl. Auctor obſeruauit, capitis illius ſummam

* Obſervations on the nature and cure of Hoſpital and Jayl fevers in a letter to Dr. MEAD Phyſician to H. M. etc. by JOHN PRINGLE M. D. Phyſician to H. R. H. the Duke Fellow of the Royal College of Phyſicians at Edinburgh, and of the Royal Society. London 1750. 8. by Millar and Wilſon.

mam dabimus, in quo iſti generatim recenſentur ac exponuntur. Cum milites aeris iniuriis longe crebrius p. 88.
atque diutius, quam alii homines ſint expoſiti, eorumque multi ſaepius in anguſto ſpatio una eſſe atque concumbere cogantur, ſummae morborum, quibus maximam partem affliguntur, cauſae, ad tempeſtatum viciſſitudines, atque infectionem, commode reduci poſſunt. Alii vero morbi ab aeſtatis, alii ab hiemis iniuria ut plurimum oriri ſolent. Hi ultimi in primis ſunt vere inflammatorii aut iis certe ſimiles; illi vero, ſi non a redundante, certe ſuo modo corrupta bile, bilioſi dicendi, pro corruptorum humorum indole, ſingulari acrimonia, ſede aut loco, per quem ex corpore expelluntur, varii, vario etiam modo ſeſe exſerentes, ita, ut ſint vel remittentes, vel intermittentes, vel ardentes, vel ex his ſimul mixtae febres, cholera, dyſenteria, et ſic porro. Alii vero quoque dantur chronici, cum ab iis utriusque generis praegreſſis relicti, viſceribus nimirum obſtructis, tum ab iisdem, quae acutos morbos ſaepius excitant, cauſis, tarde nec tanta vi agentibus, orti. Quem ad modum vero omnes hi morbi pro ratione p. 94.
anni temporum valde inter ſe differunt, ita quoque eorum curatio admodum debet eſſe diuerſa. In hiemalibus enim ſeu inflammatoriis ad imminuendum et diluendum ſanguinem, ſolidasque partes laxandas, venae ſectio et remedia attenuantia atque diaphoretica, in aeſtiuis vero atque auctumnalibus, in quibus ſolida corporis nimis laxa ſunt, fluida vero ad putredinem inclinant, ad haecce corrigenda atque ex corpore eliminanda, viasque primas repurgandas, vomitoria, purgantia acida, et ad illa roboranda, ſtomachica et cortex chinae ſummum inter medicamenta locum obtinent. Alteram vero morborum, quibus milites prae aliis affligi ſolent, ſummam cauſam ad infectionem referendam eſſe diximus, quorum periculoſiſſimi ſunt dyſenteria atque maligna iſta febris a

noſo-

noſocomiis et carceribus dicta, quibus adhuc ſcabies annumerari poteſt, hominibus, qui in caſtris viuunt,
p. 96. ad modum infenſa. Aeſtiuus licet aeſtus humores ad putredinem diſponat, remoram tamen eum ſaepius, quam immediatam epidemicorum morborum cauſam fuiſſe; frigus autem longe crebrius, citiſſime tandem humiditatem, utrique illi tempeſtati iunctam, morbos eosque peſſimos excitaſſe, obſeruatio-
p. 102. nes docent, ita, ut ſiccitatem aeris inter epidemicorum cauſas male a quibusdam relatam eſſe Cl. Auctor putet. Vegetabilia enim, quae ubiuis creſcunt, ſi arenoſas regiones exceperis, ſemper perſpirare, ſimulque eum humiditatis gradum aeri conciliare dicit, qui conſeruandae ſanitati ſufficiat; longe autem frequentius nimiae humiditatis, cui fere ſemper exponantur, funeſtos euentus experiri milites, praeſertim ſi tempeſtas non tam pluuioſa, quippe qua aer potius repurgetur atque reficiatur, quam a vaporibus
p. 105. et nebulis humida, ſimulque calida ſit. Errores quoque contra ſtrictioris diaetae regulas commiſſi viſi, praeſertim vero ſpirituoſorum potuum fructuumque horaeorum paulo largior uſus, et aqua minus pura, inter communes epidemicorum morborum cauſas a multis quidem auctoribus referuntur; ſed praeter id, quod ſpirituoſus potus non numquam neceſſarius eſſe videatur militibus, is certe iis tantum erit nociuus, qui omnes limites potando transgrediuntur. Fructus horaei porro matureſcunt, morbis, quorum cauſa eſſe dicuntur, iam per aliquod tempus graſſantibus. Quid? Quod fructus illi acidae naturae, dyſenterici autem ſimilesque morbi, qui in primis eorum effectus vulgo habentur, inflammatoriae aut putridae indolis ſint, licet omnino concedendum ſit, homines eo morbo iam detentos, ab eorum uſu prorſus abſtinere, alios vero, ab alio etiam morbo oppreſſos vel quoque conualeſcentes, uti etiam uliginoſarum prouinciarum incolas, in parca

ſaltem

ſaltem copia iis uti debere. Quamuis aceſcant, in debilibus tamen ſubiectis, propter imminutam inde magis perſpirationem, habitumque corporis debiliorem redditum, alicui morbo putrido occaſionem praebere poterunt. Aqua denique rarius adhuc tam noxia eſſe deprehenditur, ut inter generales et crebriores cauſas procatarcticas, certe non facile eodem iure, ac aer, variis modis corrumpendus, reduci debeat. Cum enim perpetuus nexus inter ortum morborum eorumque decurſum et diuerſum aeris ſtatum eſſe ſemper obſeruetur, ad hunc etiam in eruendis eorum cauſis prae omnibus aliis reſpiciendum erit. Ex eo quoque apparet, quantum is valeat, quod numerus aegrorum, copiis menſe aprili in campum ductis, quarta ut plurimum parte maior fuerit, quam ſi menſe maio expeditionis initium factum fuerit, ita ut in priore caſu viceſimus ſeptimus, in altero autem triceſimus ſextus e toto exercitu in noſodochia redire cogeretur. Auctumni etiam tempore frequentiores adhuc iterum eſſe, eoque vehementius graſſari ſolent morbi, quo diutius expeditio protrahitur. Sub aeſtatis finem atque per auctumnum nulla unquam febris occurrit inflammatoria ſola, cui bilioſus ventris fluxus non acceſſerit. Illud enim febrium genus, quod in expeditionis fine, tempeſtate iam frigida facta, uti et illud intermittentium, quod vernali tempore ſaeuire conſueuit, ab inflammatoriis propius fuit, ideoque inflammatorium mixtum appellandum; quam ob rem ſimilis quoque curatio, nec uſus corticis chinae prius, quam poſt illud ſanguinis coagulum reſolutum, locum obtinuit; in omnibus autem inflammatoriis ſanguinis miſſio maximam curationis partem abſoluit, morbumque ſaepius ante ſuſtulit, quam fixus in aliquo loco haerere potuit. Ea tamen in militibus magis repeti, ac una tantum vice nimis larga eſſe debet, cum ii talem victum non habeant, qui inſignem efficere poſſit ple-

p. 111.

p. 143.

p. 153.

thoram. In prima igitur venae ſectione duodecim aut quindecim ſanguinis uncias, in reliquis vero parciorem eius quantitatem chirurgi emittere iuſſi ſunt.
p. 156. Alia quoque eius modi morbum praeuertendi ſpes in ſudore, ab initio ſtatim mouendo, ſita eſſe dicitur, qui tamen medicamentis haud calidis ciendus eſt; theriaca v. c. cum ſalis cornu cerui aliquot granis eum in finem dari, et ſufficiens ſeri lactis acidi copia ſuperbibi poteſt; eo niſi autem modo diſcuti queat inflammatio, venae ſectione et diaphoreticis, quae re-
p. 158. frigerant, curari debet; terrea vero medicamenta, cum ſepticae naturae ſint *, ſuſpecta habeantur, niſi
p. 159. addantur acida aut radix contrayeruae. Si quando propter debilem pulſum ſanguinis detractio fuerit omiſſa, veſicatoria, praeſente autem delirio, ſinapiſmi potius plantis pedum applicati, optimi uſus
p. 160. fuerunt. Simul ac vero inflammatio imminui aut pulſus mollis fieri coepit, duo vel tria camphorae, decem nitri, et viginti grana contrayeruae mixta, et ſexta quaque hora aegro data, diaphoreſin cum ſuc-
p. 165. ceſſu iuuarunt. Ab extremorum refrigerio et perſpiratione impedita, phrenitis ſaepe inducitur aut exacerbatur. Hinc talium aegrorum, in noſodochium venientium, manus atque pedes illico cum aqua et aceto calido cum ſucceſſu lauabantur, pedibus dein per totum morbi decurſum ſedulo coopertis. Inflammatio meningum grauior ac ipſius cerebri eſſe videtur, cum interdum in hoc poſt mortem reperti fuerint abſceſſus ſine praegreſſis violentis ſymptoma-
p. 166. tibus. In ophthalmia, prae veſicatoriis poſt aures impoſitis, efficacior a ſanguiſugis expectari poteſt effectus, quarum duae inferiori orbitae parti prope ab externo oculi angulo applicantur, ſanguine per aliquot horas ex iſtis vulnuſculis effluente, poſtquam hiru-

* v. Cl. Auctoris experimenta de rebus putredini reſiſtentibus, a nobis iam enarrata in comment. Vol. I. Part. IV. p. 706.

hirudines deciderunt. Si vehemens autem ſit inflammatio, ſanguis antea aut ex brachio aut vena iugulari mitti, tumque illico reuulſionis cauſa medicamentum dari debet, quod aluum ſatis ducere valet, veſicatoriis tamen ſimul haud neglectis. Quodſi vero cauſa ſubſit venerea, tum cura non ſuccedit. In rheumatismo cum tumore articulorum inflammatorio poſt frequentem et fere quotidianam ſanguinis detractionem, ſi febris imminui coepit, tres quatuorue hirudines loco maxime inflammato et tumido cum felici ſucceſſu applicantur. Dantur quidem caſus, in quibus dolores arthritici a rheumaticis difficulter diſtingui poſſunt. Ex obſeruatione tamen cuiusdam medici, Cl. CLERK, arthritidis vagae omniumque ſimilium morborum certum ſignum diagnoſticum ex urina aegri deſumi poteſt, in qua filamenta fluctuant, quae ipſa quidem urina minus tranſparentia, ex ea vero extracta admodum ſunt pellucida, ductilia, ſiccaque facta in albam calcem abeunt. Idem, quod veteres appellabant pituitam vitream, eſſe videtur; in ſanguine ex vena miſſo non conſpicitur, et a ſapone facillime diſſoluitur, cuius unciam ſemis quin et unam integram per ſingulos dies atque plures menſes aegri deuorarunt. In phthiſi pulmonali parca, ſed crebrius v. c. omni octiduo inſtituta ſanguinis miſſio ſaepe profuiſſe perhibetur, ſimul ac vero ſanguis non amplius ſpiſſus, ſed reſolutus apparuit, omitti debuit. In tabe magis conſummata duo potiſſimum tuſſis genera diſtincte conſideranda ſunt, unum, quod ab ulcere prouenit, alterum, quod ab irritatis faucibus vel trachea, muco ſuo naturali tum depriuatis, ideoque valde ſenſilibus factis, oritur. Illi conducunt balſamica, huic incraſſantia, cui fini praeter conſeruam roſarum inſeruire dicitur opium cum oxymelle ſcillitico mixtum, et aegro propter tuſſim dormire neſcio verſus noctem datum. Si abdomen ſolum atque ſubito, poſt intempeſtiuum

p. 182.

p. 187.

p. 190.

p. 192.

p. 252

uſum opiatorum in dyſenteria, aut corticis chinae in febribus intermittentibus, intumeſcit, vera tympa-
p. 253. nitis adeſt. In viro, qui per aliquot ſeptimanas eo morbo afflictus fuerat, poſt quatuor alui deiectiones, abdomen detumuit, morte ex improuiſo inſequente. In cadauere poſt ea aperto nec aer, nec aqua, ſed colon vehementer laxum atque diſtentum, detecta fuerunt. Ex quo faſciarum in tympanitide apparet neceſſitas, quarum ope ea ratione abdomen conſtringi
p. 265. queat, qua aer in eo contentus decreſcit. Alia eaque fere ſimilis obſeruatio idem docuit, in qua ſimul id notari meretur, quod ventriculi cordis omni prorſus ſanguine vacui reperti fuerint, indicio ſatis probabili, quod mors a ſanguinis mole vi quadam atque ſubito in aortam deſcendentem irruente prouenerit, aere nimirum, qui antea compreſſerat eius vaſa una
p. 268. vice exploſo. Dyſenteriae cauſa parum ab illa differre videtur, quae febres bilioſas vel putridas dictas, remittentes vel intermittentes malignae indolis, efficit. In utroque caſu corrupti humores ad primas vias deriuantur; in teuuibus vero inteſtinis reſorberi facilius et ad ſanguinem duci, tumque febres gignere poſſunt; in craſſis vero putrida fomes haeret, et peſſimum iſtum morbum excitat, vel certe
p. 271. peiorem reddit. Praeter alia multa phaenomena, quae putridam ſubeſſe morbi huius cauſam, et putrida effluuia ſanos inficere, ea quoque ſatis memoratu digna docet obſeruatio, quod quidam aliquando vera correptus fuerit dyſenteria ab inſpiratis effluuiis humani ſanguinis, in phiala per aliquot menſes incluſi et putridi facti, licet phiala naribus tantum admota fuiſſet. Sed plura adhuc ex hiſce militaris medicinae obſeruationibus adducere, limites noſtri vetant, praeſertim cum reliquorum de ſepticis et antiſepticis corporibus experimentorum, quorum mentio a nobis nondum facta fuit, ſummam tradere polliciti ſimus.

Con-

Continuantur itaque varia inſtituta, cum animalium partibus experimenta *, nec non praeter ea in quarta ſectione de virtute, in putridis animalibus reperiunda, vinoſam excitandi in vegetabilibus fermentationem, et de utilitate ſaliuae pro eo ſcopo obtinendo refertur. Primo ſtatim loco duas carnis recentis drachmas, quindecim vel viginti adſperſis ſalis granis, duabusque aquae unciis additis, celerius computruiſſe quam ea portio, quae in ſola retenta fuerat aqua, denuo monet et legem, ſalem in uniuerſum putredinem non coercere, ulterius ſtabilit. Praeter marinum autem alia dein ſalium diſquiſiuit genera neutra vel alcalina Cl. Auctor, quae tantam putredinem nunquam excitarunt. De ſaccharo in primis obſeruatum eſt, illud putredini reſiſtere, quacunque demum muria melius, niſi a fermentatione illud acidum deuenerit, in quo caſu putredinis indicia mox comparuerunt, eamque cauſſam haud negligendam eſſe putat, qua propter in tam frequenti eius cum acidis uſu noſtra ad putredinem inclinent corpora. Teſtacea vel terrea porro, cum antiſepticq mixta, tentauit, eaque virtutem poſſidere accelerandi putredinem inuenit. Puluis itaque contrayeruae compoſitus, cum quantitate aquae et carnis mixtus, ſecundum legem, iam propoſitam **, ob teſtaceam ſimul accedentem partem putredinem non coercuit, ac ſola radicis portio admixta. Inde etiam non incongruum videtur Auctori, teſtaceis uti in febribus, ut putredinis quaſi ſpecies, attenuatio in humoribus et relaxatio fibrarum ſubſequatur, id quod aliis deinde experimentis, cum aqua calcis ſuſceptis, p. 393.

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 698. 701. 706. Notandum autem eſt, varia, ad confirmandas ſuas ſententias, ex aliis auctoribus noſtrum addidiſſe momenta in ſubiectis notis, et inſtituta numeris diſtinxiſſe experimenta.

** Vid. ibidem l. c. p. 702.

p. 396. ſceptis, demonſtrat. Singularis tamen euentus in mixtione carnis et panis, vel farinae auenae, diuerſis ſub proportionibus obſeruabatur, cum leni haec maſſa digeſta calore fermentare coeperit, aerem emiſerit et in acidum aliquod conuerſum fuerit magma: quae ſane conditio, quod ab addito penderet animali corpore, inde clarum reddebatur, quod ſine illo fermentatio a reliquis admixtis non excitabatur, quae carne accedente et contingebat et quaſi deſinens denuo incipiebatur. Tandem quod ſaliua tum fermentationem, tum putrefactionem creditur promouere, nec hanc Noſter reliquit intentatam. Sola carni crudae admixta, minus celerem, ac illa ſine hac fiebat, putredinem excitauit, carni vero farinae auenae panique triturando commiſta, et leni tractata calore, breui intercedente tempore fermentationem, vinoſo ſapore diſtinguendam, produxit, tandem demum acidam redditam. Ex quo Cl. Auctor concludit, bene praeparatam, ſufficientem et accurate mixtam demum ſaliuam putredinem, flatulentiam, aciditatemque in ventriculo et inteſtinis praecauere, contrarium vero eius ſtatum omnia etiam contraria gignere.

p. 401. Continuata deinde experimenta quinta proponit ſectio, quibus euincere anniſus eſt Cl. Auctor, non tantum diaetae inde ordinari poſſe regulas, ſed varias etiam ventriculi morbos praecaueri atque ſubleuari, vel corrigi. Quae igitur antea cum recenti ſaliua inſtituebantur, nunc cum eadem putrefacta repetebantur. Haec autem putredinem intendebat atque fermentationem, parumque percipiebatur diverſitatis, ſiue caro quadrupedis animalis, ſiue piſcis fuerit eo perueſtigata modo, licet negandum ipſi non videatur, ſingula animalis victus ſubiecta, ſeorſim explorata, aliquam demonſtrare differentiam et in
p. 403. ordinanda diaeta iuuare nos poſſe. Vitellum recens excluſorum ouorum, ſub iisdem conditionibus nec fer-

fermentationem ſubiit, nec putredinem. Acidum deinde vel auſterum, a fermentatione relictum, principium nouis occaſionem praebuit tentaminibus, cum bis cocto, quo nauigantes utuntur, pane inſtitutis, nec non Cl. Auctorem eo deduxit, ut aliis etiam uteretur vegetabilibus, tum crudis, tum coctis. Ex his ſpinachiam ſcilicet, aſparagum et cochleariam adhibuit. In omnibus differentes quasdam conditiones animaduertit, quoad fermentationem putredinemque, tandem tamen acidum in omnibus, quod lac coagulabat, ſeſe manifeſtauit. Cochlearia etiam, licet ad fermentationem minus credatur diſpoſita eſſe, et manifeſtum acidum non contineat, eam tamen producit, immo longius, reliquis putredini reſiſtit. Recens porro emulſum lac cum inſpiſſato ſanguine et p. 406.
putredine iterum reſoluto, commixtum, eadem dedit notanda phaenomena, ita, ut vegetabilia cum omni putrida particula admixta facile in fermentationem abeant. Sunt et illa, quae in ventriculo noſtro ſeſe offerunt, dum digeſtio fit alimentorum, quippe in quo non diſcrepans eſſe videtur caloris ratio, quamvis ad vinoſae vel acidae fermentationis ſummum p. 408.
gradum non euehatur illa mutatio, et ſaliua bona varias in vtroque caſu utilitates praeſtet, de quibus fuſius agentem hic ſequi non poſſumus Cl. Auctorem, qui vltimo tandem loco de acida acrimonia ventriculi diſpicit, eamque per relaxationem fibrarum ventriculi, vel per reſidua ex alimentis, ad inteſtina non propulſa, completam fermentationem et in acetum fere conuerſionem ſubire docet.

Sunt etiam alia, quae alimentis addita, fermentationem et accelerant et retardant, minuunt vel augent, quorum conſiderationem ſexta ſuppeditat ſectio. Fer- p. 409.
mentatos itaque potus, vinum, cereuiſiamque, vel acidum, ex fermentationibus ante dictis paratum, dein aromaticas ſpecies, cuminum, ſaſſafras, crocum,

myrrham, aloen, amaras poſt ea herbas, radicis porro valerianae et corticis peruuiani decocta, nec non plantarum quasdam, quae plerumque antiſcorbuticae vocantur, cum carne et pane miſcuit et fermentationem iisdem compeſci atque putredinem moderari obſeruauit. Poſſe tamen et hanc conſiderationem in curandis ventriculi affectionibus inſtruere medentem, cum aliqua eorum cum digeſtione ſit conuenientia, dum modo ſaliua bene ſe habeat, a Noſtro
p. 413. probatur. Amarae vero plantae, ea cum efficiant, exoriebatur dubitatio, num a bile ſimilis expectandus ſit effectus, quae igitur admixta reliquis, ad experimenta adhibitis, corporibus, vtique inter vegetabile et animale *amarum* intereſſe differentiam declarauit. Maior enim longe eius acceſſu excitabatur fermentatio, vt et hinc amara vegetabilia, in ictero ſupplendi bilis vitia cauſſa, data, medentis intentioni ex aſſe non ſatisfaciant. Commune ſal, in pauca quantitate additum, intendebat, in maiori adiectum, coercebat fermentationem, abſinthii ſal vero vel tartari muria vbiuis retardabat pro ea, qua addebatur, ratione eandem. Teſtacea denuo, aqua calcis et ſalia fixa tentata et inter ſe comparata, probarunt, quodam inter ſe conuenire quidem modo, priora autem fermentationem promouere magis ac reliqua. Quod autem calcis viuae aqua neque retardat, neque accelerat eam, nobile in debili et acido praedominante farctuo ventriculo eſſe remedium inde patet.

p. 416. Properamus ad ſeptimam huius disquiſitionis ſectionem, quae cum putrefacto ſanguine aliisque animalibus partibus ſuſcepta experimenta continet. In ſanguine ſcilicet pleuritico, cruſtam, quae ei ſuper inhaerere ſolet, inflammatoriam, craſſam, ad fundum deſidentem, partem et ſerum eiusdem ſeparatim, conſueto gradu caloris centeſimo thermometri Fahrenheitiani incaleſcere fecit, ex quibus cruſta primum,

craſſa

craſſa pars deinde, ſerum ultimo loco computruit. Alio tempore libero aeri eius cruſtae particulam commiſit, aliam tectam ſeruauit, prior euaparatione exſiccabatur, altera vero deliqueſcebat, craſſiori inter ea parte, eodem modo tractata, partim ſpiſſiori reddita, partim cohaerente adhuc. Quae obſeruatio Cl. Auctori ſignum praebuit, cruſtam inflammatoriam adeo ſolubilem, volatilem et in corruptionem pronam, ſepticas haud paucas ſuſcipere particulas. Eſt p. 418 autem in acidis mineralibus putredini reſiſtendi vis, ut plerumque putatur, carni tamen corruptae et ſanguini admixta putreſcenti foetorem excitauere ſummum, id, quod a ſalinis putridisque partibus, inter ſe unitis, prouenire foetidiſſimaque pariter excrementa in putridis morbis, ab acidis et corruptis partibus mixtis oriri Noſter autumat. Alcalina e contrario, huic maſſae adiecta, praeter omnem ſpem corrigebant foetorem. Supererat tamen coloris in ſangui- p. 420. ne putreſcente mutatio obſeruatu attentioneque digniſſima, quem quidem diuerſum colorem ita comparatum fuiſſe deprehendit Cl. Auctor, ut craſſus cruor in liuidum & nigricantem, aqua dilutus vero in luridum tranſiret colorem, ſero interim turbido et nigricante reddito, id, quod in putridis et dyſentericis morbis excretus declarat ichor. Similia urina ſana, putrida, cum ſanguinis coagulo putrido coniuncta, praebuit phaenomena, flammeum quippe illa contraxit colorem turbidaque euaſit. Eſt interim in hoc etiam experimento ratio quaedam poſita, quae ulcerum naturam illuſtret, prout ex ipſa, quae humores attenuat et ſolidas relaxat fibras, putredinis indole intelligitur, qua propter increſcere et mole ſua multum augeri quaedam corporis queant particulae. Quem in finem plurium auctorum, SIMSONIS, DEIDIERIIque et ſuas obſeruationes adducit Noſter, quibus conſtitit, tum cor tum hepar et lienem, tum colon denſius, magis ſucculentum et ab impetu irru-

entium humorum capacius exiſtere. In medulla
p. 425. oſſium autem putredinis praeſentia tardiſſime comparet, quamuis carioſa oſſa maxime foetent. Huius foetoris explicandi cauſſa ad poroſam oſſium fabricam prouocat Cl. Auctor, quae materiam corruptam longius retinet, deinde ad conſtantem ex vaſis ſanguiferis humoris deſtillationem, et ad materiae oſſeae corruptae admixtionem, quae abſorbentis terrae inſtar putrefactionem auget, ſimulque ſepticorum actionem ſic ſibi fingit, vt in omni corpore animali latens acidum fibras deſtruat, teſtacea vero, abſorbendo illud fibras diſſoluant, quae abſorbendi facultas etiam in ſalis marini terra eſt, ab acida parte liberata. Per putredinem enim ſalia ſic ſoluuntur, ut acidum ſecedat et euaporet, abſorbentem vero ſubſtantiam relinquat.
p. 426. Praeter huc usque dictas, in corporibus putridis notandas, conditiones, ea adhuc ſupereſt, quod aqua licet grauiora ſint, in ea tamen tandem fluctuent, quod ab aeris reſolutione prouenire putatur. Emiſit autem tum ſeroſa, tum altera craſſa ſanguinis pars ante putrefactionem iam accedentem, aeris quasdam particulas, maior etiam ſemper ſeceſſit earum copia ex carne, quam ex ſanguine. Qua propter non improbabile videtur Cl. Auctori, in ſcorbuticis aliisque putridis morbis, nondum putredinis ſummo inducto gradu, ab aere vel reſoluto, vel non amplius rite immixto, grauia prouenire poſſe ſymptomata, in primis, quod aer ſanguini mixtus, perire facit animalia, vel exterior abſumtus interiori efficaciam agendi reddit, ipſaque ſcorbuti ſymptomata, quae ab Auctore docte exponuntur, illud probant. Poteſt nihilo tamen ſecius cum vere iam putreſcente ſanguine adhuc ſupereſſe vita: ille namque, ex vena miſſus, putredini proprium colorem, nec non ingratum non nunquam reddit odorem, nec alcalinus eſt, quod ab initio harum diſquiſitionum iam docuerat Cl. Auctor. Haec itaque in morborum putridorum conſideratione non negli-

negligenda momenta, ſollicite diſquiſita et ſtudioſe explicata a Cl. Auctore, nec medicis, nec naturalium phaenomenorum ſcrutatoribus ingrata fore praeuidemus. Nos ea quidem expoſuimus, quanta in experimentorum varietate fieri potuit, cum cura, optamus interim, vt penes ipſum diſquirantur auctorem et omnibus reddantur notiora.

III.

Auium genera, Auctore PAVLO HENR. GERARD. MOEHRINGIO Med. D. Ser. Princ. Anhalt. Seruest. Conſil. et Archiatr. Dynaſtae ac ciuit. Ieueranae Phyſ. Acad. Imp. N. C. Sod. Bremae apud G. G. Rump. 1752. 8. pl. 5½.

Solertis, in disquirendis et digerendis corporibus naturalibus verſantis, phyſici officium illud eſt, ut conſtantes aliquas notas eligat in corporibus etiam primo quaſi obtutu obſeruandas, ex quibus naturalis quaedam eorum diſpoſitio formari poſſit. Sunt vero talium notarum haud paucae, quarum quaeque methodi fundamentum praebere poteſt. Plurimas qui coniunxerit, accuratam deſcriptionem, ſpecierum formationi inſeruientem, exhibet, cum unica forte methodo concinnandae ſuffecerit. Haec eam ob rationem adducimus, quod nouam, a Cl. MOEHRINGIO propoſitam, methodum accepimus, quae alii, quam huc usque factum eſt, fundamento innititur. Mirum inde videri non poteſt, noua hic et diſtincta genera deprehendi, quae ab aliis in unum coniuncta fuerunt, alia, quae disiuncta erant, iterum connecti; quae certe varietas iis demum ingrata et confuſionis ferax eſſe videbitur, qui, quae ipſi ſcripſerint, vel cui aſſueti fuerint methodo, meliorem putant eſſe nullam. Licet et nos in ea verſemur ſententia, eam demum optimam eſſe, quae anomalias patiatur pauciſſimas;

mas; num vero expectari illa debeat, in tanta corporum disquirendarum copia iudicent ii, qui naturalis hiſtoriae ambitum penitius perſpiciunt. Roſtrum et pedes in auium praecipue hiſtoria tales ſuppeditant notas, quibus, tanquam reliquis conſtantioribus ſummos viros, LINNAEVM et qui nuper tandem ſuam publicam fecit methodum KLEINIVM *, inhaeſiſſe conſtat. Noſter autem Cl. Auctor, poſtquam in praefatione de ſtudii hiſtoriae auium amoenitate, utilitateque et quibusdam, illud depraedicantibus explicantibusque auctoribus expoſuit, licet has notas utique utiliſſimas eſſe viderit, pro ſolis tamen haberi non poſſe credidit, quibus commoda auium ſuperſtrui poſſit diſpoſitio. Plumae aues contegunt variae; in genubus, quo nomine Cl. Auctori articulatio inter femur inferius et tibiam venit, illae vel adſunt vel deficiunt, cui conditioni cutis, pedes contegentis, ſtructura et figura ſi iungitur, inſiſtit claſſium, quarum quatuor recenſentur, diuiſio. Roſtri deinde forma ordines perficit, eiusque varietas inferioribus generibus formandis anſam praebet. Omnia ex illa, quam Cl. Auctor generum deſcriptioni praemiſit, methodi ſynopſi, clarius euadunt, in qua generum expoſitione, cum non niſi breuioribus et ponderoſioribus quaſi vocabulis perfici potuerit, omnino requirebatur *terminorum artis*, quam etiam illi adponere placuit, explicatio. Genera in uniuerſum deſcripta centum et quatuordecim deprehendimus. En ipſam methodi ſynopſin, quam integram exhibere placet, ut rerum periti ſtudium, in ea delineanda adhibitum, cognoſcant.

Aues ſunt vel

I. genubus antice plumoſis, pedibus tenui membrana ſquamata tectis, et digitorum principio arcte inter ſe connexo. *Hymenopodes.*

1. Roſtro

* Vide de hac in noſtris Comment. Vol. I. P. I. p. 49.

1. Roſtro elongato, conuexo, ad criſtam compreſſo. *Picae.*
2. Roſtro conico, ſubito attenuato. *Paſſeres.*
   a. Roſtri baſi ſubcylindracea, craſſa, in apicem acutum celerrime exeunte; vulgo *Craſſiroſtrae.*
   b. Roſtro ſubulato, baſi ſuperne triquetra, infra planuiſcula; vulgo *Tenuiroſtrae.*

II. Genubus antice plumoſis, pedibus cute coriacea rugoſa tectis. *Dermatopodes.*
1. Roſtro adunco, uncungues. *Accipitres.*
2. Roſtro conico apice incuruo. *Gallinae.*
   a. Digitis anticis principio laxe coniunctis, ope paruae membranae coriaceae.
   b. Digitis penitus fere fiſſis, rudimento tantum membranae inter digitos anticos haerente.

III. Genubus antice nudis, alis ad volatum fere ineptis, fiſſipedes, curſores. *Brachypterae.*

IV. Genubus antice nudis, pedibus cute molli, coriacea tectis. *Hydrophilae.*
1. Marginibus oris dentato-ſerratis. *Odontorhynchae.*
2. Roſtro ſubouato, anguſtiſſimo, arctiſſime ad latera compreſſo. *Platyrhynchae.*
3. Roſtro conoide, conuexo, ad latera compreſſo, palmipedes. *Stenorhynchae.*
   a. Roſtro primum recto, dein adunco.
   b. Roſtro ſubulato, recto, ad extremum apicem parum curuo.
   c. Roſtro ſubulato, recto.
4. Roſtro conoide, ad latera compreſſo, palmipedes; membranis digitorum diuiſis. *Vrinatrices.*
5. Sulco vel foueola ante nares. *Scolopaces.*

a. Ro-

a. Roſtro conico, ad latera compreſſo; ſemipalmipedes.

b. Roſtro conico, ad latera compreſſo; fiſſipedes.

c. Roſtro utrimque pyramidali trigono; fiſſipedes.

d. Roſtro ſubulato, teretiuſculo; ſemipalmipedes.

e. Roſtro ſubulato, teretiuſculo; fiſſipedes.

Poſt hanc ordo generum, nominibus tantum adiectis et tandem amplior additur generum deſcriptio, in quibus exponendis partim Cl. Auctor ſecutus eſt LINNAEVM, partim in haud paucis ab eo, pro methodi ſcilicet norma, ſeceſſit locis. Quas ipſe viderat aues, vel viuas vel modo mortuas, aſteriſco, quarum mancas disquiſiuerat exuuias, crucis forma, de quibus nil, niſi aliorum ſuppetebant non nunquam incompletae deſcriptiones, nulla nota inſigniuit. In obſeruationibus autem, generibus ſaepe ſubiunctis, quid dubium ſit, et ulteriori egeat dilucidatione oſtendit. His tandem fragmenta generum adiunxit, quorum non nulla in aliis ſcriptoribus enarrata inveniebat momenta. Ipſorum generum inferiorum characteres hic fuſius adumbraſſe ſuperfluum eſſe iudicamus, quod paruae molis libellus facile ab iis, qui huic ſuam applicare voluerint ſtudio operam, comparari poſſit. Noua ſane generum nomina plura ſunt, quas proprii diſtinguunt characteres, de iis tantum nominibus, quae vel collectiue, ut vocant, vel pro generis, ex aſſumti methodi charactere definiti, ratione ab aliis adſumta fuerunt, quaeſtio dirimenda eſt, num eadem disiunctis nunc ſpeciebus, vel alii plane generi denuo illa ſint imponenda? quam certe rem ſcientiarum, in hiſtoria naturali adeo amplarum, non incrementi, quam difficultatis augendae potius praebere occaſionem autumamus. Vt exemplis

emplis haec clariora evadant, *Meleagris* LINNAEI alia est, ac illa MOEHRINGII, huius tamen genus aliquas etiam *Galli* LINNAEI species complectitur: *Ispida* LINNAEI, etiam MOEHRINGII quoddam genus est, species autem, quae a LINNAEO propositae erant, ab aliis *Merops* et *Certhia* vocatae, penes nostrum etiam singularia genera formant. Nonne igitur meliori iure, ne uni voci tot differentes tribuantur significationes, exulare debuisset ispidae nomen. Sic enim obseruamus, *Emberizam* LINNAEI expunxisse Auctorem, quod alia ad *Chloridem* alia ad *Spinum* pertineat huius Linnaeani generis species. *Pelecanus* LINNAEI reiiciendus erat, quod ex adsumtis notis ad *Onocrotalum* referri meretur, ipsum autem hoc nomen alii adscripsit Noster generi, cui *platea* LINNAEI et anatis species iunguntur. Non eam tamen ob causam haec monere libuit, quo studio, quod assiduum et accuratum esse cognoscimus Cl. Auctoris, quidquam detrahamus, sed ut alii, eius insistentes vestigiis, discant in hisce, utut operose versamur, rebus, mancam tamen nostram relinqui intelligentiam. Promittit autem Cl. Auctor, se etiam exhibiturum esse synonyma omnium auium cum epicrisi, nec non, in quibus octodecim iam desudauit annis, singularum auium pleniores descriptiones, ex ipsis naturae exemplis desumtas, rariorumque figuris illustratas. Ex quibus certe plurimum lucis et illustrationis huic etiam scientiae esse accessurum haud aegre praeuidemus, et, quo laudabilis admodum ab eo posita, opera speratum proxime consequatur finem, ex animo optamus. Solet enim in eius modi rebus, ut scientiae cupidum iuuent, non accurata tantum delineatio, sed solertissime etiam obseruata proportio requiri, ut cum natura, omnia conueniant, quod, quam difficile sit impetratu, nullus non intelligit.

IV. IACO-

IV.

IACOBI GISBERTI WOERTMAN, Anat. et Chirurg. Profeſſ. De proxima ſede, quam anima in corpore humano occupat, Oratio, Traiecti ad Rhen. 1752. 4. pl. 6½.

Hominis bina principia licet diſtinctiſſima inter ſe inueniantur, arctiſſimo tamen quodam vinculo iungi atque connecti ex mutua relatione, qua unum, alterius requirit auxilium, cognoſcimus. Eſt autem in anima ſingulare quid ab ipſius actionibus, cogitatione, intellectu, ratiocinio et iudicio plane diſtinctum, detegendum, quod in variis hominis mutationibus, v. c. animi commotionibus obſeruatur, et a Cl. Auctore *impetuoſa mentis proprietas* appellatur. Eſt porro fibris corporis muſcularibus *inſita et innata quaedam vis*, a generalibus corporum attributis non dependens, quae in omnium vix emortuarum et in viuarum beſtiarum corporibus diſſectis adhuc ſuperſtes eſt et excitari poteſt. Cordis enim motus in animali mortuo iam deſinens per digiti calidi attactum leuem, auriculae cordis inter digitos agitationem, inflatum, liquidum iniectum non tantum reſuſcitatur, ſed etiam cor ipſum a neruis, vaſis et membranis reſciſſum et e thorace exemtum per quadrantem horae immo ſemi horam ſeſe mouet et plane quieſcens leuiter irritatum iterum in motum revocatur. Hic vero in reſecto et exemto corde motus a fluidi ſanguinei et neruei impulſu, qui tam diu non durat, explicandus non eſt, ſed ipſa vi indita motus vitales et naturales excitantur, durant et muſculi voluntarii per ipſam mentem mouendi apti ſunt promptitudini, qua animae obtemperant. Datur denique praeter hanc vim innatam et impetuoſam mentis proprietatem certus *intimus conſenſus*, quo, mentis impetu praeſente, in functionibus corporis noſtri tantae turbae oriuntur: Sic in morbis acutis

illa

illa vis corporis insita nimium mota et excitata animae impetum ita turbat et intendit, ut corporis vita tollatur. Quamuis itaque corporis et animae natura plane diuersa sit, corpus tamen animam in receptaculo quasi continet, in quo haec, ut rerum extra se positarum notitiam sibi acquirat, instrumentis quibusdam, neruis scilicet, ex encephalo oriundis et per totum corpus distributis, utitur. Ex neruorum origine, distributione, laesione, doloris idea excitata, functionibus mentis ab encephalo turbato laesis, concluditur, animae sedem esse in capite. Ipsa autem anima in variis cerebri locis, ab auctoribus adductis, non habitat, sed eius sedes in illa parte esse debet, ubi est proximus inter omnes neruos, qui obiectorum impressiones propagant, connexus et qua vel infortunio, vel morbo destructa, animae functiones pereunt. Hinc animae sedem Cl. Auctor designat in aistheterio generali, illo nempe loco, ultra quem impressiones, neruis ab obiectis ad ideas excitandas factae, non progrediuntur, sed figuntur. Hunc locum vero illae tantum medullae partes, quae in cerebro, cerebello et medulla oblongata ante neruos immediate existunt et e quibus nerui originem habent, efficiunt, ad quem neruorum impressiones penetrant, ut mens earum ideas sibi formet, et e quo motus voluntarii, anima volente, progrediuntur. Quam opinionem Auctor noster per diuersas capitis et generalis aistheterii dispositiones, quae ingenium et solertiam retardant vel augent, et per functiones animi a foeminarum passione hysterica laesas et cessantes, insuper confirmari credit. Has itaque Auctoris meditationes, non quod nouitatem quandam prae se ferant, sed lucem aliquam philosophis accendant, adducendas esse putauimus.

V.

Dissertatio de artificiosa foecundatione immersiua seminum vegetabilium, Praeside IOH. GOTSCHALK WALLERIO, Respondente IOHANNE FIHLMAN. Holm. 1752. 4. pl. 4.

Ad vegetationem seminum et plantarum tres in primis concurrere causas, nempe 1) vim intrinsecam, cuique semini propriam facultatem, se se mul-
p. 6. tiplicandi 2) vim extrinsecam, calorem scilicet siue inflammabile principium, 3) aquam simplicem, solam nutritionis plantarum materiam, Cl. Auctor demonstrat. Hanc rem cum in alia dissertatione * iam pertractauerit, eandem hoc loco fusius repetere nolumus. In aqua in primis, quando hanc pro unico nutriente principio assumit, iuxta ELLERI ** hypothesin, transmutatione particularum per radios solares facta, terram pingue et sal acidum produci posse, asserit. Duplicia deinde foecundationis genera statuit, primum ubi ager varie praeparatur, alterum ubi semina fertiliora redduntur; et varia deinde artificia immersiua foecundandi semina Cl. Auctor disqui-
p. 13. rit. Intelligitur autem per artificia immersiua ars, qua semina humido quodam, antequam seruntur, emolliuntur. Artificia haec ipsa sunt 1) simplicia, quae unica materia absoluuntur, et in aquea, vel alcalina, vel nitrosa distinguntur, 2) composita, quae pluribus materiis mixtis constant et vel ad saponacea alcalino pinguia, vel nitroso pinguia, vel ad spirituosum referuntur. His immersionibus, quae forte ab hortulanis quibusdam ortae et antiquis notae fuerunt, corticem seminum duriorem emolliri, et semi-
p. 14. na nutriri et foecundari, credunt. *Aqua simplex*, qua semina

* Conf. Dissert. de vegetationis principiis Holm. 1751. recensit. in Comment. nostr. Vol. I. Part. II. p. 326.

** Vid. Histoire de l'Acad. Royale des Scienc. ann. 1748. à Berlin. 1750. 4. p. 7 seqq. Com. n. Vol. I. p. 125.

ſemina ad intumeſcentiam emolliuntur, facile aliquid virtutis extrahit, et ſemina ſic emollita, terrae commiſſa a calore ſolis exſiccantur, marceſcunt, ab aere humido nimis diſtenduntur, diffringuntur et vegetationi inepta fiunt, frigoreque ſuccedente, putreſcunt. Et felix ſeminum immerſorum, quae quandoque facta eſt vegetatio, potius coeli ſolique fauori et agricolarum induſtriae adſcribenda eſt. De *alcalino cinerum et calcis viuae lixiuio*, quo ſemina irrorari ſolent, dubitatur adhuc, an id poros vegetabilium intrare queat. p. 17. Deinde ſalia alcalina quaecunque vim nutriendi non habent, et acrimonia ſua vellicante ſeminibus externe adhaerent eaque duriora reddunt; et lixiuium calcareum poros ſeminum magis obſtruit, ideoque nec in tubulos ſeminum intrare nec eadem nutrire poteſt. *Nitroſa* materia cum vaporibus aqueis mixta, vix in ſemina tranſit, et ſi quid p. 19. perficit, nutriens in ſemine principium iam latens tantum mobile reddit et attenuat. Maior ſeminum nitro immerſorum fertilitas quandoque obſeruata, non in omni agro, nec omni tempore euenire poterit. Et laetum vegetabilium in terra nitroſa obſeruatum incrementum, non a particulis nitroſis, ſed a pingui in hac terra praeſente deriuandum eſt. Semina tandem vario modo immerſa non raro, accedente frigore etiam leniori, congelantur corrumpunturque. *Saponacea alcalino pinguis* mixtura, quae urina, aqua paludoſa pinguiori, lixiuio cinerum et calcis plerumque conſtat, ſemen quidem emollit et nutrit, eiusque inde incrementum primo quidem celerius profert, ſed poſt ea, hoc alimento deficiente, planta protruſa exareſcit, nec ſemina elaborat. *Nitroſo pingues* mixturae, quae vegetabili et animali p. 22. pinguedine, nitroſo lixiuio et alcalino ſale compoſitae ſunt, incrementum uberius per pinguedinem et aquoſum principium in ſeminibus producunt. *Spirituoſum* denique alimentum in ſeminibus liquida

tenuióra coagulat, et tanquam volatile ſeminibus non
p. 24. diu adhaeret. Eſt itaque nulla ſeminum immerſio tuta, ſed omnis medicata et periculoſa. Optima vero eſt maceratio alcalino oleoſa, pauliſper ad emollitionem ſeminum aliqualem tantum inſtituta. Et cum omnis terra nimis tenax magis ſolubilis, et nimis ſolubilis magis tenax reddenda ſit, de praeparatione, cultura et ſtercoratione agri potius ſolliciti eſſe debent agricolae.

VI.

D. IO. ERN. HEBENSTREIT in Vniuerſitate Lipſienſi Therapiae Prof. Publ. Facultatis Medicae Decani, Vrbis Phyſici Anthropologia forenſis ſiſtens medici circa rem publicam cauſasque dicendas officium cum rerum anatomicarum ac phyſicarum, quae illud attinent expoſitionibus. Editio altera c. fig. aeneis. Lipſiae ſumtibus haeredum Lankiſianorum. 1753. 8. Alph. 1. pl. 20½. c. dedic. et prooem.

De eodem, cuius alteram iam indicamus editionem, libro iam olim quidem differendi habuimus occaſionem *: facere tamen non poſſumus, quin eiusdem denuo iniiciamus mentionem, cum quatuor tabulae in aere inciſae ei nunc adiectae ſint, quarum rationem adhuc cum lectoribus noſtris communicandam eſſe, putamus. Poſtquam enim prior eius editio tanto cum lectorum applauſu fuerat excepta, ut ſecunda vice prelo eum bibliopola ſubmittere vellet, varia e muſeo ſuo ipſi delineanda conceſſit Cl. Auctor, quibus unum alterumque libri argumentum magis illuſtrari, eique maior inde utilitas conciliari poſſet. In ſectionis primae capitis primi paragrapho quinta praeter alia monitum fuerat, partem curae magiſtratuum

* Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 365.

tuum naſcituris debitae in eo quoque poſitam eſſe, ut terriculamenta, quae grauidarum animos horrida aliqua viſi obiecti idea percellere, indeque ipſum embryonem vitiare poſſint, e conſpectu publico amoveant. Talis igitur monſtri, quod humanum eſt, imaginem prima fiſtit tabula. Capitis informis fronti inſidet ſingularis tumor, totius facici forma, oculi, naſus, os, ipſaque artuum et ſuperiorum et inferiorum conformatio, a forma atque pulchritudine homine digna valde abludunt. Prima tabulae ſecundae figura caput oſſeum infantis recens nati oſtendit, eam ab cauſam notatu dignum viſum, quod ſuperioris mandibulae compages hiſcat, labiique leporini ſimilitudinem referat, ad ea, quae ſub finem paragraphi ſextae iam dicti capitis dicta ſunt, illuſtranda hic loci depicta. In eadem quaque calua membraneus ille verticis infantilis contextus, qui fonticulus dicitur aut fontanella, clare conſpicitur, ideoque ad ea, quae de hacce capitis parte in ſectionis ſecundae membri primi capitis tertii paragrapho tertia prolata fuerant, clariora reddenda refertur. Binae autem reliquae eiusdem tabulae figurae bregmatis os, ex infante deſumtum, in integrum os nondum prorſus conuerſum, ideoque oſſi fiſſo ſimile, repraeſentat, quod exempli loco ſubiungitur illi monito, quod in ſectionis ſecundae membri ſecundi capite primo ad finem paragraphi duodecimae datur, ne fiſſuras oſſi illatas eſſe exiſtimemus, cui ſimilis conditio viſa adhuc naturalis eſt. Tabula tandem tertia et quarta ad paragraphum primam capitis ſecundi membri tertii ſectionis ſecundae ſuppeditant exempla, quarum haec caput infantuli ex hydrocephalo tumidum oſtendit, quali tamen ideo humanitas denegari nequit; illa vero foetum fiſtit, cui monſtroſum penitus caput eſt, ab humana forma totum recedens, et quod ea de cauſa iuſtam illi dubio occaſionem praebet,

num hominem esse natum sacro fonte haud indignum, credere liceat?

VII.

Lettres sur la certitude des signes de la mort, où l'on rassure les Citoyens de la crainte d'être enterrés vivans. Avec des Observations & des Expériences sur les Noyés. Par M. LOVIS, Conseiller et Commissaire pour les Extraits de l'Académie Royale de Chirurgie, Démonstrateur Royal, & membre de la Société Royale de Lyon. A Paris. chez Michel Lambert, 1752. 12. mai. pagg. 376.

i. e.

Epistolae de certitudine signorum mortis, in quibus metus iste ciuibus leuatur, ne viui olim sepeliantur. Accedunt obseruationes de hominibus in aqua submersis.

Si qua grauis umquam inter medicos agitata fuit quaestio, ea certe est: num signa mortis certa sint? Inter omnes adhuc constat, quantam inter medicos et rei publicae administratores, attentionem excitauerit illa dissertatio, quam Cl. WINSLOW anno huius saeculi quadragesimo Parisiis defenderat: *An* scilicet *mortis incertae signa minus incerta a chirurgicis quam ab aliis experimentis?* Omnibus, quae de praegressa vera morte habemus, signis suam vir ille Clarissimus denegauerat certitudinem; quam deinde sententiam paulo post alius vir doctus, Cl. BRVHIER, qui illam dissertationem gallice reddidit, non adoptauerat solum, sed ulterius quoque persecutus fuerat. Nunc vero nuper contra illam insurrexit Cl. iam indicati libri Auctor, in eoque comprobare in se suscepit, quod non solum periculosum sit, demortua hominum corpora diu relinquere insepulta, sed etiam quod

quod alia ſigna eaque certa ſint, ex quibus vere mortuos ab aliis, talibus modo viſis, diſcernere queamus, absque expectata putredine. Quem in finem diſceptationis ſuae initium inde capit, ut in *prima epiſtola* demonſtret, CELSVM * atque LANCISIVM ** in iis locis, quae illi de ſignis mortis minus certis ſententiae occaſionem dediſſe dicit, et quae viri illi paulo antea nominati quoque adduxerant, aliam eamque prorſus contrariam aluiſſe ſententiam; eam porro opinionem ipſi arti ſalutari eiusque certitudini multum detrahere, cum potius conſtet, fuiſſe in arte viros, qui vel ultimam vitae horam in aegrotis praedicere ſciuerint. In *ſecunda* deinde *epiſtola* relationes quasdam ex iis, quas Cl. BRVHIER de hominibus obiiſſe creditis enarrauerat, Cl. Auctor diiudicat, ea de iis forte mouenda lite: num omnes quoque verae ſint? nunc neglecta, ex iisque ipſis infert, quod earum multae, ſigna mortis eſſe certa, aperte declarent, ipſaque eorum, qui mortui habiti ſint, aut viui iam iam ſepulti, exempla non probent, illa ſigna fallere. Concedit quidem omnino, homines tantum mortuos viſos terrae iam demandandos, aut cultro anatomico ſubiiciendos, ad vitam iterum reuocatos fuiſſe; ideoque eorum, qui rem publicam adminiſtrant, curam ex merito laudat, qui nimiam in ſepeliendis mortuis feſtinationem legibus coercuerunt: inde autem ſequi negat, ſigna iſta, quibus viuentes adhuc a vere mortuis diſcernere poſſumus, eſſe nulla, vel certe admodum fallacia; ſed vel eorum, qui funera curant, ignorantia vel negligentia id accidiſſe dicit, ut tales inter cadauera non numquam relati fuerint, quos vita nondum penitus deſeruiſſet. Alio praeter ea argumento pro ſua confirmanda ſententia uſus fuerat Cl. BRVHIER atque nimirum perhibuerat, cultiores olim populos per aliquot dies conſeruaſſe demortuorum

* De re medica lib. 2. cap. 6.

** De mortibus ſubitaneis lib. I. cap. 15 et 16.

rum ciuium corpora ante, quam ea ſepeliuiſſent aut combuſſiſſent, idque ex ea cauſa ab iis factum fuiſſe, ut intelligerent, num illi vere vitam ſuam finiiſſent; ideoque etiam datas fuiſſe leges, ut alii eorum mortem deplorarent, quo minus homines adhuc viuentes, mora ſcilicet interpoſita, defunctorum ſortem
p. 72. experirentur. Vt haec autem opinio vera ſit, tantum abeſſe in *epiſtola tertia* Cl. Auctor docet, ut ii potius, qui antiquitatem diligenter habeant cognitam, probe norint, alias gentes plane non alicui ſepulturae dediſſe ſuorum cadauera, alias vero easque manſuetiores, v. c. iudaeos, qui nihil ex patriis moribus labare umquam ſinant, ideoque noſtris adhuc temporibus, quantum quidem poſſint, eos ſeruent, cito poſt mortem humaſſe, vel illa modo tam diu ſuper terram reliquiſſe, donec funus, et, quae ad id pertinent, curata fuerint. Verum quidem eſſe, ait Auctor, Romanos olim, et inter eos tantum opulentiores, defunctorum corpora per aliquot dies ut plurimum aſſeruaſſe, ſed eam ſaltem ob cauſam illud ab iis factum fuiſſe exiſtimat, ut vanitati ſuae luxuique ſatis facturi, omnia ad exequiarum pompam apud illos ſolemnem praeparandi tempus nanciſcerentur; quem in finem etiam corpora eos inunxiſſe, uti alias gentes aromatibus ea obtegiſſe, ut putredinem atque foetorem ab iis arcerent. Quibus omnibus excuſſis,
p. 115. ea tunc mortis ſigna, quae fallere nequeant, in *epiſtola quarta* proponuntur. Poſtquam igitur eum in finem corporis humani ſic dictas functiones breuibus perpendit, atque ſecundum earum rationem plurima, quae de corporibus mortuis apparentibus capere ſoliti ſunt et veteres et recentiores, experimenta examinauit Cl. Auctor, eaque omnia, praeter veſicatoria, vel cauſticum potius lapidem, coxis applicata, omnibus numeris abſolutam de morte certitudinem haud praebere docuit: per experientiam tum accurate obſeruatam, et per multos annos conſtantem deprehen-

henſam, ſe didiciſſe ait, quod eo ipſo verae mortis momento, quo omnes vitales motus prorſus ceſſant, immo ante naturalis caloris imminutionem vel certe extinctionem, rigidi euadere ſoleant articuli, ideoque membrorum in aliquo ſubiecto adhuc ſuperſtes flexilitas, etſi praeter id nulla alia adhuc ſuperſint vitae ſigna, indicio ſatis inſigni ſit, vitam illud nondum depoſuiſſe. Si quis autem quaeſtionem moueat, p. 147.
num artuum rigor de praegreſſa morte ſemper teſtari queat, et numne in quibusdam morbis, certe conuulſiuis, ſi quando iis ſuperueniat ſyncope, membra ſint minus flexilia, corpus nihilo tamen minus imaginem mortis referat? In eo mortis ſimulacro, reſpondet Auctor, cum ipſa mortis viſa ſpecie ſimul et eodem tempore obſeruari rigorem; in vere autem mortuis ipſam talem iam creditam mortem eum ſubſequi; idque deinde eſſe annotandum, quod muſculi in conuulſionis ſtatu duri ſint ac inaequales; atque antagoniſtae contrariam ſiſtant indolem; in mortuis autem corporibus muſculi omnes ſibi ſint ſimiles; tandem vero clariſſimum diſtinctionis ſignum inde peti poſſe, quod rigor artuum a conuulſionibus ortus tam vehemens ſit, ut motus ei, a conuulſis muſculis praeſtito, oppoſitus fere numquam laeſis membris conciliari poſſit, haec certe, ſi in oppoſitum quoque latus flectantur, vi tamen aliqua in priſtinum ſtatum ſe reſtituant; in cadaueribus autem leges motus corpori inanimato proprias ſemper obſeruari. Alia quoque plura ad id, de quo iam dictum eſt, accedere p. 151.
dicuntur ſigna. In morte enim ſaltem apparenti facies haud immutatur, in vera autem flacceſcit, color eius pallidus, plumbeus et quaſi croceus fit; ſin autem a morbo cachectico talis iam antea factus fuerit, cetera ſigna errorem inde oriundum impedient. Alius quidem adhuc caſus datur, in quo omnia iam indicata ſigna non ſufficiunt, ubi ſcilicet a ſummo frigore mors producta eſſe videtur: ſimus autem,

quo talis homo frigore tactus cooperiendus est, et reliqua tum adhibenda auxilia omnem difficultatem breui tollunt. Pone vero, inquit tandem Auctor, in tanta rerum atque causarum varietate accidere quidem aliquando posse, ut membra hominis, quam vita tamen prorsus deseruit, flexilia maneant: attamen ex oculorum habitu certissima mortis signa depromi poterunt. Praeter id enim, quod omnes gentes de oculorum splendore amisso, et de viscido illo muco super corneam inducto, occasionem tritae illius dicendi formulae: oculi facti sunt; de vita nunc actum est, desumere soliti sint; aliud, eoque iam al-
p. 155. lato adhuc certius, quin et omnia reliqua, certitudine sua, superans signum oculi flaccidi et molles simul facti suppeditant, ita ut, hoc praesente signo, neminem amplius de vera morte dubitare posse atque de-
p. 160. bere, Cl. Auctor asseueret. Quam ab rem denuo contra Cl. BRVHIER insurgit, atque primo in sequenti, quae in ordine *quinta* est, *epistola* ipsum ab illo stabilitum principium oppugnat, quo maculas liuescentes in cadaueribus conspicuas, et singularem foetorem cadaueroſum, ideoque putredinis initia, sola eaque tantum certa mortis esse signa dixerat. Tales enim maculas, istumque foetorem, certa putredinis signa semper esse negat, cum et inter viuos reperiantur, qui foetidissimis effluuiis suam inquinent atmosphaeram. Fieri quoque posse deinde monet, ut et corpora, demortua visa, in aequiuoco statu putredini sint obnoxia, cum homines dari experientia doceat, qui unius alteriusque corporis membri, putredine gangraenosa corrupti, usum perdant, nihiloque tamen minus viuere pergant. Ad modum autem damnosum esse illum morem, porro dicit, quo corpora tam diu asseruari debeant, donec putrescant; in eoque tum satis multus, et, uti certe nobis quidem videtur, nimis scrupulosus est, ut, effluuia ista viuentes inficere, grauibusque inter eos oriundis morbis

ansam

anſam facile atque crebro dare poſſe, demonſtret. In eo autem quin nosmet ipſi lubenter eius ſententiae ſubſcribamus, facere non poſſumus, quando hac occaſione vehementer in eam conſuetudinem inuehitur, qua in multis locis haud pauci ſepeliri ſolent in templis, quippe qua re, quoties ibi aperitur ſepulcrum, aer, per ſe iam iis in locis ut plurimum effoetus ſuaque elaſticitate deſtitutus, tetris exhalantibus particulis magis adhuc corrumpitur. In ultima tandem, quae *ſexta* eſt, *epiſtola* ea, quae Cl. BRVHIER circa funera obſeruanda praeſcripſerat, ſub examen reuocat, ex iisque alia, ut haud firmo innixa principio, arctioribus circumſcribit limitibus, alia vero laudat, et inter ea in primis chirurgos artis ſuae peritos vel et medicos publica auctoritate in ſingulis urbibus minoribusque locis conſtituendos ſuadet, qui ad omnes obiiſſe creditos vocari, iudiciumque de iis ferre debeant, num vere mortui ſint, an tales modo eſſe videantur? Eam deinde, cuius iam epitomen dedimus, diſſertationem excipit alia, quae noua eaque memoratu ſatis digna continet experimenta, ex quibus inferre Cl. Auctor annititur, quaenam eorum, qui aqua ſubmerſi ſunt, vera ſit mortis cauſa, et quibus auxiliis tales infelices ex apparente morte ad vitam reuocari queant? Variis, quas de hoc argumento eruditi huc usque aluerunt, opinionibus examinatis atque refutatis, multa, quae eum in finem cum canibus inſtituit, experimenta recenſet, ex quibus omnibus apparet, aquam ipſos ingredi pulmones, ideoque motum eorum tollere, atque mortem animalis efficere. Semper enim non aquae ſolum partem in ipſis pulmonibus inuenit, reliqua eius, quae intrauerat, parte, propter admixtum aerem, ſpumae ſub forma apparente; ſed et, quod rem magis adhuc confirmare videtur, talem, in quali animalia ſubmerſa fuerant, ita ut e. g. bronchia atque pulmones atrum referrent colorem, ſi aquae iſti adfuſum antea fuerat atramentum,

p. 192.

p. 221.

tum. Ne quis vero existimaret, aquam post mortem demum ingressam fuisse pulmones, animalia, quae antea suffocata fuerant, in eam intrusit, tumque ne guttulam eius quidem in pulmonibus deprehendere potuit. Tandem vero, vt demonstraret, in ipsa animalis submersi inspiratione, et eodem mechanismo, uti fluida quaeuis, retracto embolo, in siphonem trahuntur, aquam deduci in pulmones, canis posteriores pedes alligauit alicui loco firmo, ita ut eius inuerse suspensi caput in aquam usque pertingeret. Sed et hoc enecati modo animalis pulmones idem docuerunt, quod in reliquis obseruare licuit. Ne vero nimis longi simus, ad ipsam dissertationem lectu omnino dignam lectores nostros ablegamus, ut
p. 250. ipsa ibi legant experimenta. Eam deinde sequitur praescriptum illud a Cl. DE REAVMVR exaratum, et regis iussu iam anno huius saeculi quadragesimo publici iuris factum, de modis, quibus hominibus ex
p. 261. aqua extractis auxilium ferri queat, cui Noster subiunxit examen satis amplum, in quibus nimirum articulis illud aut corrigi aut amplificari possit. To-
p. 300. tum denique librum finit a nobis iam supra indicata Cl. WINSLOVII thesis, et latine scripta et gallice reddita, quam Cl. BRVHIER etiam primae sui de hoc argumento libri editioni proposuerat.

VIII.

Histoire de l'Academie Royale des sciences & belles lettres année MDCCL. à Berlin chez Haude & Spener 1752. 4. alph. 2. pl. 21. tab. aen. 11.

hoc est

Historia academiae regiae scientiarum et bonarum literarum an. 1750. Berolini etc.

In praesenti volumine classis prima, quae philosophiam experimentalem spectat, sequentes com-

com-

mentarios, qui noſtra attentione omnino digni ſunt, exhibet.

1. *De natura et affectionibus aquae communis, quatenus corpora diſſoluit.* Auctore Cl. ELLERO. In hac disquiſitione Cl. Auctor nec ad elementares aquae particulas, quae in diſſolutione corporum agunt, nec ad particulas minimas ſolutas et in aqua diſperſas reſpicit; ſed, cum haec minima ſenſibus attingi nequeant, phaenomena potius non nulla, in diſſolutione corporum obuia, attendit. Si ſufficiens copia particularum ignearum in aqua diſperſa eſt, eadem fluida deprehenditur et ut menſtruum ſoluens conſiderari poteſt, et gelu coacta aqua, ſi ad gradum caloris, ſub quo ebullit, deducitur, ad $\frac{1}{24}$ circiter voluminis extenditur, quo in caſu, praeter moleculas peregrinas aquae immixtas, etiam calorem ſpecificam grauitatem augere poſſe, experimenta docent. Praeter ignem aer quoque ſubtilis in interſtitiis aquae haeret, non elaſticus in ſua mixtione, ſed talis redditur, quando vel per ignem, vel ſub antlia pneumatica, ex aqua expellitur. Regreſſus aeris in aquam adeo difficilis eſt, ut MARIOTTVS et BOERHAAVIVS iam aſſeruerint, non commixtionem aeris cum aqua fieri, ſed veram aeris in aqua ſolutionem; et Cl. Auctor experimento accurate inſtituto cognouit, aerem aquae admixtum partem centeſimam et quinquageſimam totius maſſae non excedere. In tranſitu hic monet, aerem in aqua nubibus incluſa ſolutum, calore liberum redditum, cauſam tonitruum dici poſſe. p. 67. Aqua itaque communis eſt compoſitum ex materia primitiua glaciali, aere et igne; et ignis eſt cauſa fluiditatis; ipſae vero tenuiſſimae aquae particulae, nullis experimentis disquirendae, in vaporibus elaſticis ita ſubtiles redduntur, ut Auctor in eam opinionem ducatur, ac ſi ignis ipſa elementa ſphaerica aquae in tenues cylindros ſpirales elaſticos mutet, quo in p. 72.

caſu

caſu tamen incognita particularum figura per hypo-
p. 74. theſin aſſumitur. Rationem, qua aqua alia corpora penetrat eaque diſſoluit, in pondere et ſubtilitate particularum alii, alii in minore cohaeſione particularum corporum ſoluendorum, alii in maiore attractione particularum aquearum et ſoluendarum ponunt, quas auctorum hypotheſes breuiter tantum recenſet, et ſuam ſubiungit explicationem, qua calori in aqua contento vim diſſoluentem adſcribit. Praecipua eius
p. 77. aſſerta haec ſunt: aquam omni calore deſtitutam nihil diſſoluere: aquam communem tantum vehiculum eſſe caloris: vim itaque ſoluentem aquae gradui caloris ſemper proportionatam eſſe: aquam non niſi calorem 212 graduum ſuſcipere poſſe, reliquam caloris partem diſſipari in auras: in machina papiniana gradum caloris auctum efficere, ut vis diſſoluens naturali auctior euadat, et oſſa et cornua ſoluat: aqueas denique particulas ſuſcipiendis tantum et aequabiliter diſtribuendis particulis per ignem ſolutis
p. 79. inſeruire. Haec prima diſſoluentium claſſis dicitur Cl. Auctori, ubi ignis per aquam, cum qua coniungitur, agit; alteram claſſem vero conſtituunt diſſoluentia ſiue menſtrua, in quibus ignis in materia oleoſa vegetabili et inflammabili, fermentationis ope aquae iuncta, concentratus fuit. Spiritus vini vel frumenti, corpora, quae aqua intacta relinquit, diſſoluens, in hac claſſe nominari meretur; hic tamen non niſi vegetabilia corpora ſoluit, ex quibus menſtruum hoc ortum traxit. Aquam ſimplicem et hoc in caſu, ut vehiculum ignis, conſiderari poſſe, ex eo patet, quod alcohol vini, per deflagrationem diſſipati, vapores aquam ſimplicem referant. Obiter quaedam de fermentatione altera, quae acida eſt, et de putrefactione et deſtillatione corporum animalium, qua ſpiritus alcalini producuntur, addit; quae tamen menſtrua in explicatione phaenomenorum ſolutionis forte accuratius cum reliquis comparari debuiſ-

buissent. Vnde enim vis aceti in soluendis corporibus mineralibus, cum vehiculum ignis, scilicet inflammabile, excussum sit? In tertia classe dissoluen- p. 81.
tium acida mineralia in scenam producuntur. Et in his aqua communis in censum venit, licet ad acidum, in quo igneae particulae concentratae sunt, magis respiciendum sit. Acidum uniuersale, quod in aere dispersum est, igneas particulas à solis radiis recipit, sed ad solutionem corporum applicari non posset, nisi in nitro, sale marino, alumine, vitriolo et sulphure figeretur, et vi ignis inde expulsum in aqua, tanquam vehiculo, contineretur. Aquam enim et hic concurrere ostendit experimentum, quo acidum vitriolicum, cretae vel terris absorbentibus affusum, aquam supernatantem insipidam relinquit. Haec sunt praecipua phaenomena, quibus Cl. Auctor aquam tanquam menstruum considerauit; eo tamen deductus fuit, ut ignem, tanquam soluens uniuersale, consideraret.

2. *De phaenomenis, quae se produnt, quando salia* p. 83.
quaeuis in aqua communi separatim dissoluuntur, disseruit Cl. ELLER. Postquam ea, quae in praecedenti commentario ostensa fuerunt, breuissimis indicauit, praecipue deinde monet, salium dissolutionem aquam ratione caloris ita immutare, ut per haec experimenta glaciem inde producant. Cum vero ea, quae clarissimi viri GEOFFROY, AMONTONS et MVSCHENBROECK hac in re tentauerunt, dissensum aliquem ostendant, nec salia media artificialia ab iis adhibita fuerint: Cl. Auctor doctrinam de igne et salibus, non nullis tentaminibus institutis, iterum illustrare suscepit. Nos, qui experimenta ipsa repetere haud possumus, summam eorum ita indicabimus, quo, quid in hoc commentario praestitum fuerit, lectores intelligant. Primo itaque disquisiuit, quaenam salia, p. 85.
et in quonam gradu, aquam, in qua dissoluuntur, refri-

frigerent? Quem ad modum igitur in primis ſalia, quae alkali volatile acido minerali iungunt, maxime refrigerant, ut ſal ammoniacum, immo ipſum alkali volatile, ut ſal volatile cornu cerui; ſic e contrario vitriolum album, ſal amarum ſedlizenſe, et ſal mirabile GLAVBERI, caloris augmentum produxerunt.

p. 88. Alterum phaenomenon copiam aquae, quae ad ſalium ſolutionem requiritur, concernit. Cum igitur, experimentis accurate inſtitutis, in rationem huius differentiae inquireret Cl. Auctor, eandem in denſitate diuerſa ſalium inueniri poſſe credidit, ideoque eandem nouis experimentis tentauit, et in vaſis cylindricis obſeruauit, quantam copiam aquae ſal immiſſum expelleret; eo ipſo vero aſſertum confirmare haud potuit, quoniam vitriolum album, ſal gemmae,

p. 91. tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal epſonienſe, ſal volatile cornu cerui, pondere ſpecifico conueniebant, nihilo minus tamen ratione quantitatis aquae ad ſolutionem requiſitae quam maxime differebant. Quo vero rem accuratius definiret, ad geneſin ſalium, ex diuerſis corporibus ortam, regrediendum eſſe intellexit, ſed experientiae dubiae et difficulter inſtituendae ulteriorem diſquiſitionem impediuerunt. Tertium phaenomenon oſtendit, in aqua communi definitam ſalis copiam ſine voluminis augmento diſſolui poſſe. In phiala itaque ad definitam aquae quantitatem diuerſa ſalia addidit, et, quantam copiam ſalis aqua ſine voluminis augmento aſſumat, diſquiſiuit. His experimentis interſtitia in aqua demonſtrantur, quae alias particulas in ſe recipiunt, indeque ſphaerica particularum aquae figura quodam modo

p. 95. declaratur. Vltimum phaenomenon, per experimenta definiendum, oſtendit, aquam, uno ſale ſaturatam, alia adhuc ſuſcipere poſſe, quia inter ſalium moleculas eodem modo, uti inter aquae particulas, interſtitia relinquuntur, nouis particulis ſuſcipiendis apta.

3. *Ten-*

3. *Tentamen de praeparatione vaſorum, quae vehementiſſimum ignis gradum ferunt et ita corpora in fuſione conſtituta ſatis coercent.* Auctore Cl. POTT. p. 99.
Argumenti huius dignitas primo declaratur, cum non tantum in diſquiſitione corporum chemica, ſed et in variis artis productis vaſa, quae ignem vehementiſſimum ferunt, requirantur. Exhibet itaque Cl. Auctor experimentorum, in *Lithogeognoſia* olim expoſitorum, veram applicationem, et primo generales quas- p. 191.
dam obſeruationes praemittit, e. g. maſſam ad vaſa formanda aptam nec ſiccam nimis, neque humidam eſſe debere; argillam pinguem, lentum ignem, macram vero vehementiorem ferre; ſal commune in flammas iniectum, vaporem producere, qui efficit, ut, dum vaſa igne indurantur, ſuperficies denſior et polita euadat, uti in vaſis Waldenburgenſibus obſeruamus, ſal commune vero maſſae admixtum fiſſuras potius inducere; vaſa fuſoria, quae vitra e. g. plumbi et antimonii continent, amplo, quae vero regulos metallorum et ſemimetallorum ſuſcipiunt, conico fundo inſtructa eſſe debere. His praemiſſis, ad eas res conſiderandas ſe conuertit, ex quibus vaſa fuſoria conficiuntur, nec tantum earum indolem breuiter declarat, ſed et variam compoſitionis proportionem, per tentamina vel aptam vel minus aptam deprehenſam, indicat. Cum itaque non niſi ſeriem experimentorum exponat, nos, qui cuncta repetere non poſſumus, primaria tantum obſeruata breuiter recenſebimus. Aut argilla, aut lapis argillaceus, materiem p. 105
vaſis fuſoriis praebet aptiſſimam, et, uti argilla communis lateritio operi apta, cum excrementis equinis commixta et quaſi digeſta, ad vaſa, quae aliquot libras metalli per paucas horas in fuſione ſuſtinent, aptiſſima eſt; ſic illa ad labores docimaſticos accuratius ſuſcipiendos inepta deprehenditur: Sabulum enim, marga ſiue calcarea terra, et particulae martiales, copioſius admixta nocent, et, licet ſabulum et par-

ticulae martiales, definita quadam proportione admixta, maſſam haud ineptam reddant, marga tamen minus conuenit. Fuſius igitur de ſabuli admixti indole et copia agit Cl. Auctor. Subtile vix valet, ſed quodam modo craſſius, non coloratum, id, quod vaſa ſic dicta haſſiaca declarant. Cum vero vitra, diu in
p. 110. fuſione ſuſtinenda, ſabulum in vitrum mutent, hoc vero in caſu argilla magis reſiſtat, eandem coctam ſiue uſtam, e. g. partes fiſtularum, quibus tabaci fumum ſugimus, comminutas, argillae molliori miſcuit; proportionem itaque commiſcendorum, et uſum admixti ſalis ſimul declarauit. Cum vero vaſa
p. 115. eo modo parata ſaepius nimis poroſa ſint, qua ratione hoc vaſorum vitium corrigatur, exponit, vitro nimirum contuſo, in primis vitro plumbi, nec non particulis martialibus. Minime vero limatura ipſa, ſed croci martis, varia ſub forma occurrentes, in primis in terris bolaribus, huic fini inſeruiunt; proportio tamen martis ad maſſam argillae exigua ſit, e. g. ad uncias decem argillae partim recentis, partim coctae, drachmae duae capitis mortui vitrioli ſufficiunt.
p. 124. Ad apyras terras, quatenus compoſitionem vaſorum fuſoriorum ingrediuntur, examinandas tranſit Cl. Auctor, et de creta monet, eandem denſam et excauatam fuſioni corporum interdum inſeruire: diſquirit itaque, quo modo terrae alcalinae, per ignem in calcem mutatae, ad fuſoria vaſa applicari poſſint, et quanam proportione vel cum argilla, vel cum aliis terris, componi debeant, et his experimenta, cum os-
p. 128. ſibus calcinatis inſtituta, iungit. Simili modo quoque terras gypſeas examinauit, quae cum argilla in vaſis fuſoriis calcinatae, inſignem duritiei gradum obtinent, nec vehementiſſimo igne mouentur; vaſa vero ipſa ex ſimili maſſa praeparata eundem ignis
p. 131. gradum non ferunt. Et talcum ad vaſa fuſoria effingenda adhibitum, et fuſioni vitri plumbi in primis conuenire creditum fuit; ſed in commixtionibus variis

riis insignem fluiditatem ostendit. Simili ratione non nulli, sed minus recte, alumen plumosum ignis vehementiae diu resistere posse assumserunt. Post- p. 135.
quam non nulla de plumbagine sterili, magnesia et smiride, subiunxit, ad steatitem siue cretam hispanicam considerandam progreditur Cl. Auctor. Lapis hic, ad terrae indolem accedens, excauatus adhiberi posset, nisi pretium, in primis in optimo sinensi, nimium esset, et vasa inde parata in igne paulo vehementi facile finderentur; cum argilla aliisque rebus tamen apta proportione remixtus vasis fusoriis optimis conficiendis inseruit: e. g. octo partes steatitis cum simili copia argillae ustae, unaque parte lithargyrii firma illa et alba vasa sistunt, in quibus vitra siue gemmae artificiales coquantur. Lapis serpenti- p. 138.
nus et nephriticus metallici quid continent, hinc, si etiam compositiones ingredi possent, colore peregrino tamen massas fundendas inficerent. Plumbum p. 140.
scriptorium, ex quo vasa Ypsensia siue passauiensia parantur, continendis in fusione metallis conuenit; salia tamen et vitrum plumbi facile per vasa inde parata transeunt, et massae fundendae puriores ab iis colore obscuro inquinantur.

4. *Examen particularum, ex quibus lapides compo-* p. 144.
nuntur, qui, calcinatione praegressa, per carbones ita mutantur, ut luci expositi, post ea in obscuro flammae splendorem exhibeant: addita est ratio compositionis artificialis horum lapidum. Auctore Cl. MARGGRAF. Lapides post calcinationem lucentes in alio iam commentario disquisiuerat Cl. Auctor, et conuenientiam non nullorum lapidum nostratium cum lapide bononiensi declarauerat *. Nunc in eo est, ut particulas, lapides hos constituentes, curiosius exponat. Post-

* vid. Histoire de l'Acad. Roy. des Scienc. de Berlin ann. 1749. p. 56. seqq. et Commentarios nostros Vol. I. Part. III. p. 394.

quam enim ille ex peculiari grauitate, odore ſulphuris et efferueſcentia cum acidis, poſt calcinationem cum carbonibus factam, hos lapides ex acido vitriolico et terra alcalina conſiſtere perſpexerat, opinionem hanc variis experimentis confirmare anniſus eſt. Experimenta vero non tantum cum lapide bononienſi, ſed et cum ſpatho fuſili ponderoſo et lapide ſpeculari ſiue glacie mariae, inſtituit. Hi omnes in minores partes diffracti et ex retorta deſtillati, parum vaporis inſipidi exhibuerunt: addito vero puluere carbonum, et ſpiritus volatilis ſulphuris, et parum ſulphuris in collo retortae, apparuit, certo indicio, inflammabile carbonum acido vitriolico iunctum fuiſſe. Reſiduum, quod in retorta remanſerat, lumini expoſitum, in tenebris tamen lucem non retinuit, niſi
p. 147. in lapide ſpeculari. Lapides noſtros porro cum alcali vegetabili, ſale ſcilicet tartari puriſſimo in crucibulo compoſuit, et poſt calcinationem maſſam, aqua ſolutam, per filtrum depurauit, ad cryſtalliſationem diſpoſuit, et tartarum vitriolatum per varia tentamina diſquiſitum, et verum inuentum obtinuit Cl. Auctor. In pollinem tandem redacti lapides, addito alcali fixo vegetabili, in aqua ebulliendo agitati, tartari vitriolati cryſtallos dederunt. Terrae, in fil-
p. 150. tris collectae, examini ſubiectae, acido nitri et ſalis ſoluebantur, cum ſale ammoniaco tritae, ſal volatile liberum reddebant, ſulphur commune coquendo ſoluebant, et ita omnes affectiones terrae calcareae referebant, qui effectus omnes in lapidibus ipſis in pollinem tritis non obſeruabantur. Cl. Auctor porro terras illas, in filtro relictas, in ſpiritu nitri diſſoluit, ſolutionem aqua diluit, addito ſpiritu vitrioli, praecipitauit, et cryſtalliſatione ſubſequente, concretiones albas et ſplendentes ſeleniticas obtinuit, quas, in pollinem redactas, cum tragacanthae ſolutione in placentas formauit, quo deſiccatae, cum carbonibus ſtratificatae et calcinatae, ad lumen recipiendum et in

tene-

tenebris retinendum aptae euaderent. His itaque de indole particularum, lapides noſtros componentium, expoſitis, ad formationem lapidum artificialium ex terra calcis et acido vitriolico explicandum, progreditur Cl. Auctor. Aquae calcis viuae bene ſaturatae duodecim menſuras, addita uncia una olei vitrioli, retortae immiſit, et ſubductis per deſtillationem tribus partibus, quarta relicta dedit cryſtallos ſeleniticas, quas elotas et leuiter calcinatas cum tragacanthae ſolutione in maſſam redegit, et ſtratificatione et calcinatione cum carbonibus facta, lapidem lumen recipientem et in tenebris ſeruantem obtinuit. Alia quoque ratione, lapidem calcareum in ſpiritu nitri ſoluendo et ſolutionem diluendo, addito ſpiritu vitrioli, cryſtallos ſeleniticas, ſimili modo ut priores tractandas, produxit. Solutiones vero lapidis calcarei nunc commemorati cum ſolutione vitrioli martis et veneris commixtae ſeleniticas quidem particulas praecipitarunt, quae tamen, experimento continuato, ob particulas metalli immixtas, lucentem indolem non obtinuerunt; cum ſolutione aluminis tamen experimentum melius ſucceſſit. Ex his etiam geneſis naturalis lapidum noſtrorum intelligitur. Quot ſunt aquae, quae lapidem ſtalactitem deponunt, qui ſaepius lapidi calcareo ſimillimus eſt! Quot porro ſunt aquae vitriolicae et aluminoſae, quae, ſi cum prioribus concurrunt, ſimilem noſtris lapidibus materiam omnino progenerant! In commentario ſupra citato Cl. Auctor aſſeruerat, lapides accurate praeparatos, calore fumi agitatos, lucem ſpargere poſſe: tentaminibus tamen continuatis, errorem commiſſum agnoſcens, affirmat, nullum lapidem lumen ſpargere poſſe, niſi antea per tempus aliquot luci expoſitus fuerit. In fine corollarii loco addit, lapides noſtros deſcripto modo praeparatos, in aqua ferme ſolui poſſe, ita, ut tantum exigua terrae argillaceae pars remaneat.

p. 153.

p. 157.

p. 159.

p. 160.

p. 163. 5. *Obſeruatio anatomico-phyſiologica de dilatatione cordis extraordinaria, ab aorta nimis anguſtata proueniente.* Auctore Cl. MECKELIO. Et praeſtantiſſimos cauſarum morboſarum ſcrutatores aliquando vnam alteramque earum fugere poſſe, monſtrat LANCISII, quod ab initio adducit Cl. MECKEL, exemplum, qui in pereleganti de corde et aneurysmatibus libro, eam, quae ex nimia aortae anguſtia proficiſcitur, morbi originem praeteriit intactam. Perſpexit autem cordis maiorem, quam quae naturalis eſt, relaxationem fuiſſe exinde productam Noſter in femina octodecim annorum, cuius vitae genus modumque, quo in leuandis variis afflictionibus vti cogebatur, optimo ſane conſilio praemittit. A tenera nimirum iuuentute anxietatibus et uniuerſali corporis tremore cordisque palpitationibus affligebatur illa, quae eo etiam, quo catamenia comparere debebant, tempore, his emanentibus, augebantur, immo ſanguinis inſtituta miſſione purgantiumque uſu adhuc increſcebant, ſyncope tandem accedente vires frangente et vitae imponente finem. Erat autem corpus eius tenerum, pectus anguſtum, compreſſum, longum, oſſa vero parua et debilia. Repletis maſſa ceracea vaſis et aperto abdomine, aorta deſcendens iam anguſta detegebatur. Cor vero totum occupabat ſiniſtrum pectus, pulmonibus interim rite ſe habentibus, exiſtebat autem illud, praegrande, capaciori pericardio inuolutum, flaccidum tamen et ventriculo fere utroque eiusdem roboris. Venae ſanguine nigro polypoſo farctae erant, pulmonalis etiam arteria aorta magis diſtenta obſeruabatur, et ſinus pulmonalis, ſupra ſinum venae cauae multum dilatatus eminebat, ſed aorta dimidiam vix pulmonalis arteriae aequabat diametrum. Quo facto cor etiam cera repleuit Noſter et ſtudioſe figuras eius delineatas commentario adiecit in duabus tabulis, quarum una anticam, altera poſticam faciem ſiſtit. Praemiſſa autem

ea,

ea, quae vasa cordis intercedere solet, et definita proportione, inuenit quadrata arteriae et venarum pulmonalium ad aortam fuisse ut $2\frac{1}{2}$ ad 1, ut itaque dupla et dimidia insuper sanguinis pars ex arteria ad venas deducta fuerit pulmonales, quam quae ex ventriculo sinistro potuerit prodire. Hinc autem tantus malorum labyrinthus. Veteres iam cholericos eius modi esse homines crediderunt, quibus cor magnum existit; quaenam autem huius rei ratio sit, ex eo comprobat Cl. Auctor, quod minor et impetuosior sanguinis motus aeque, ac venae distentae in hoc casu secretiones omnes fere impeditas reddunt, prout uniuersalis eadem facit plethora. Inde et musculorum vasa distenta motum difficiliorem faciunt eo magis molestum fururum, quo magis aegri ab eo abstinent, indeque tandem totius corporis debilitas sequitur. A venae sectione autem boni nihil, sed mali magis expectandum est, quod inde arteriarum ad cor resistentia augetur. Ab accumulato porro in venis sanguine, euacuatio plenaria cordis cohibetur et perpetua auricularum in primis anterioris dilatatio prouenit, pulsus itaque irregularis fit, palpitatio cordis et tremores corporis excitantur. Haec cuncta tamen cum aucta sanguinis mole symptomata catameniorum instantium, nec procedentium, tempore in adducta femina necessario grauiora debebant euadere, immo ab incongruo emmenagogorum et purgantium, tanquam irritantium et ad contractionem vasa stimulantium, remediorum usu vehementiora tandemque funesta fieri. Vnicum adhuc, quod, vt copioso eruditionis adparatu probat Cl. MECKEL, multos physiologos iam exercuit, phaenomenon, in pulmonibus hisce, ubi tam difficilis erat sanguinis transitus, adhuc tamen obseruandum, ventilandum supereſt, qua propter nimirum venae pulmonum arteriis sint angustiores, id, quod ex ipsa earum structura, cum AVRIVILLIO omnium optime declarari posse euincit. Insertio namque venarum pulmonalium in si-

num id docet, quippe quae in ſacco hocce quadrato et in diuerſis quidem eius locis fit, qui ipſe ſe dilatari facile permittit, et libere irruentem ex venis ſanguinem admittit, in ſtatu praecipue naturali, ubi vacuus antea exiſtit. Sanguis ergo libere in hunc ſinum fluens, venas dilatare non poteſt, ſaccum autem longe facilius. Ipſae praeter ea venae pulmonales, contra quam reliquae, breuiores ſunt, et iis, quae alias venas dilatant, cauſſis deſtituuntur, in venis etiam, quae in dextram deſinunt auriculam, non deficientibus. Concidit itaque permultorum opinio, qui condenſationem et refrigerationem ſanguinis pro cauſa adſumunt. Quibus etiam argumentis ea, quae in hoc caſu obſeruabantur, ſingularia phaenomena et feliciſſime ſoluit Cl. Auctor et eiusmodi, quae veritatis haud parum ſecum habet, dedit eorum explicationem.

IX.

Philoſophical Obſervations on the Analogy between the Propagation of Animals and that of Vegetables: in which are anſwered ſome Objections againſt the Indiviſibility of the Soul, which have been inadvertently drawn from the late curious and uſeful Experiments upon the Polypus and other Animals. With an Explanation of the Manner in which each Piece of a divided Polypus becomes another perfect Animal of the ſame ſpecies. By JAMES PARSONS, M. D. F. R. S. London: printed for C. Davis, 1752. 8. maj. 19. pl. 1. tab. aen.

h. e.

Philoſophicae obſeruationes de ſimili animantium et vegetabilium propagatione etc. Auctore IACOBO PARSONS.

Quo conſilio Cl. Auctor, cuius nomen iam aliis ab ipſo editis commentationibus orbi litterato inno-

innotuit, ad hunc librum ſcribendum appulerit animum, ipſe partim in litteris, quibus hoc opuſculum S. V. Epiſcopo Londinenſium dicauit, partim in praefatione edicit. Voluit nimirum erroneas vulgi opiniones de animalium et plantarum propagatione confutare, et veras notiones rerum ad hoc naturae opus pertinentium ſtabilire, diuerſis etiam hiſtoriae naturalis argumentis nouam lucem affundere, denique pernicioſas concluſiones, quas non nulli ex quibusdam male intellectis propagationis phaenomenis contra animae humanae indiuiſibilitatem et immortalitatem duxerunt, conuellere, et perpetuis admonitionibus mentem lectoris ad infinitam Dei ſapientiam et bonitatem contemplandam pieque venerandam excitare. Diuiſit hoc opuſculum in ſex capita.

In *primo* capite diuerſas auctorum opiniones de propagatione animantium et vegetabilium perpendit. Plerique veterum exiſtimabant, omnem materiam ſeminalem, quam mas feminae immittit, admixtam ſemini muliebri, impendi in formandum foetum. Quidam formandi foetus vim ac facultatem ipſi utero tribuebant, plerique autem peculiarem quandam *vim plaſticam*, materiae ſeminali inhaerentem, aut ſaltim illi ſemper praeſentem, comminiſcebantur, cuius operatione et induſtria ex ſemine membra perfecti animalis figurarentur. Contra hanc vim plaſticam, cuius notio hic ex C. BAVHINI opere *de Hermaphroditis*, et ex HENRICI MORI libro *de immortalitate animae* traditur, Cl. Auctor copioſe diſputat, et quam multa in ea notione imaginaria contineantur, et ſecum inuicem pugnantia, et aliis ſanis certisque doctrinis contraria, praeclare oſtendit. Illo autem, vtut abſurdo, commento tantum non omnes phyſicos, ait Auctor, contentos fuiſſe usque ad ſeculi ſuperioris initium, quo tempore celebris Lynceorum in Italia Academia (cuius hiſtoriam ſe proxime editurum eſſe pollicetur) omnem ſponta-

neam et aequiuocam generationem reiicere, et, microſcopiorum uſu adiuta, omnium ex ouis generationem ſtabilire coepit. In primis laudat illius Academiae ſodalem, IOANNEM FABRVM, qui in commentario in FRANCISCI HERMANDEZ *Rerum medicarum nouae Hiſpaniae Theſaurum* veterum phyſicorum erroneas de generatione ſententias per obſeruationes ſuas microſcopicas refutauit. Deinceps, laudatis ſagaciſſimi HARVEI hac de re inuentis et obſeruationibus, diſputat aduerſus omnes eos inter recentiores phyſicos, qui in explicando generationis animalium negotio ſumunt, aliquam ſeminis maſculini portionem ingredi uterum, et ad ouula feminina deferri. Negat, in coniunctione maris et feminae, quidquam craſſae materiae ſeminalis ab utero recipi, ſed quidquid in vaginam uteri a mare ſit iniectum, id omne, ait, mox inde effluere, neque a femina quidquam eius retineri; quin potius ouula in ipſis ouariis foecundari, ad quae ne minimae quidem ſeminis particulae per anguſtiſſima tubarum Fallopianarum orificia aditus concedatur; ipſius etiam ouuli talem eſſe ſtructuram, ut illud ineptum redderetur embryoni fouendo, ſimul ac quidquam extrinſecus in illud ſe penetraret; diſruptis enim vel perforatis ouuli membranis, neceſſe eſſe, ut per hoc vel minimum foramen omnis liquor amnii effluat, hinc membranae ouuli concidant, et ſic ipſi embryoni exitium afferatur. Quibus de cauſſis Cl. Auctor neque animalculis ſpermaticis ullas in generatione partes tribuit, quippe quae, prout ipſi videtur, ad oua pertingere prorſus nequeunt, quum vehiculum, in quo natant, ad ouarium peruenire non poſſit, aut, ſi vel maxime ad ouum pertingerent, in illud tamen ingredi viua non poſſunt, quum vehiculum ipſorum ab ouo non admittatur. Sub finem primi capitis magnum HIPPOCRATEM, qui non nullis in locis *de generatione*, ob anatomiae ſubtilioris ignorationem, incongrue locutus

cutus est, modeste reprehendit; porro CARTESII opinionem, per fermentationem seminis masculini cum foeminino foetum formari, refutat; denique contra celeberrimum libelli francici, *Venus physique*, inscripti Auctorem disputat, qui magnam similitudinem inter formationem foetus et arboris Dianae ortum deprehendisse videtur, et alio in loco eius libelli pro verisimili habet, Deum animantia hodie etiamnum creare, et immediato potentiae diuinae exercitio singulas animalium species propagari; quarum coniecturarum illam quidem breuiter solideque refellit, huic autem, quod miramur, nil aliud opponit, nisi hoc, non repugnare omnipotentiae diuinae, ut in principio omnia, quae unquam extitura essent, animalia et vegetabilia simul sint creata, posse tamen etiam explicari negotium propagationis non supposita illa simultanea omnium indiuiduorum creatione, id quod ex sequentibus manifestum fore ait.

Capite *secundo* suam ipse exponit sententiam de mo- p. 66.
do, quo animantia et vegetabilia propagantur. Analogiam in utriusque regni propagatione sic explicat: Quem ad modum in vegetabilibus femineae partes florum non foecundantur, nisi per partes eorum masculinas, ita in animalibus, ut foecunda reddatur femina, maris congressus necessarius est: in illis farina staminum defertur ad papillas pistilli, quae ad uterum ducunt, in quo tenerrima semina latent, proximae mutationi subeundae iam parata, et simul ac ad globulos farinae, in angustis pistilli tubis nunc haerentes, certa humiditas accedit, rumpuntur illi, et eiiciunt certa vi elastica in ouarium impraegnans quoddam effluuium, quod seminibus ulteriorem perfectionem et foecunditatem conciliat; in his liquor spermaticus, ex pene maris certorum musculorum vi in vaginam uteri feminei iniectus, vehiculum est subtilis effluuii seu aurae, quae per omnes partes penetrat, donec attingat et irroret oua, ad foecundationem matura:

in

in vegetabilibus peracta foecundatione partes maſculinae florum exareſcunt, ſemina in utero, propriis nidulis contenta, ad perfectum ſtatum creſcunt, quem ubi attigerunt, indureſcunt, et petiolis ſuis decidunt, atque in capſula ſeminali vel fructu abſcondita latent, quae capſula ipſa ad maturitatem prouecta de planta ſecedit; in animantibus poſt impraegnationem ſtatim primo quouis feminae motu craſſa materia ſpermatica e vagina uteri reiicitur, et in viuiparis quidem foecundarum ouulum inturgeſcit, loco, cui affixum eſt, ſeſe expedit, et per tubas Fallopianas in uterum venit, ubi nutritur, donec maturum et perfectum, ſeparata ab utero, per quam nutriebatur, placenta, ex utero exeat; in ouiparis autem ouum foecundatum mox veſtitur teſta, ſimili nucleorum putaminibus, decidit de ſuo petiolo, et excluditur e corpore matris perfectum, et idoneum ſimili animanti producendo, quam primum certus caloris gradus acceſſerit, a quo illud, aeque ac granum ſeminale plantae, inteſtinum motum accipiat, ut nutritioni aptus ſuccus per vaſa umbilicalia ad embryonem deferatur. Apparet ex his, Cl. Auctorem ab eorum partibus ſtare, qui ſumunt, in ouulo, etiam ante eius impraegnationem, ineſſe corpuſculum organicum, futuri foetus, futuraeue plantulae rudimentum, quod viuificandum ſit ſpiritu illo vel aura, quam liquorem ſpermaticum maſculinum, vel pulpoſam farinae florum ſubſtantiam, exhalare credunt. Optime vidit, hanc ſententiam ſibi eſſe argumentis confirmandam: ſed quum ad hoc conficiendum duplex via ſit, quarum una eſt a poſteriori, hanc quidem prorſus non ingreditur, confeſſus, tantam eſſe ante foecundationem exiguitatem corpuſculorum organicorum in ſeminibus, ut nullo modo cognoſci et viſibilia reddi queant, modum etiam, quo rudimenta ab aura ſeminali afficiantur, nunquam ab homine iri detectum; a priori autem probabilem efficere eam, quam ſuam fecit, ſententiam ſtudet, duplici

plici argumento uſus. Primo, inquit, eo tempore, quo apices ſtaminum farina ſua turgeſcunt, omnes uteri partes et ipſa ſemina ſpongioſa ſunt et ſucci viridis plena, nec ulli corpuſculo organico utcunque exiguo peruia, quippe nullam in ſe cauitatem habentia, quae ullum peregrinum corpus recipere poſſit; ſecundo, ipſa ſeminum (quorum in nonnullis plantis ingens numerus eſt) elegans in utero floris diſpoſitio, eorumque cum capſula per totidem petiolos connexio, perſuadent, germina non eſſe aduentitia corpora, quae extrinſecus in ouarium floris ſint delata. Nos valde veremur, ut haec argumenta ſatis ſint factura iis, qui cum MORLANDO et NEEDHAMO ſentiunt, et vi demonſtrationum percipiendae ſunt aſſueti; id, quod nobis etiam de ſupra allatis contra uſum animalculorum ſpermaticorum argumentis videtur.

Superſunt in hoc capite non nullae animaduerſio- p. 97.
nes, quas Cl. Auctor tanquam conſectaria explicatae propagationis analogiae addidit. Ad quaeſtionem, cur ſemina et foetus de locis, in quibus hactenus nutrita fuerunt, decedant, et creſcere deſinant, poſtquam matura facta ſunt, et cur plantae atque animantia non in immenſum creſcant, reſpondet, fibras vaſculorum ſuccum nutritium aduehentium tandem rigidas fieri et ſeſe contrahere, ut ſucco illi via praecludatur, et in prima rerum creatione a Deo materiae ſingularum rerum praeſcriptos eſſe limites, ultra quos ſeſe extendere nequeat, ne formae ſingularum ſpecierum immutentur. Quam ob rem ex alba matre et nigricolore patre naſcatur infans ſubnigra cuticula praeditus, rationem, dicit, eſſe in aura ſeminali patris, per quam naturalis rudimenti foetus in ouulo matris color mutetur; foecundantibus enim effluuiis partium maſculinarum in animantibus aeque ac vegetabilibus ſuas peculiares eſſe qualitates, quibus inter ſe inuicem qua colorem, odorem, etc. differant. Cur muli non gignant,

gignant, hanc cauſſam affert, quod, quum in foecundo aliorum animalium ſibi inuicem ſimilium coitu aurae ſeminalis maris particulae aliquatenus homogeneae eſſe debeant ſuccis rudimentorum in ouulis feminarum, in mulo contra iſtae particulae, per coitum a parentibus contra naturam factum, ſic degenerauerint ab homogeneitate cum particulis liquorum, rudimentis in ouulis mulae vel equae innatorum, ut illae his admiſtae aut omnino deſtruant rudimenta foetus, aut nihil ad ea viuificanda conferre queant. Tandem vix dubium eſſe monet, quin eodem, quo maiora animantia, modo minima etiam animalcula propagentur, quae ubique, adeo et in ſanguine, reperiri, et a permagno caloris gradu nequidquam laedi, dicit. Qua occaſione recenſet experimentum, memoria dignum, et a Cl. HILL ſecum communicatum, qui phialae aquae ebullientis, in qua ipſa ſuſpenſa erat, ſemiplenae indidit ſemina hyoſcyami, in mortario probe contuſa, dein, phiala cum ſeminibus bene conquaſſata, totam impleuit aqua ebulliente, eiusque collum ſubere clauſit et obſignauit, poſt tres autem dies iterum aperuit, et in qualibet gutta huius liquoris per microſcopium tantam animalculorum tenui planoque corpore vidit multitudinem, ut ſe vix mouere poſſent. Quod autem putredo et fermentatio aliquid ad procreationem talium animalculorum conferre videatur, id inde eſſe, ait Auctor, quod fermentatio liquores limpidos et diaphanos reddat, et ſic in illis viuentia animalcula oculo armato prodat.

p. 106. In capite *tertio* tria conſtituit organicorum rudimentorum genera. *Primarium* appellat, quod in ipſo ouo delineatum eſt, *ſecundarium* autem, quod in aliqua parte plantae vel animantis iam nati exiſtit; his duobus, quae toti plantae vel animali producendo idonea ſunt, ſubiicit *tertium* genus *ſubordinatorum* quae vocat, rudimentorum, quibus certae partes animantium inſtructae ſunt, et ex quibus non totum

totum animal, ſed aliqua tantum eius pars prodire poteſt.

Primarium et perfectum rudimentum, ad mentem Auctoris noſtri, eſt in animalibus quidem complet- tum ſyſtema vaſorum e corde exeuntium et ad cor reuertentium, et in maioribus animalibus unum tale rudimentum ſufficit toti animali producendo, quia animales ſubſtantiae natura molles ſunt et flexiles, ideoque explicari, et ab initio usque ad perfectum animalis ſtatum dilatari poſſunt. In vegetabilibus autem, quia fibris durioribus et magis rigidis plerumque praedita ſunt, primarium rudimentum eſt quidem etiam congeries vaſorum, ſed quorum aliqua ſic fabricata ſunt, ut poſtquam in longum ſatis excreuerint, terminentur in modis ſeu ſecundariis organicis rudimentis, quae ſunt certae implicationes fibrarum primi caulis vel ſtipitis, e medulla ipſius quaſi prodeuntium, et creſcendo alios nodos producere, atque in perfectam plantam abire poſſunt. Sic nodum ex ala frondis querneae exciſum ſibi ad manus eſſe, ſcribit Auctor, qui ſuarum fibrarum complicatione cor humanum referat. Eiusmodi rudimenta in omnibus arborum et fruticum partibus, ipſis etiam earum radicibus dari, hodie notum eſt; hinc et e radicibus enaſci truncos et ramos, cum floribus et fructibus, ſi arbor inuerſa plantetur. Aliter tamen rem ſe habere, monet Auctor, in eis plantis, quae radicibus eſculentis praeditae ſint; has enim, quum a Deo tantum cibo hominum ſint deſtinatae, carere rudimentis ſeu gemmis, ex quibus folia et flores poſſint prodire. Non licet nobis preſſius ſequi Cl. Auctoris veſtigia, qui hoc loco de variis modis arbores aliasque plantas propagandi copioſius exponit. Tranſeamus ergo ad *quartum* caput, quod inſcriptum eſt: *analogia fluidorum in animalibus et vegetabilibus, cum explanatione ſecretionis in utrisque.* p. 111. p. 139.

Ponit

Ponit Auctor in germine, quod in femine latet, exiguam copiam innatorum ſuccorum, qui in ſuis quisque vaſculis reconditi, ſimilesque ſint illis, quos et parenchyma ſeminis continet, et ipſa planta adulta in magna copia exhibet; atque initio e parenchymate, deinde ex aqua, vel ex humore in terra fertili obuio, et e multigenis ſuccis miſto, vaſcula illa, dum germen creſcat, eos tantum ſuccos attrahere, qui ſuccis, quos ſingula iam continent, ſint congeneres, repudiatis ceteris. Hanc ſententiam confirmare ſtudet deſcriptione ſeminum angelicae, et cardamomi, et granorum vulgo ſic dictorum paradiſi. In ſeminis angelicae ſuperficie, detracta eius tunica, per microſcopium vidit ſtriatim diſpoſitum gummi aromaticum, colore ſuccini, unde peculiaris plantae huius odor. In centro grani paradiſi, et ſeminis cardamomi, ſe primum, memorat, diſtincte vidiſſe moleculam camphorae, qualem BOERHAAVIVS deſtillatione inde elicuerat. Addit duo alia ſententiae ſuae argumenta, quorum alterum ex eo deſumtum, quod videmus plures plantas admodum diuerſae indolis in exigua parte ſuperficiei telluris, vel in eodem vaſe aquae pleno, ſimul creſcere ac florere; alterum ex eo, quod gemma alicuius arboris inſerta alius trunco, in arborem euadit, illi, ex qua decerpta, non illi, in quam inſerta fuit, ſimilem.

Iam hanc ſecretionis et nutritionis rationem, in regno vegetabilium obuiam, affirmat Auctor in animantibus etiam locum habere; ouulum enim animale poſt impraegnationem in uterum delatum haurire per venulas abſorbentes ſeu radiculas placentae ſanguinem matris, in quo ſint commixti liquores, illis ſimiles, qui in peculiaribus rudimenti foetus vaſculis iam iam lateant, et ex hauſta hac ſanguinis materni maſſa, ad ſingulas corpuſculi foetus partes per arterias eius deuecta, quamque partem illud ſibi ſolum liquidum attrahere, quod innato ſibi liquido affine

ſit,

ſit, velut hepar bilem, pancreas ſuccum pancreaticum etc. Hanc hypotheſin, quam primus, ni fallimur, protulit BERNARDVS CONNOR*, et quam poſt ea Cel. WINSLOVIVS**, propter ea etiam a noſtro Auctore hic laudatus, exornauit, ſolam probabilem eſſe euincere annititur Auctor, monendo, non aliter, quam huius hypotheſeos ope, explicari poſſe, cur ſepia inſtructa ſit eo, cuius effuſione inſectatores ſuos eludit, atramento, quo tamen ſalmo, et trutta, et alii eodem cibo veſcentes piſces carent, cur non omnes ſerpentes venenatae ſint, cur viperae morſus letalis ſit, cuius tamen caro bonum alimentum praebet, et cur moſchus ac caſtoreum certis tantum animalibus propria ſint, licet ea cum pluribus aliis eadem alimenta communia habeant.

Quinti capitis varia ſunt argumenta. Initio Auctor de *ſubordinatis rudimentis organicis* exponit, quae in certis animantium partibus recondita eſſe perhibet, ut ex iis adiacentes partes, ſi forte pereant, poſſint renaſci. Huc refert rudimenta unguium, pilorum et plumarum, dentium et cornuum, nec non chelarum, quas in cancris deſtructas natura reparat. De qua quidem reparatione ex ſuis obſeruationibus et experimentis, in gammaris aſtacisque inſtitutis, diſſerere profitetur: ſed omnem hanc rem ut paullo tractaſſet copioſius, optandum fuiſſet. Non enim diſſimulandum nobis eſt, longe enodatius haec phaenomena dudum expoſita eſſe ab Ill. DE REAVMVR ***, de cuius tamen obſeruationibus nihil conſtitiſſe Auctori noſtro videtur; nuper enim demum his de phaenomenis certiorem ſe factum eſſe, ait, e PETRI COLLINSONII relationibus, in ſocietate regia ſcientiarum Londinenſi praelectis, iisque ſe excitatum ad rem p. 182.

* In epiſtola euangelio medici annexa.
** In Comm. Acad. Sc. Pariſ. an. 1711. Hiſt. 24. Mem. 316.
*** ibid. an. 1712. Hiſt. 45. Mem. 295. edit. Amſt.

rem proprio marte perſcrutandam. Quam vero coniecturam illuſtris ille naturae indagator, iſtorum phaenomenorum explicandorum gratia timidius olim propoſuerat, eam Noſter tanquam rem minime dubiam profert.

Ab hoc animalium genere tranſit ad ea animalcula, quae ante aliquot annos Cl. TREMBLEII induſtria celebria reddidit, et quibus polyporum nomen impertitum eſt. Satis hodie conſtat, eius modi animalculo in plures partes diſſecto, ſingulas partes abire in totidem animalia, primo ſimilia, naturalem autem propagationis modum eſſe, quum polypus ex ſe protrudat foetus, qui, dum creſcunt atque in animalia matri ſimilia euadunt, lateri matris adhaerent. Iam inter haec inſecta et ſalices perfectam ſimilitudinem Cl. Auctor deprehendit, quam in figura, tabulae aeneae inciſa, oculis exhibet, et verbis ſic expo-
p. 201. nit: Quem ad modum iunicula ſalix integrum eſt corpus organicum, quod ſponte ſua ad perfectam proceritatem vi principii vegetatiui creſcere poteſt, ſic polypus eſt corpus perfectum organicum, capax extenſionis et incrementi, donec perfecte adultum ſit, et potens ſemet ipſum nutrire, locoque mouere, vi principii animantis; ſicut ſalix creſcens ſucceſſiue ramos emittit, prodeuntes ex organicis ſtaminibus, et in ſe continentes ſecundaria organica rudimenta ſuo tempore euoluenda, ita polypus ſucceſſiue excludit ex ſe foetus lateribus ſuis adhaerentes, qui ſine dubio latebant in ſecundariis rudimentis organicis, quae Dei prouidentia in lateribus inſecti repoſuit, et hi foetus alia organica ſtamina foetuum ſuo tempore excludendorum in ſe continent; ſi pars ſalicis, nodo ſeu ouo ſecundario praedita, plantatur, abit in arborem ſui generis, ramos et fructus laturam; haud ſecus parte de polypo reſecta, quum praedita ſit ſtaminibus ſecundariis, unum horum ſtaminum ſeſe primum explicat, et fit polypus, foetus iterum ſuos

iuſto

iusto tempore productus. Apertum ergo est propagationis polypi mysterium: scilicet qui polypum in partes secat, anticipat duntaxat partum eius foetus, qui in ouulo, quod quaeque pars continet, iam latuit, et qui sponte sua e latere matris integrae suo tempore erupturus erat, sicuti gemmae seu nodi frondis abscissae et plantatae citius se explicant, ac si frons arbori coniuncta mansisset. Cur mirabilis hic propagationis modus in maioribus animalibus non occurrat, ratio est, monstrante Auctore nostro, quod haec et per se tutiora sunt a periculis, quae polypos et stellas marinas, aliaque hoc genus insecta, membris suis priuare solent, et ista pericula praecauere facilius possunt atque euitare, praeter ea etiam eorum species illa ratione in nimiam indiuiduorum multitudinem propagarentur. Ceterum bene monet Cl. Auctor mirifice falli, qui ex polypi propagatione concludunt, animam posse in partes discerpi, quum potius consentaneum sit, ut unicuique secundario animalis rudimento, in corpore polypi integri latenti, iuncta sit peculiaris anima; experientia docente, in perfectioribus animantibus, quae eiusmodi secundariis staminibus carent, nullum membrum amputatum viuere, neque in viuum animal abire, posse. Haec res Auctorem inuitat ad considerandam hominis prae illis animantibus, qui polyporum more propagantur, excellentiam, quam et ex corporis sui structura et ex animae suae facultatibus habet. Quod argumentum in capite *sexto* persequitur, in quo de felicitate, quam homo in futura post mortem vita expectare potest, et de conditionibus consequendae huius felicitatis agit, simul fontem iuris naturae indicans, quem in naturali boni malique sensu deprehendi arbitratur. p. 218.

X.

Rhabarbarum officinarum, Praeſide D. IOANN. GEORG. GMELIN, Bot. et Chem. P. P. O. ſpeciminis inauguralis loco proponit VICTOR BENGEL. Tubingae 1752. 4. pl. 4.

Licet de radice rhabarbari multa iam in ſcriptis medicorum annotata inueniantur, Cl. Auctor tamen, dum hoc argumentum denuo tractandum ſibi ſumſit, et in tribus capitibus locum natalem, veram plantam rhabarbarum exhibentem, et virtutes medicas expoſuit, haud pauca notatu digna huic diſſertationi inſeruit. Quae ex plurimis ſcriptoribus erudite ſelegit, et in ordinem diſpoſuit, repetere non poſſumus, ea igitur tantum propoſituri ſumus, quae propria Auctorem docuit obſeruatio. Rhabarbarum
p. 8. circa urbes Sinenſes Tanguticae regioni finitimas in prouinciis Setſchuen et Schenſi, et ad lacum Kokonor, quae prouinciae inter viceſimum ſextum et trigeſimum nonum gradum latitudinis borealis ſitae ſunt; minime vero ad Wolgam fluuium, neque in Sibiriae prouinciis creſcit. Chalmucci, qui hanc radicem olim in Sibiriam transportarunt, grauiſſimis bellis impediti, non niſi poſt annum huius ſeculi quadrageſimum, eandem iterum in Sibiriam detulerunt. Chalmuccenſes Buchari, immo magnae Buchariae incolae eandem in Perſiam transportarunt, unde ad portus maris mediterranei (olim forte magis, quam nunc) peruenit. Buchari Sinenſes in urbibus, Tanguticis terris finitimis, commorantes, hanc radicem per totam Chinam, Peckinum praecipue, tranſtulerunt, unde commutatione mercium in Ruſſicum imperium deuenit. Hac via quoque Cantonum tranſiit, ubi variorum Europae populorum commerciis tradi-
p. 16. tur. Inter alia curam oſtendit Auctor, qua rhabarbarum ſic dictum moſcouiticum a Bucharis et Chalmuccis, qui illud in finitimum Chinae oppidum Kiachtan deportant,

tant, emitur, et Petropolin mittitur. Collegium nimirum commerciorum Ruſſicum a cancellaria medica pharmacopoeum ſibi expetit harum rerum peritum, qui ſi magnam quantitatem, carioſam vel corruptam deprehendit, eandem remittit, ex ea vero, quam non adeo mendoſam inuenit, carioſas quasdam radices ſeligit et vulcano committit, optimas vero et pretio dignas in ciſtis ligneis, extus pice illinitis, conſeruare iubet, quo ab omni humiditate defendantur, et viribus integris conſeruentur; ut itaque rhabarbarum moſcouiticum, ad minimum pro ratione commercii moderni, omnibus reliquis praeferri mereatur. Dum p. 19. plantam veram rhabarbari definire ſuſcipit Noſter, *Rhabarbarum rotundifolium verum* MVNTINGII *, nec non *Rhabarbarum folio longiori, hirſuto, criſpo, florum thyrſo longiori* et *tenuiori* AMMANI** quorum prius *Rheum foliis glabris*, alterum *Rheum foliis ſubuilloſis* appellat LINNAEVS *** prae aliis plurimis, rhabarbari vel rhapontici nomine inſignitis, plantis adſumit; et licet differentiam ſpecificam utriusque huius plantae, a LINNAEO concinne deſcriptam, Noſter quoque confirmet, et addat poſterioris caulem altiorem, ſpicas floriferas minus denſas et altiores, totamque plantam anguſtiorem, non adeo in latum diffuſam eſſe, quam prioris: nomen tamen ſpecificum, a glabris et ſubuilloſis foliis deſumtum, ipſi diſplicet****. Adnotandum quidem eſt, plantarum in

 hortis

* Diſſ. Hiſt. Med. de vera herba britannica. Amſtelodami 1698. 4. p. 192.

** Stirpium rariorum, in imperio rutheno ſponte prouenientium, icones et deſcriptiones. Petropoli 1739. 4. mai. p. 7. no. 9.

*** In Horto Upſalienſi, Stockholmiae 1748. 8. p. 98.

**** Contemplatio accuratior harum plantarum, in hortis noſtris quoque cultarum, nos cogit, ut Cl. GMELINO adſentiamur. Licet vero reliqui characteres, a foliis undulatis et longioribus deſumti in ultima planta

hortis noſtris cultarum radices, non in tantam amplitudinem excreſcere, ſed potius in longitudinem produci, radicem quoque non adeo amaram, ſed viscoſam magis, nec venis tinctam *, facili praeter ea corruptioni obnoxiam deprehendi; locum natalem tamen plantas mire mutare poſſe certiſſima res eſt.

p. 15. Addamus differentiam eductorum ex planta, in patrio ſolo nata, et in terris noſtris culta. Illius libra duae ciuiles dederunt extracti gummoſi uncias duodecim, extracti poſt ea reſinoſi uncias duas et ſemiſſem, extracti tandem gummoſi ſecundi unciam unam, reſiduum uncias quatuor cinerum exhibuit, e quibus ſalis grana viginti quatuor educta fuerunt, et unciae tres, ſeptem drachmae cum dimidia remanſe-

p. 20. runt. Huius libra una ciuilis dedit extracti gummoſi primi uncias tres et drachmas tres, extracti reſinoſi uncias duas et drachmam ſemis, extracti gummoſi ſecundi drachmas duas, reſiduum, in cineres mutatum, nouem grana ſalis lixiuioſi et terrae unciam ſemis exhibuit. De virtutibus rhabarbari, de pharmaceuticis praeparationibus et doſi huius medicamenti, tum ex aliorum, tum propria experientia, multa tandem adfert Cl. Auctor lectu digna.

XI. No-

ta prae priore magis, quam villoſitas attendi mereatur, tamen florendi modus differentiam ſpecificam ſatis certe definit, quum plantam priorem *Rheum thyrſis compactis*, alteram *Rheum thyrſis ſparſis* appellare non dubitauerimus.

* Ex obſeruatione nunc, quum haec ſcribimus, in recentibus radicibus inſtituta, cognouimus venas, internam radicis ſubſtantiam pingentes, in *Rheo thyrſis compactis* et in capite et in ramis transuerſim diſciſſis, parum tantum conſpici, diſſecta vero *Rhei thyrſis ſparſis* radice, in capite potiſſimum, et in medulla, et in parenchymate egregie decurrentes venas, ut in optimo rhabarbaro officinali, obſeruauimus. Nos vero, qui plantam in ſolo natali diſquirere haud poſſumus, ſpeciei poſteriori prae priori maiorem praeſtantiam adſcribere non audemus.

XI.

Nouum problema chirurgicum de extractione cataractae ultra perficienda proponit GEORGIVS FRIDERICVS SIGWART Phil. et Med. D. Reſpondente DAVIDE MAVCHARTO. Tubingae 1752. 4. pl. 8.

Breui abhinc tempore diſſertationem ſub Cl. DE IVSSIEV praeſidio ventilatam recenſuimus *, in qua ille Auctor cryſtallinae lentis, opacae factae, per vulnus corneae inflictum, extractionem prae eius, per acum facienda, depreſſione commendauerat. Eodem etiam fine iam indicatam diſſertationem conſcripſit Cl. SIGWART, et pariſienſium chirurgorum inuentis atque ſtudiis ulteriora ſuperaddere conſilia atque artificia tentauit; idque prae multis aliis eo facilius omnino praeſtare potuit, quo maiorem ſe dediſſe ait operam, ut perfectam operationis eius acquireret cognitionem. Illam enim ab eius auctoribus non accepit ſolum, ſed eorum quoque operationibus ipſemet interfuit. Poſt praemiſſum igitur prooemium, quod ſic dicta *praecognoſcenda*, methodum in primis ſyſtematico-demonſtratiuam, qualis eſſe debeat, reſpicientia continet, in *parte prima de extractione cataractae nouiter tentata* agit. Vt cataractae definitionem p. 11.
ſuppeditet, quae omnibus verae logicae regulis conueniens dici queat, et morbum, hoc nomine inſignitum, exacte determinet, illam ſic definiendam eſſe p. 12.
exiſtimat, ut ſit *oculi morbus animalis, partibus ipſius, corneam inter atque corporis vitrei nucleum pupillae reſpondentibus, inhaerens, easque opacans.* Quum igi- p. 19.
tur omnes hae partes pupillae reſpondentes, humor ſcilicet aqueus, capſula lentis cryſtallinae, ipſa lens cryſtallina, tandemque hyaloidea membrana, ſinum illum, cui lens inſidet, inueſtiens, cataractae morbum in ſe ſuſcipere queant, totidem quoque eius ge-

* Vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 352.

nera conſtituit, *cataractam* nimirum *aqueam* ſeu humoris aquei, *capſulae*, *cryſtallinam*, et denique *cataractam ὑαλώδην*. Inter omnes conſtat, quo modo talibus aegris huc usque auxilium tulerint medici ocu-
p. 21. larii: de ea vero *operatione chirurgica, qua cataracta ex ipſo oculi bulbo remouetur*, quam eius *extractionem* vocant illius inuentores et defenſores, ad haec usque tempora nihil fuiſſe dictum, Cl. Auctor docet. Similis enim operandi modus, quem deſcripſit AVICENNA *, ut et ille, quem exercuiſſe dicitur ALBVCASIS, eam tantum cataractae ſpeciem ſuſtulit, quae dicitur aquea: de reſtituendo autem viſu per extractionem lentis cryſtallinae nemo nequidem cogitauit. Num TAYLORVS eam inſtituerit, prout gloriatus fuiſſe dicitur, incertum eſt. PALLVCCIVS idem de ſemet ipſo quidem depraedicauit **; contra quam rem tamen Auctor noſter varia monet. Fama quo-
p. 28. que deinde percrebuit, dari monachum Pariſiis, qui, praeſertim in pauperibus, nouam cataractae medendi methodum applicaret. Licet is vero non ſuam ſolum artem, ſed ſuum quoque nomen celare omni ſtudio anniteretur: eum tamen, eiusque operandi rationem detexit Noſter. Eſt ille nimirum monachus iſte, ſub nomine FRERE COME, et propter inuentum pro lithotomia laterali inſtrumentum et de eodem editam tractationem, ſatis notus. In linea recta horizontali, ſupra mediam ipſius pupillae partem, eum incidere corneam, ex oculorum, quos tractauerat, inſpectione apparuit. Praeter ea etiam rudi eum manu, vel incommodis certe inſtrumentis curare aegros, relicta caecitas, ſimulque difformis, craſſa et inaequalis cicatrix, in femina ab illo redeunte de-
p. 30. prehenſa, Noſtrum docuerunt. Qui nouam vero illam methodum inuenit vel certe primus exercuit, eſt Cl. DAVIEL, Galliae regis atque Palatini electoris chirur-

* L. 3. Sen. 3. Tract. 4. c. 20.
** Methode d'abbattre la cataracte p. 157.

chirurgus ordinarius, qui iam oculorum tantum morborum curam in se susscipit, et, licet olim quoque cataractam consueta ratione depressserit, nunc tamen eam hoc modo per solam extractionem remouet. Illius exemplo et felici operationum successu permotus Cl. MOREAV, regii Parisiensis nosocomii, quod *l'hôtel de Dieu* appellatur, chirurgus primarius, feliciter haec tentamina imitari dicitur. Instrumenta, quibus utuntur hi duumuiri, eorumque operandi modum Cl. Auctor describit, quae utraque ab iis, quae nuper descripsimus * parum differunt, si duo parua exceperis cochlearia, quorum uno incisae corneae labium eleuatur, alterum vero ad promouendam, si renitatur, cataractam, et impuritates, post illam extractam, ex oculo exhauriendas adhibetur. Quum haec autem operatio multis omnino periculis obnoxia sit, quae ingenue et aperte recensset et non numquam se obseruasse dicit Auctor, de praecauendis istis malis, ipsoque artificio magis perficiendo cogitauit. In altera igitur huius tractatus parte *problema de cataractae extractione ultra perficienda*, sistit atque soluit. p. 30. Instrumenta, quae commendat, iis, quibus utuntur illi modo nominati viri, magnam partem sunt similia: a) *Lanceola* nimirum *myrtiformis plano-conuexa, ex utroque latere secans, cuspidem habens tenuissimam acutissimamque, et in ea, qua cum manubrio coniungitur, parte paululum incuruata;* b) *Specillum sulcatum ex chalybe confectum, extremitate gaudens polita, rotunda, non sulcata, sulco praeditum paululum profundiori, et in marginibus bene laeui nec inaequali, quod denique manubrii loco volsellam habet non dentatam, sed planam;* c) *Forfex brachia habens recta, tenuia, iuxta manubrium incuruata, et qua ad extremitatem eorum usque eiusdem sunt crassitiei;* d) *Acus post cuspidem ipsius acutissimam bene laeuis et polita;* e) *cochlear denique paruulum argenteum, quod manubrii*

* Vid. Comment. nostr. l. c.

nubrii loco volſella iterum inſtructum eſt. Ipſius quidem operationis, quam ceu optimam ſibi viſam commendat Cl. Auctor, ſatis ampla eſt deſcriptio: cum ea tamen totius fere diſſertationis ſumma pars, ipſaque res multis forte ex lectoribus noſtris noua ſit, nec absque obſcuritatis metu breuius adhuc recenſeri poſſe videatur, illam ipſam, qualem Auctor dedit, hic loci repetere, ipſiusque verba transſcribere licebit: p. 39. *Explorato morbo, praeparatisque aegro, miniſtris, inſtrumentis, et reliquis ad operationem requiſitis, ex aduerſo conſidant aeger atque chirurgus, ita, ut hic altiorem, iſte vero inferiorem habeat ſitum, ſub quo lux inter utrumque permeare, et in oculum operationi obnoxium manumque operatoris libere illabi poſſit. Deuinciatur oculus alter faſcia aut ſtrophiolo, transmiſſisque aegri pedibus inter chirurgi pedes, atque depoſitis ipſius ſupra huius genua manubus, ab uno miniſtrorum obſeruandis, ſumatur lanceola ſupra deſcripta, ut calamum apprehendimus ſcriptorium. Iam alter miniſtrorum caput aegri ſurſum retrorſumque ad ſe reclinet, palpebramque ſuperiorem attollens, et digitos ſuos quam leuiſſime apponens, mobilitatem bulbi oculi caute moderet. Palpebram vero inferiorem chirurgus deprimat, digito iterum bulbo oculi leniter appoſito, eiusdemque volubilitatem moderate dirigente. Oculo nunc aegri, monente artifice, ſurſum moto debiteque poſito, in medio inferioris hemiſphaerii corneae, lineae diſtantia ſupra marginem, quo cornea ſcleroticae iungitur, lanceola ſemper ad mobilitates oculi incertas attemperata, brachiis in menſa iuxta poſita ſuffulto, in dicto corneae puncto apponatur placideque demittatur, moxque ſurſum verſusque pupillae centrum uueam inter atque corneam directa altius introducatur, et tandem iſta, eadem via et dexteritate reducta, iterum extrahatur.* Haec primum operationis *complent* ſtadium. *Quo abſoluto, ſepoſitoque priori inſtrumento, ſumatur ſpongia, aqua tepida imbuta, iterumque modice expreſſa, eaque eluatur*

plorans

plorans oculus. Hanc ſeponendo manu ſiniſtra comprehendatur ſpecillum ſupra deſcriptum, dextra vero manu forfex, digito annulari annulo forficis inferiori, pollice vero ſuperiori ipſius annulo immiſſis. Vtraque interim palpebra per miniſtrum, cautione iam indicata, remota, ſpecillum ſulcatum per vulnuſculum, lanceola arte factum, immittatur, atque inter uueam et corneam, oblique aſcendens, manubrio interim paululum declinante, usque ad lineam horizontalem, corneam in medio ipſius ſecantem, inque duo aequalia hemiſphaeria diuidentem, circa ſcleroticae cum cornea in hac linea coniunctionem, manu incertae oculi mobilitati attemperata, dirigatur, atque ita niſu extremitatis ſpecilli politae contra ſuperficiem corneae internam modice preſſante, oculi bulbus, quantum fieri poteſt, figatur ac immobilior reddatur. Quo facto forfice, ſpecilli ſulco dirigente, unica et recta inciſione, a vulneris prioris initio usque ad finem ſulci immiſſi ſpecilli aperiatur cornea. Eadem cura atque directione in altero corneae latere inſtituatur ipſius inciſio. En! alterum operationis huius ſtadium. *Specillo iam iam ore comprehenſo, ſepoſita vero forfice, ſumatur iterum ſpongia, eaque dicto modo denuo eluatur oculus, qua ſepoſita, eadem manu, ut calamus ſcriptorius, ſumatur acus antea delineata. Siniſtra vero manu ex ore comprehendatur inuerſum ſpecillum manubrii loco cum volſella inſtructum. Volſella hac placide attollatur inciſum corneae labium triangulare. Hoc eleuato, acu caute aperiatur lentis opacatae capſula, in margine ipſius inferiore. Si hac aperta per inciſam inferne capſulam non ſponte decidit lens obfuſcata, digitis dextrae manus bulbo oculi in ſuperficie eius ſuperiori proxime iuxta latera lentis opacae appoſitis, non lateralis, ſed deorſum tendens fiat leuis preſſio. Si iſta nondum ſequitur, paruulo iſto cochleari lateraliter immiſſo, exitus ipſius promoueatur. Si ne huic quidem artificio obedit, atque concretio ipſius adeſt, ipſa acu eius tentetur prouida ſeparatio, cochleari interim in ore retento, tumque*

ſi vin-

ſi vinculis ſuis liberata nondum ſponte ſuccedit priori-bus duobus artificiis, dicta nempe preſſione, aut hac irrita, cochlearis ope educatur. Si denique obnubilatum hoc corpus maioris eſt voluminis, quam ut integrum per capſulae inciſionem exire poſſit, illud altera volſella cochleari iuncta diffringatur. Atque ita poſt modum fragmenta ipſius inuerſo iterum inſtrumento, ope nempe extremitatis eius, cochleae referentis, ſucceſſiue foras eiiciantur. Eodem modo quoque reliqua corruptae indolis materia, poſt exitum lentis opacae reſtans, exhauriatur. Oculi cauitatibus probe ita a foecibus ſuis depurgatis, ſecta capſula prouide iterum aptetur. Labia corneae dehiſcentia vel digitorum, vel inſtrumentorum, cochlearis nempe aut volſellae ope, molliter ſuauiterque in ſitum ſuum conuenientem reclinentur, ſolicite ubique aptatis inciſarum partium marginibus, et oculi plorantis humiditas indicato modo exſiccetur. His peractis, factoque vix unico viſionis experimento in ſolatium aegri atque operationis certitudinem inſtituendo, imponantur ſplenia mollia ex linteis complicatis, collyrio refrigerante imbuta, totumque oculum penitus contegentia, quae ſuſtineantur faſcia conueniente vel ſtrophiolo. Hoc tertium eſt ſtadium, quo abſoluitur operatio, *ſubiuncta ſeria aegri, ipſique ſeruientium informatione, quoad animi corporisque tranquillitatem. Aeger, oculo etiam ſano cooperto, in loco obſcuro atque lecto, ſitu corporis conueniente, capite nimirum magis eleuato, relinquitur, cibis mollioribus, remotis acribus, ſalinis, aromaticis, parce modiceque, potu vero largiori aquoſo diluto et refrigerante nutritur. Venae ſectio pro ratione neceſſitatis poſt operationem inſtituitur atque repetitur, et potio denique anodyna verſus ſomnum ipſi offertur.* En totius operationis hiſtoria ſatis accurate deſcripta! quam forte tamen clariorem adhuc fieri potuiſſe putamus, ſi Cl. Auctori placuiſſet, icones adiicere, quibus incidendae partes, ipſiusque inciſionis modus atque directio, uno quaſi aſpectu in oculos caderent. Pergit

git deinde Cl. Auctor, et *veritatem commendatae operationis*, et *praerogatiuam ſuae methodi* demonſtrat, de quibus tamen omnibus, cum ex iis, quae adduximus, lectores noſtri iudicare ipſi poſſint, qualenam pretium ei habendum ſit, neque nos iuſto longiores ſimus, plura iam dicere nolumus. p. 44.

XII.

IOHANN GOTTFRIED ZINN, M. D. Acad. Reg. Scient. Berol. Membr. Soc. Reg. Scient. Gotting. Sod. Extraord. programma de ligamentis ciliaribus, Gottingae 1753. 4. pl. 2.

Diſcrepans eſt ligamentorum ciliarium penes anatomicos ſignificatio; ſub quibus itaque a Cl. Auctore radiatae, in auerſa iridis facie conſpicuae, fibrae intelliguntur. Harum autem ſitum, nexum, et utilitatem deſcripturus, choroideae originem ab orbiculo ciliari, ut vocat, quique aliis ligamentum nuncupari ſolet ciliare, deducit, et ab eo internam choroideam in homine in tenuiſſimas, in brutis animalibus in latiores et magis conſpicuas ſtrias plicari oſtendit. Procedunt deinde hae ſtriae introrſum, latiores iam factae et retrorſum humori vitreo, paulum inclinatae, ad lentis cryſtallinae anteriorem conuexam ſuperficiem usque adhaerent, et circulum eius maximum, diſſentiente licet CAMPERO *, a tergo conſtitutum, attingunt. Nigro obducta ſunt haec ligamenta pigmento, excepto tamen margine extremo, qui ex cinereo albicat. Incumbunt autem illa ſic dictae coronae ciliari, et cum canali PETITI, cuius ſollicitam Cl. ZINN ſuppeditat deſcriptionem, ope potius tenacis glutinis, quam vera celluloſitate adhaerent. In vero demum termino horum ligamentorum conſtituendo, nondum conſentiunt anatomici, quorum plerique eadem in capſulam lentis cryſtallinae

* In diſſ. de quibusdam oculi partibus cap. II. §. 5. 6.

nae inſeri putarunt. Hanc autem opinionem deſtruit cauta et attenta eorum a partibus, quibus adiacent, ſeparatio, quibus etiam conſtitit, libere eadem lenti ſuperimponi, et ultra eius circulum maximum, *ſine pendulo, libero et plumoſo terminari, ut lentis anteriori conuexitati quidem contigua, ne unica tamen fibra, aut ullo vinculo capſulae lentis adnectantur.* In utilitate harum partium perſcrutanda primo quaedam de corona ciliari et canali Petitiano adferuntur; illa lentis ſedem firmat, quae a tunica vitrei humoris tuta ſatis non eſſet futura, hic autem ex mechanica quadam neceſſitate formatur, in quo denuo a CAMPERO ſecedit Cl. Auctor. Ligamenta tandem ciliaria, licet muſculoſam, quam in uniuerſum multis argumentis euerſam eſſe a Cl. Auctore, obſeruamus, fabricam non habeant, ex eo tamen, quod vaſculoſa ſint, fundamento, ſuis immiſſis humoribus intumeſcentia, vitreum comprimere humorem et lentem antrorſum pellere, hinc iuuare viſum poterunt. Quid? quod et tenerrimae vitrei humoris cum retina coniunctioni limites figunt, ne antrorſum pondere ſuo ille ruat, quod viſum confunderet, qui ex nigro eorum pigmento ſimul adiumenta capit. Totiusque ſic Cl. ZINN controuerſae huius partis fabricam et uſum illuſtrauit, ut veritatem clariorem effeciſſe, ſuumque, quod auſpicatus eſt, medicinam extra ordinem docendi, officium egregie ornaſſe dicendus ſit.

XIII. An

XIII.

An Inquiry how far the vital and animal actions of the more perfect animals can be accounted for independent of the brain. In five eſſays. By THOMAS SIMSON. M. D. Chandos Prof. of Medicine and Anatomy in the Vniverſity of St. Andrews. Edinburgh by Hamilton &c. 1752. 8. maj. pagg. 270. ſine dedication. tab. aen. 2.

hoc eſt:

Diſquiſitio, quatenus vitales et animales actiones perfectiorum animalium, tanquam a cerebro non dependentes poſſent aſſumi. Tentamina quinque per THOMAS SIMSON.

Praeferenda eſt, in cuiuscunque rei natura explicanda, veritatem adſequi ſi nequeamus, eius modi hypotheſis, ex qua ſponte ſua vel haud magna certe cum opera phaenomenorum explicatio, veritati fere proxima, poteſt fieri. Id optime intelligens Cl. Auctor, in ea, quae ad fratrem ſuum directa, libroque praemiſſa eſt, praefatione et rationibus confirmat hanc opinionem et ſimplicitatem theoriae ab HIPPOCRATE adamatam fuiſſe, praeter alia exemplo, de catameniorum in feminis exortu, demonſtrat. Eundem itaque ſibi praefigens ſcopum in noua, quam proponit, theoria Noſter, num naturae ubique conuenienter egerit, praecipuis, quae adducturi ſumus, momentis diiudicandum erit. Quinque autem ſunt, quae totum opus conficiunt, tentamina, quorum primum de motu muſculari agit, alterum circulationem ſanguinis, tertium reſpirationem conſiderat, quartum poſt ea ſanguinem humanum disquirit, ſimulque de ſecretis inde humoribus, ut perſpiratione atque urina deſpicit, et quintum tandem cerebrum ipſum contem-

contemplatur. Addita hiſce appendix ſenſuum naturam indagat, cui oſſefacti cerebri vaccini hiſtoria ſubiuncta eſt. Varia quidem in omni phaenomenorum declaratione interſperſa et adſumta ab Auctore deprehenduntur momenta, quae omni nondum exceptione maiora ſunt, eorum vero uberiorem disquiſitionem, ne nimis ampla noſtra exiſtat recenſio, aequitati et iudicio commendamus lectoris.

p. 1. *Prius*, motum muſcularem penſitans, *tentamen* in quatuor ſecedit capita, quorum primum actionem muſculorum in genere, et quid voluntati eos ſubiiciat, pertractat. Non omnem vero, quam ut notam praeſupponit, muſculorum ſtructuram explicat Cl. Auctor, ſed ſcitu tantum neceſſaria praemittit. Sphincteres ſcilicet muſculi tres diſtinctos offerunt ſtatus, tonum naturalem, diſtenſionem et contractionem, quae vel a ſtimulo vel a cauſſis inhaerentibus et naturalibus producitur. Dilatatio muſculorum duplici ratione fit, vel per antagoniſtas, vel quod illi omnibus muſculis dati non ſunt, per ea, quae in eorum cauitatem, ſi quam habent, immittuntur, eamque coni inſtar diſtendunt. Niſus tunc in muſculo oritur, ad priſtinum redeundi ſtatum, quam actionem, BORELLI auctoritate fultus Noſter, relaxatiomen vocat, a contractione tamen diſtinguendam. Hac enim demum praecedente in diſtento muſculo fit contractio, a ſtimulo ac-
p. 7. cedente ſemper maior. Cum itaque muſculus nullam euidentem exſerat actionem, niſi a naturali tono fuerit diſtractus, hoc ab inſita illi proficiſcitur vi, a ſtimulo magis excitanda. Id namque clarum eſſe dicit in ſphincteribus, qui ſine antagoniſtis etiam mouentur, ut ad cerebri actionem eam ob rationem neutiquam ut reſpiciamus, neceſſe ſit; quamuis eadem pars, quae a ſtimulo contrahitur, eandem a mentis actione experiatur mutationem, v. c. in corde, cuius tamen
p. 14. vis a variis aliis rebus limitari poteſt. Putat autem porro

porro partium texturam naturalem hic negligendam non esse, secundum quam musculi considerandi sunt, ut corpora neruoso elastica, quae pro ratione elasticitatis maioris vel minoris, structurae firmioris vel debilioris, distractionis deinde, et pro ratione irritantis stimuli, magis vel minus viuide agunt. Ex quo ipse consequitur, elasticitatem solam vis musculosae actionis fundamentum esse. In cuius elasticitatis primam inquirere caussam opus non est, quod abscondita illa est, et STVARTI BELLINIque hypothesis phaenomenis non satisfaciunt. Sine doloris sensu hinc agunt musculi, inter antagonistas namque fortis musculus in ea versatur contractione, quae excedit illam debilioris. Id quod variis adductis nititur comprobare exemplis, v. c. flexis dum brachiis femoribusque per somnum iacemus. Et cor quoque perpetuo mouetur nec defatigatur, quod sub motu magis contrahitur, quam dilatatur, omnique momento recuperat id, quod alii musculi per noctem et quietem. Sed ex consensu agunt partes musculosae, id, quod plerumque aliis visum est aliquam cum principio neruorum arguere conspirationem, quam opinionem simul destructurus, nunc *capite secundo* p. 19. euincere tentat, originem neruorum obscuram esse saepeque variantem, ut nec vera eorum connexio pateat, nec propagatio motus per particulas non elasticas et immobiles. Credit ergo omnem sympathiae caussam ex anatome sola cognoscendam esse. Dura nimirum mater non solum circa cerebrum extensa est, p. 21. sed etiam ad varias partes extra illud abit, dissecta sese contrahit, et communis membrana fit, quae ad producendam sympathiam inter corporis partes apta sit. Comitatur enim neruos ad musculos, quorum tendinosam substantiam in cutem inseri statuit STENONIS, WEPFERVS vero omnia ex neruis deduxit, cum praeter ea nerui non integri a cerebro ad partes veniant, sed transeundo per partes a variis additamen-

ta recipiant, et cum iis connexionem faciant, melius inde, quam ex ramorum distributione consensum intelligi posse Cl. Auctori videtur: Diuersorum auctorum experimentis suam corroborans thesin, totam a
p. 29. stimulo applicato machinam mobilissimam fieri posse concludit. Quodsi enim, dissitis etiam a neruorum origine locis stimulum applicaueris, totum in consensum facile trahi corpus obseruabis, ex quo caussam, a cerebro non deriuatam esse constat. Huius phaenomeni explicandi caussa *tertio* in *capite* de stimulorum in fibras animales effectu dispicit Cl. SIMSON, demonstrando ex vulgari experimento, corpora trementia, dentibus applicata, totum in tremorem concitare caput, pro diuersitate autem partium etiam vibrationum rationem variare. Sunt deinde diuersi morbi, quibus principium neruorum non afficitur, quorum tamen effectus in totum corpus dissipatur,
p. 50. ut v. c. epilepsia a vermibus. Musculorum tandem actio ea est, ut leuis ipsis applicatus stimulus eadem perficiat, quem operandi modum denuo Noster ex adnotatis aliorum stabilit. Licet autem simul agentes musculi, ex composita actionum ratione variantes producere valeant actiones, omnem tamen rem illi non perficiunt, sed mens quandoque accedit.
p. 54. Quare *capite quarto* de eo agit modo, quo mens ad musculorum actionem producendam concurrit. In quo determinando Cl. Auctorem, si dicendum, quod res est, ita explicasse momenta deprehendimus, ut obscuram per se actionem non clariorem certe, ni forte magis adhuc implicitam reddiderit. Debent autem quaedam in musculis esse conditiones, quae efficiunt, ut actiones eius animae respondeant imperio, id est musculus, ut supra dictum est, primo vt tendatur requiritur. In sphincteribus etiam musculis contractis, quos BORELLVS relaxatos falso dixit, corrugatio obseruatur, quae ab extensione differt. Nec inflatus tunc musculus est, ut pro ratione prioris

status

ſtatus meliori iure *reductus* vocari poſſit. Adducit itaque Cl. Auctor exemplum uteri, qui praegnans dilatatur ad ſummum, liberatus reducitur. Plurimi p. 58.
hanc ob cauſſam muſculi antagoniſtas habent, pauciores iis deſtituuntur, ut ſocii extendi poſſint; quod ſi namque a fluido non diſtenduntur, prout in corde ita fit, nec contrahuntur, actioni cuidam inſeruire nequeunt. Ex quo eſt, vt antequam agat muſculus, ille debeat tendi. Mens vero, quae concurrit, nullam habet de ſtatu muſculorum cognitionem, in qua re, prout in omni fere theoria cum STAHLIO conſentit Cl. Auctor, ſed ex propoſito agit et per voluntatem actionem hanc praeſtat. Exemplum praeter alia et illud adducit, quo in recens nato homine ſuctionis actionem inſtitui obſeruamus, ſi eiusdem labiis corpus quoddam fuerit applicatum, deinde et illud, quo progreſſus aliosque motus ex conſuetudine facile ſuccedere ſcimus. Si attentio acceſſerit, tunc etiam compoſiti perfici poſſunt motus: quo maior autem illa fuerit, dum ingrata eſt per muſculos agentes perceptio, eo maior quoque muſculorum fit actio. Quamuis mens atque ſtimulus pari ratione agat, p. 67.
utrumque tamen non nunquam ſic conſpirat, ut unum ab altero diſtinguere ſatis non liceat. Immo in periculo mens aliquando praecipitanter quaſi agit, muſculorumque confuſam excitat actionem. Agere eam etiam demonſtrant exterioris faciei mutationes, p. 71.
inhaerentibus reſpondentes ideis, probant porro animi pathemata. Quo modo tamen hoc anima perficiat non niſi ex iis, quae agunt, inſtrumentis percipitur et ex cáuſſis, quae eadem in motum cient. Prout autem ſtimulus pro diuerſa applicatione diuerſo agit modo, ita quoque imaginatio ſtimuli poteſt variam efficere actionem. Illud demum quaeri poteſt, num imaginatio in easdem, ac ſtimulus, agat
fibras et ſimiles producat effectus, numne organa, in p. 77.
quae alia inſtrumenta agunt, negligendo ſubtili in

cerebro utatur fluido, quod ad adfecta dimittat loca.
p. 79. Prius adfirmat Cl. Auctor, imaginationi adſcribens acceſſum ad omnem fibram, ita, ut particularis effectus, a ſtimulo olim productus, nunc eius etiam inſtigatione reperi poſſit. Imaginationem vero haud parum valere, probant, varia morborum genera, quibus etiam inter alia conſtat, ſolam ideam excitatam poſſe eosdem progenerare, v. c. icterus viſus alios hoc morbo affecit, rhabarbari odorem alui deiectio ſecuta eſt, aliaque. Immo maior dolor minorem tollit, grata in ſenſoriis perceptio totum recreat corpus. Nec ad producendam eius modi actionem opus eſt, niſi idea, in anima producta, ita tamen, ut prout anima in corpore effectus non producit, ſine inſtrumentis ad hoc opus pertinentibus, ſic et ipſa his ſeſe adplicat inſtrumentis, pro idearum diuerſitate diuerſos edens effectus.

Muſculorum autem actio circulationem etiam perficit, qua propter de ſanguinis circulatione in *ſecun-*
p. 94. *do tentamine* agitur, quo prior ſententia magis illuſtratur. Breuiſſime tantum cordis ſtructuram recenſet Cl. Auctor, nunc potiſſimum disquiſiturus, unde tam magna cordis contractio relaxationem ſeu, ut vocat, tenſionem eius producat. Sed cum in eo ſit, ut cordis perennantem motum a ſanguinis influxu, non a cerebro eſſe demonſtret, de variis differit hypotheſibus, quibus cordis actio declarari ſolet, paris vagi, a non nullis adſumtam, compreſſionem reiiciens. Paucis
p. 105. deinde de magnitudine ventriculorum auricularumque praemiſſis, concludit pulmonis arterias et venas aeque ac poſteriorem auriculam ſimul ſuum recipere ſanguinem et eum poſt ea propellere. Eodem quoque modo nec anteriorem auriculam ſanguinem ſolum ſuppeditare ventriculo cognomini, ſed omnem venae cauae tractum, qui ſine valuulis eſt, ſuperiorem nimirum ad axillarem et iugularem venam, inferiorem

riorem ad hepar usque, ſtatuit. Vt itaque quicquid accelerat venoſum ſanguinem, cordis etiam adaugeat ſyſtolen. Quibus ex rationibus demum neruorum mutatur motus, omnis namque, ſi a neruis eſſet, non poſſet, notante HARVAEO, auricula dextra, cunctis iam quieſcentibus partibus, adhuc moueri. Accedit p. 111.
porro, tanquam ſuperaddita vis propellens ſanguinem, reſpiratio, qua et auricularum et ventriculorum, exinde tandem totius machinae motus mirum in modum cietur. Aſt facultas, qua extractum et p. 116.
reſectum ex corpore cor diu mouetur, a diſpoſitione quadam fibrarum prouenire a Cl. Auctore creditur, quae leui accedente ſtimulo elaſticitatem ſuam euidenter comprobet, idque tam de animali, quam de vegetabili valere fibra, praeter alia exemplo mimoſae, quae tactu mouetur, confirmat. Ad finem tandem tractationis WEITBRECHTI commentarios * de circulatione commendat atque emendat.

In *tertio tentamine* reſpirationem conſiderat No- p. 125.
ſter, ſecundum eandem hypotheſin, in eo non ſine ratione taxandus, quod ſolius pectoris inſtituerit contemplationem, nec reliquas, quae accedunt et iuuant hanc actionem, partes ſimul fuerit complexus. Pulmonem aſſumit ex veſiculis conflatum aerique peruium, ſequutus HALESII experimenta. Ad em- p. 128.
bryonem primo reſpicit loco, in quo coſtas multum depreſſas eſſe, diaphragma ad quartam quintamque coſtam adſcendere et muſculos intercoſtales valde contractos inuenit. Tunc atmoſphaerae tantum pondus abdomen matris premit, hinc uterum et embryonis pectus, exinde tamen violentus muſculorum ſtatus mutationem non habet. Poſt partum enim aer per omnia loca vacua intrat, muſculos ergo tendit, ab externa preſſione atmoſphaerae liberat et contractionis ſtatum inducit, quo facto, pectus leuatur et in

* Vid. Act. Petropol. Vol. VI. p. 276. et Vol. VII. p. 283.

aequilibrium cum externo aere deducitur. Nouus autem, nunc enatus, in pectore motus, mentem etiam in admirationem rapit, tum ob inconsuetum aeris ad interiora accessum, tum ob violentiorem per pulmones sanguinis motum. Ipse vero hic motus, ma-
p. 132. iorem sanguini concilians calorem, efficit, ut volatiles sulphureae eius partes exspirent, quae, aeri admistae, elasticitatem illi demunt, hinc aequilibrium cum externa atmosphaera tollitur, pectus comprimitur et fit exspiratio. Aer etiam non renouatus difficilem reddit respirationem, quae certe obseruatio longe facilius explicare debet respirationis mechanismum, ac neruorum actio; per LANGRISHII enim experimenta constitit, sulphur ad pulmones applicatum, subito enecasse animalia. Qua propter a minus sulphureo sanguine deducendam esse putat Cl. Auctor difficultatem respirationis et asthmatis, quippe cui etiam WILLISIVS, hac tamen theoria destitutus, cum felici successu sal volatile cornu cerui et succini cum sulphure oppossuit. Respiratione autem praecipue sanguinis motus et cordis iuuatur contractio, nec in statu naturali tantum, sed etiam in
p. 146. eo casu, ubi demonstrante HOVSTONO, in denudato animalis viui pectore pleura in inspiratione concaua in exspiratione vero conuexa appareret; id enim, ex quo ille pulmones contracto pectore extendi et contra autumauerat, ab aeris deriuandum est conditione, qua in inspiratione nondum completa pleuram a pondere eius intus cogi autumat Cl. Auctor, in exspiratione vero, ob destructum, in pulmone haerentem, aerem, extra constituto se expandendi locum concedi. Sed cum pri-
p. 149. ma pectoris dilatatio a musculorum actione, prout dictum est, dependeat, nunc etiam eas, quae musculorum motum attinent, regulas hic valere affirmatur, atque circulationem sanguinis ipsa iuuari respiratione denuo experimento corroboratur. Cani scilicet

viuo

viuo diſſecuit Cl. SIMSON aſperam arteriam ſub larynge, diſciſſam partem extraxit ſubereque obſtruxit, breui poſt accedente morte, inuenit arteriam pulmonalem, ventriculum, auriculam dextram, utramque cauam venam ſanguine pleniſſimas, reliqua autem ſanguinis receptacula eo fere deſtituta. Quodſi tamen contingat, ut conuenienti in pulmonum dilatatione ſanguinis coerceatur progreſſus, ut HOFFMANNVS in ſuffocatis ſe obſeruaſſe adnotauit, in quibus et aere pleni et ad ſummum dilatati inueniebantur pulmones, tunc ob deficientes ſanguinis ſulphureas partes, aerem non deſtrui et pulmones in perpetuo expanſionis ſtatu retineri iudicandum eſt. p. 152.

Accedit inde ad ſanguinis humani disquiſitionem Noſter in *tentamino quarto*, ſimul etiam ad inde ſecretos humores reſpiciens. Sanguinis colorem aeque ac calorem ab ingredientibus, ut vocat, particulis non ab attritu pendere docere adnititur. Diſſerit itaque de ſanguinis origine in ouo, ſanguinem etiam eo iam tempore praeſentem adſumens, prius puncti ſalientis motus quam percipitur, neque tamen tanti viſum, qui colorem producere queat. Vaſorum enim accedens, cum calore coniuncta, actio eum demum rubicundum reddit. Calor tamen, ille potiſſimum *vitalis*, cuius in praeſentia vita, in abſentia mors conſiſtit, non deſtruit, ſed conſeruat et auget corpus. Gradus eius in diuerſis animalibus diſcrepat, non tamen ab attritu, ſed a partium, ſanguinem conſtituentium, indole dependet, earum iam iam quae ab albo oui ſuam habent originem. Continuata circulatio bonum demum ſanguinem perficit, quod tunc a calore concoquitur, horror autem poſt paſtum, a chylo crudo, viralem calorem extinguente, oritur. Eadem in mutando calore morborum vis eſt, vel ſi calidum frigido aeri exponitur corpus, ex quo vaſa abſorbent frigidas particulas et ſanguini admiſcent. p. 157. p. 164. p. 166.

Copioſus admodum Cl. Auctor eſt in recenſendis conſiderandisque variis rebus, quae ſanguinis calorem augent minuuntque, demonſtraturus, attritum illum producere non poſſe, ex quibus contagii mentionem
p. 175. nunc tantum facimus, quod ſano corpori applicatum, eadem phaenomena, eundem caloris gradum generat. Per hunc tandem calorem in humorum praeparatione et motu ſalutares varii producuntur effectus, ſalia mutantur, olea exaltantur, ſed volatilis etiam inde ſanguis fit, multum exſpirat, fluidi etiam neruei defectus, ſomnolentiaque inducitur, et his modis anima quoque perturbatur, quippe quae cum quacun-
p. 186. que guttula fluidi connexa eſt, omniumque motuum ideas habet. In ambiguo autem relinquit, num particulis ſanguinis martialibus quaedam caloris pars tribuenda ſit, quod ex thermarum diſquiſitione diiudicandum ſit. Cum autem ſanguinis ſtatus ex ſecre-
p. 190. tis etiam intelligatur humoribus *de perſpiratione* agit Noſter, quam non per vaſa, ſed per eorum interſtitia contingere credit, iuuante calore, quantitate et vo-
p. 197. latilitate humorum. Nec non *urinae* conſiderationem ſubiungit, ad ſecretionis rationem, humoris ſecreti indolem aliaque, ubiuis fere cognita, reſpiciens.

p. 211. *Quintum* tandem *tentamen* cerebrum contemplatur, quod originem motuum in ſe continere vulgo putatur, neutiquam tamen veritati id reſpondere oſtendere ſuſcipit Cl. SIMSON. Eius namque diſquiſitio ſimilem ubiuis conformationem monſtrat; omnes enim eius et cerebelli partes vel corticales vel medullares ſunt. Prout autem reliquarum partium perturbationes mentem afficiunt, ſic etiam fit cum cerebro, et partium eius ſola diſpoſitio leuius grauiusque malum facit, et ſymptomata excitat diuerſa. Muſculos autem non mouet cerebrum, ad quorum actionem tenſionem eorundem tantum requiri de-
p. 224. monſtrauit ſupra Cl. Auctor. Immo exempla haud pauca

pauca oſtendunt, nullam fere corporis animalis particulam ſine animalis oeconomiae perturbatione facilius laedi, ac cerebrum poſſe, immo in os indurari, quod praeter alia ſpeciali exemplo, in appendice deſcripto, confirmatur. Interim nullius eſſe utilitatis p. 228.
cerebrum putandum non eſt, ſed illa, in parando fonte aequalis omnium partium nutrimenti poſita eſt. Quod autem nerui a vaſculis minoribus eorum, per quae tranſeunt, locorum acceſſiones impetrant, nerui etiam, ſi a cerebro fuerint ſoluti, vel illud deſtruatur, ſupplementum habent et nouo irrorantur humore. Idque ex eo clarum fieri putat Noſter, quod infantes inuenti fuerint bene neruoſi, ſine cerebro nati, et quod per experientiam conſtet, cerebri in adultis fieri deſtructiones, minime nocentes, dummodo non ſint ſubitaneae, quodque tandem fluxus neruei ſucci per topica poſſit reſtitui. Sin vero p. 233.
numerum neruorum in una parte ex diuerſis locis conſideremus, tunc eos ſecuritatis cauſſa datos eſſe opinandum eſt, ne defectus fluidi fiat nutritii. Motus quidem nullus, ſpirituum animalium fluxum impellit, vaſorum tamen actio abſorbens, adiuta per calorem, et accedens optimeque ſuccurrens poroſa cerebri natura et ſpongioſa eius indoles, prouti in plantis, motum adiuuat. Nam frigus pariter ac defectus nutritii ſucci, organa ſenſuum et motus inutilia reddunt.

In *appendice* ſenſuum ſequitur tractatio, in tria ca- p. 241.
pita diuiſa. Primo de ſenſibus agitur, quorum organa obſcuriora ſunt. Plerumque tactus et guſtus per papillas neruoſas creduntur fieri, quas tamen conſtat, hinc inde acceſſu aliorum filamentorum augeri, ut pro mere neruoſis nunquam poſſint haberi. Immo papillarum harum diuerſitas et diuerſae, a tactilibus ſapidisque corporibus productae ſenſationes idem docere videntur Cl. Auctori. In auditus et viſus

organis magis ipſi clarum eſt, neruos ad ſenſum non facere, quapropter de his ſecundo et tertio agit capi-
p.245. te. In auditus enim organo neruos adeo paruos, tenuesque eſſe adſerit, ut ex DV VERNEY ſententia adhuc dubium ſit, num unus intret, ut etiam maiori hinc iure dicantur adducere nutrimentum ad membranas, perpetuo per aerem agitatas. Sed quod et abolito cerebro ille ſenſus adhuc ſuperfuiſſe deprehenſus eſt, clarum inde fieri autumat, animam in hoc organo praeſentem, immediate illud attingere. In
p. 252. viſus organo, neruus opticus licet magnus, in minus tamen finitur tuberculum, nec retina cum eo conuenit, WINSLOVIO auctore, ut retina inde formata aſſumi queat. Choroidea itaque tunica ex mente Cl. Auctoris ſedes eſt formandae in oculo imaginis, retinaeque ea adſcribenda eſt utilitas, ut defendat a nimia choroideam frictione, prout in inteſtinis mucus fa-
p. 255. cit. Oculus porro teſtimonium praebet, membranas corporis inter ſe cohaerere omnes, cum demonſtrante LE CAT ſclerotis a dura matre, VALSALVA a tendinibus muſculorum oculi, MORGAGNIO ab utriusque proueniat.

Haec autem ea ſunt, de quibus confidenter admodum Noſter ſibi perſuadet, actiones corporis noſtri maiori poſſe cum intelligentia diiudicari. Nam et illud, quo STVARTVS utebatur, experimentum ad demonſtrandam fluidi neruei, in motibus producendis, actionem, dum ranae caput abſcindebatur et preſſa medulla ſpinalis motus excitabat muſculorum, me-
p. 257. lius ex neruorum irritatione declaratur, prout diaphragmatis motus a laceſſito neruo phrenico.

p. 259. Vltimum occupat locum *relatio de offefacto cerebro vaccae, enecatae in Fettercam oppido prope Montroſum, in prouincia Angus, Scotiae.* Reſeruatur illud inter theſauros medicorum et chirurgorum Dundenſium, ipſamque vaccam ante mortem neque ſenſuum

neque

neque motuum percepiſſe aut monſtraſſe defectum permultorum teſtimonio adfirmatur. Ipſa quidem deſcriptio Edimburgenſi oblata fuit ſocietati, cuius tamen quaedam membra pro morboſa illud habuere excreſcentia, quam opinionem refellit Cl. Auctor. Morboſa certe indoles molis mutationem poterat producere, ſed ex comparatione cum ſano inſtituta encephalo res illuſtrari debebat, ex qua Noſter inuenit, cerebellum tantum a figura naturali receſſiſſe, ſed cerebrum multum cum naturali conueniſſe. Adiunxit ea propter icones, quibus ſuperna et inferna cerebri ſuperficies, ſed obſcura, ni fallimur, ſiſtitur. Nonne forte, licet id neget Cl. Auctor, totius, non dum ſufficienter probatae, hypotheſeos fundamentum ex hac qualicunque natales habuit hiſtoria?

XIV.

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schrifften zum Unterricht und Vergnügen aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchafften überhaupt, IXter Band. Hamburg bey C. G. Grund und Leipzig bey A. H. Holle 1752. 8. Alph. 1. Bog. 20. Kupfertafeln 3.

i. e.

Promptuarium Hamburgenſe, ſiue collectio ſcriptorum inſtitutionis et oblectamenti gratia ex phyſica et humanioribus litteris collectorum etc. Tomus IX.

P*art. I. no. 1. Sectio caeſarea, a Chirurgo Bremenſi* RVNGIO *inſtituta.* Femina per duodecim annos in dextro infimi ventris latere tumore laborauit, qui primo grauiditatis tempore exortus, ſenſim ad ſtupendam molem increuit, ſimulque ſummam duritiem acquiſiuit. Per omne vero illud temporis ſpatium nulla fere incommoda ſenſit, licet ſexies foetum ſanum atque bene valentem excluſerit. Ante ſex p. 1.

vero

vero tandem menſes appetitus ſenſim defecit, obeſum atque ſatis robuſtum corpus gracile euaſit, vigorque naturalis in debilitatem tranſiit; quam etiam, uno quaſi impetu ac ſubito auctam, et animi deliquium et colica vehemens ſubſequuta fuit; ſucceſſit ſtatim vomitus et diarrhoea, et abdomen, antea durum et renitens, nunc ubique fere tactui cedens atque molle, inque dextro modo latere ad manus latitudinem durius corpus deprehendebatur. Ex hac, a marito facta relatione, chirurgus, qui etiam primo iam tempore tumorem viderat, iudicauit, tubarium, aſt corruptum, foetum adeſſe, ſimulque tumorem a magna fluidi acris, in uno loco ſtagnantis, copia enatum fuiſſe; a quo etiam liquido, dum rupto folliculo uno quaſi momento cauum abdominis occupauit, ea, quae antea recenſuimus, ſymptomata explicari debent. Ideoque aperturam in abdomine faciendam, et fluidum emittendum eſſe, non modo Chirurgus praedixit, ſed et vocatus nunc medicus BLOCKIVS affirmauit. Ancipiti ergo cultello, in ſiniſtro latere eo in loco, ubi paracentheſis inſtitui ſolet, inciſionem fecit chirurgus, et immiſſo argenteo tubulo magna ſpiſſae et cinereo colore tinctae aquae copia effluxit, quae admoto igne, ebulliens, in ſolidum corpus, uti albumen oui, cogebatur. Altero die, vulnere a turundis atque reliquo adparatu liberato, argenteoque canale iterum immiſſo, eadem fere aquoſi ſeri copia exſtillauit, tandem vero nullo ſero amplius effluente, calidam aquam, cui pauxillum ſpiritus vini admixtum erat, iniecit chirurgus, iniectamque materiam iterum per adplicatum canalem defluere permiſit, quarto vero die vulnus aliam, quam quae ei data fuerat, figuram aſſumſerat, et immiſſo nunc ſtylo inueniebatur ſinus ſub muſculo recto verſus dextrum latus tendens, in cuius fine durum renitensque corpus tangebatur, quod denudatum os referebat. Hoc ipſum fragmentum tubarii foetus eſſe, ideoque ſectionem

cae-

caeſaream inſtitui debere, certo exiſtimarunt medentes. Omnibus, quae ad operationem neceſſaria ſunt, rite diſpoſitis, per vulnus, antea inflictum, ſiphonis ope, ſex fere aquae calidae, pauxillo ſpiritus vini addito medicatae, librae abdomini immittebantur; intumeſcebat vero exinde non omnis venter, ſed in primis ſub umbilico extendebatur inſigniter; ideoque etiam eo in loco ſectionem inſtituit chirurgus. Diſſectis integumentis, muſculis atque peritonaeo obſcure rubens, carnoſum corpus ſeſe offerebat, quod cultello diſcindi minime poterat, ſed velamento, quo illud cinctum erat, modo aperto, durum quicquam ſectioni reſiſtebat, per longitudinem vero ſupra durum hoc corpus protracta ſectione tandem in cauitatem penetrabat ſcalpellum, ex qua aqua, iniectione antea immiſſa, effluebat. Manu nunc in hanc cauitatem dimiſſa, durum, de quo antea diximus, explorabat corpus chirurgus, illudque cum uteri partibus arcte concretum inueniebat, quod tamen adhibita aliquali vi extrahebat; praeter ea ſupra hunc locum, ab oſſe adhaerente liberatum, deprehendebat tres molares dentes, qui ſuis radicibus matrici ita erant infixi, ut vix digitis eos ſeparare potuerit, unus horum tenui oſſea lamella erat coronatus, cuius etiam aliqua fragmenta in ſua ſede, neceſſitate coactus, relinquebat. In fundo cauitatis pilorum conuolutorum moles haerebat. Apertura in ſiniſtro latere primum facta non in abdominis cauum, ſed in hunc ipſum folliculum penetrauerat. Deſcribit porro Cl. Auctor curationem et quae acceſſerunt ſymptomata, tandem tamen a periculoſo hoc morbo liberata fuit femina et nunc proſpere valet. In tabula aenea addita partes ante recenſitae atque ex tuba Fallopiana exemtae, delineatae videntur.

No. 2. Experimenta noua de mutato vini rubri colore, p. 19. *inſtituta et praelecta in conuentu Acad. Reg. Scient. Monſpelienſis, an. 1749. a Cel.* PEYRIO.

No. 3.

p. 29. *No. 3.* I. A. VNZERI ad KAESTNERVM *Epistola, qua comparatio oculi cum camera obscura defenditur.* Dubiam, immo falsam esse hancce, a physicis assumtam, analogiam, Cl. KAESTNERVS demonstrare studuit *, contrariam vero adhuc sententiam tuetur Cl. VNZERVS; monetque structuram oculi cum camerae obscurae mechanismo conuenire, quod etiam KAESTNERVS concedit, omnemque controuersiam redire ad spectatorem adserit, qui in tenebricoso cubiculo habitat. Hicce imagines percipit suis oculis, anima vero mediante fluido nerueo, non aliorum oculorum auxilio. Asserit vero VNZERVS comparationem hancce modo extendendam esse usque ad retinam oculi tunicam, albumque cubiculi obscuri parietem; atque hinc quaerit: an paries, si cogitandi vi praeditus esset, imagines eadem ratione percipiat, prout retina, et hoc affirmat. Omnis ergo analogiae defectus, ut VNZERVS credit, in eo ponitur, quod retina sentiat, paries minime. Addit Cl. Auctor alia, de vera obiectorum visione, quae suam sententiam probare dicuntur. Adnexae sunt huic epistolae

p. 38. *No. 4.* Cl. KAESTNERI *annotutiones et ulteriores in hanc comparationem animaduersiones*, ostenditque inprimis Cl. Auctor retinam non sentire, sed modo esse instrumentum, per quod anima sentit.

p. 49. *No. 5. Epistola* ARTHVRI DOBBS *ad* CAR. STANHOPE *de apibus et methodo ceram melque colligendi.* Anglico sermone scripta legitur in Philos. Transact. no. 496 **.

p. 66. *No. 6.* ROBERTI MORI *Epistola, qua variae obseruationes, in Itinere, per Italiam factae, continentur.*

p. 71. *No. 7.* Eiusdem *litterarum epitome, continens methodum,*

* In huius Promptuarii Part. VIII. p. 426. sqq. Conf. Comment. nostr. Vol. II. Part. I. p. 68 sq.

** Recensionem huius vide in Comment. nostr. Vol. I. Part. IV. p. 701. sqq.

thodum, qua Neapolitani mannam colligere ſolent *. Vterque articulus mutuatus eſt ex Philoſ. Transact. no. 495.

No. 8. F. L. LIEBEROTHII, Med. Lic. *Meditationes de Lapidibus cochleatis (Schraubenſtein).* Petrefacta haec a nemine, ſolo CRAMERO ** excepto, qui in docimaſia ſua aliquam eorundem mentionem fecit, commemorata fuiſſe, attamen ex WALLERII methodo ad cylindritas referri poſſe aſſerit Cl. Auctor. Inueniuntur in ferri fodinis Blanckenburgenſibus. Figura eorundem cylindracea conuenit quidem cum artificiali cochlea, a qua modo in eo differunt, quod inciſiones non ſpirali ſed circulari ductu potius excurrant; quibus etiam ſua figura matrices reſpondent. Conſtant itaque ex oblique ſibi inuicem annexis circularibus, vel potius lentiſimilibus, lamellis, quae interſtitia locumque depreſſiorem relinquunt. Lamella talis, a reliquis adhaerentibus ſeparata, in medio foramen oſtendit, ex cuius margine plures verſus peripheriam excurrunt ſtriae. Quinque etiam minores eminentiae in qualibet lamina deprehenduntur, quibus forte inter ſe cohaerent omnes. Magnitudine inter ſe differunt petrefacta, maxima tamen, quae hactenus Auctor vidit, craſſitie unam, longitudine duas uncias fere aequant, minora vix calami craſſitem habent, et quinquangularia quaſi videntur, quia quinque illae minores eminentiae in hiſce euidentius conſpiciuntur. Si matrice adhuc incluſa continentur, hinc inde quidem moueri, minime vero ex ſua matrice extorqueri poſſunt. Corpora haec animalium quoddam genus, nobis vero incognitum, fuiſſe, porro Cl. Auctor contendit, et cochleas quidem ipſa animalia, matricem vero ab horum modo impreſſionibus factam eſſe, ex ulteriori eorundem contem- p. 73.

*Huius quoque excerptum dedimus in Comment. noſtr. Vol. I. Part. IV. p. 696.

** P. I. p. 48. edit. Lugd. Bat. 1744. 8.

templatione concludit. Animalia forte eius modi fuerunt, quae, ut lumbrici terreſtres, elongatione et contractione corpus huiusque magnitudinem mutare potuerunt, quod in primis ex quinque illis eminentiis declarare ſtudet.

p. 79. *No. 9.* D. H. G. HOPPII *Animaduerſiones de virtute ſulphuris antimonii aurati.* Sulphuris huius materiam malignam morborum expellendi, ſpaſticasque contractiones et intenſos nimis motus mitigandi vires, nec non ſtimulantem atque ſedantem effectum, declarare atque experientia comprobare ſtuduit Cl. VNZERVS*. Argumenta vero, a ſola experientia deſumta, Cl. HOPPIO, ſufficere haud videntur, ſed medicamentorum operandi modum ex ipſa eorundem mixtione declarandum eſſe exiſtimat; hac enim demonſtrata, medicinae quoque uſus exiſtit certus eritque infallibilis. Stimulantem virtutem ſulphuri huic ineſſe concedit Cl. Auctor, de ſedante vero adhuc dubitat, ideoque, quo eius aſſertum clarius pateat, praeparationem eius deſcribit. Res eo redit: Medicamentum hocce eſſe praecipitatum, quod maximam partem ſulphuris antimonii, et aliquam modo, tenuiſſimam vero, regulinam immixtam habeat. Ex utroque ergo principio virtus huius ſulphuris debet demonſtrari. A regulina parte, quae certe actuoſa eſt, et ſtimulando in primis agit, ſedatiuus effectus deduci non poteſt, ergo ſulphuri erit adſcribendus. Sulphur vero, ex antimonio eductum, vulgari ſimillimum eſt, de hoc vero ſcimus, eius in corpus efficaciam non admodum inſignem eſſe, ſed parum modo ſanguinis motum augere, et ſudorem forte excitare. Neque eius, per alcali nunc facta, ſolutio idem efficacius reddit, ideoque nihil praeſtare poteſt.

p. 87. *No. 10.* Legitur *recenſio libri*, qui anglico idiomate Londini 1749. in 8. prodiit, continentis: *Meditatio-*

* In Part. VIII. huius Promptuarii p. 356. Conf. Comment. noſtr. Vol. II. Part. I. 67. ſq.

tationes de veteri et recentiori muſica, deque eius in curandis morbis utilitate.

Part. II. no. 3. Breues annotationes, in Cl. G. dubitationes, de metallorum transmutatione. Auctore P. H. Duorum, quae veritatis modo ſpeciem prae ſe ferunt, de metallorum transmutatione, argumentorum refutationem, alibi * dedit incognitus noſter Auctor, contra quam vero alius argumenta ſua propoſuit, ſuasque dubitationes Amoenitatum phyſicarum Parti VI. p. 447. inſeruit. Hae itaque debent euolui, et cum illis, quae nunc Auctor monet, comparari. p. 181.

No. 5. FRID. CHRIST. LESSERI, Paſt. Nordhuſani, *relatio de particulis, viſibilibus, quae ex Camphora in auras abeunt.* Laborabat Cl. Auctor tumore in ſiniſtri oculi palpebra eidemque imponebat ſacculum, herbis cum camphora repletum. Veſpertino tempore, dum candelae flammam propius oculo ſano atque aperto admoueret, vidit ante ſacculum ingentem particularum, argenteo ſplendore coruſcantium, copiam moueri. Remota flamma, diſparuit earundem aceruus, propius vero iterum oculo ea admota, comparuit iterum. Sublato tandem ſacculo, ne quidem veſtigium earundem videri potuit, eoque deinde iterum impoſito, denuo ſeſe manifeſtarunt. Per ſex dierum ſpatium hanc obſeruationem reiterauit Cl. Auctor, hac cum differentia, quod ſexta modo die particularum copia eſſet minor, prout etiam odor camphorae mitior ſenſim factus fuerat. p. 203.

Part. III. no. 3. IOACH. FRIDR. SPRENGELII *relatio de impendiis, quae ad docimaſticam mineralium, ex fodinis Strasbergenſibus erutorum, praeparationem requiruntur.* p. 293.

No. 5.

* In huius Promptuarii Part. VII. p. 357. Vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. IV. p. 626. ſqq.

p. 305. *No. 5. Epitome epiſtolae Dom.* LINS, *de argento in fuſione ferri inuento.* Deſtructo quodam furno, in quo ferrum ex mineris elici ſolet, hinc inde ſcoriae, partim virideſcenti, partim rubello colore tinctae, inueniebantur, quae argenti granula plurima continebant.

p. 309. *No. 7.* IOH. AVG. VNZERI *non nullae, quae ad medicinam pertinent, obſeruationes.* Harum 1) de vomica agit. Oſtendit primo Cl. Auctor ſigna, ex quibus hic morbus diiudicari ſolet, nondum eſſe ſatis recta atque certa; in cuius rei demonſtrationem duplicem adducit caſum, et omnia, quae in aegris obſeruauit, phaenomena recenſet. 2) Diſſerit de morbis, qui vel regulari vel irregulari modo decurrunt, vel, ut nobis videtur, de ſimplicibus et complicatis. Quae vero meditationes, ſi aliquid iudicare poſſumus, nihil noui habent. 3) Animi affectus, in grauidis excitatos, in foetum quoque aliquem influxum habere, ex caſu adducto eluceſcit, ubi mater, grauiſſimo terrore correpta, filiam peperit, quae ipſam terroris et atrociſſimi quidem, imaginem a prima vita, usque ad hoc tempus, dum iam iam duodecimum annum agit, perfecte refert. 4) Obſeruatio ad doctrinam de temperamentis pertinet.

p. 364. *Part. IV. no. 3.* I. G. KRÜGERI *Meditationes de ratione animalium brutorum.* Ea, quae a ratione, et ea, quae a corporis mechaniſmo dependent, inter ſe non confundenda eſſe; nec effectus, a corporis animalis ſtructura productos, ab illorum ratione, nec effectus rationis a corporis fabrica deriuandos eſſe, exemplo, ab apibus deſumto, probare ſtuder Cl. Auctor. Ceram conficiunt apes, ſolum tamen, ut credit, antherarum puluerem colligunt; hinc exiſtimarunt alii, huncce puluerem ipſam cerae materiem eſſe, quem cum multo labore, et prout ratio ac iudicium id exigat, praeparent apes, mutentque; et quoniam porro ex cera ſexangularia caua ſtruunt, id non ſine aliqua ſen-

ſenſuum internorum facultate fieri poſſe, quoque affirmarunt. Aſſerit vero Cl. Auctor, antherarum puluerem minime cerae materiam eſſe, cum chymica experimenta oſtendant, aliquid animalis mixtionis atque proſapiae in eadem latitare; hinc ceram eodem modo, ut mel, ex ſuccis apum propriis praeparari conficique. Fame ſtimulantur, eaque certe coguntur, ut puluerem colligant, eoque ipſo, ut cibo, utantur haec animalcula, qui, corporis mechanica ſtructura, mutatus et cum ſuccis inquilinis mixtus, materiam conſtituit, ad mellis ſecretionem idoneam; hinc quando mellea veſicula eodem humore turget, per iuncturas ventris transſudat ſpiſſior materia, quae in aere externo indureſcit, omnesque fere cerae dotes refert. Hae ceraceae pelliculae firmiſſime corpori apum adhaerent, aliorumque, et ſociorum, auxilio indigent, qui eos, ab hoc, ut Auctori eſſe videtur, morbo liberant. Haec omnis vero res non a ſingulari aliqua apum prudentia dependet, ſed admiranda potius eſt ſummi creatoris ſapientia, qui eiusmodi ineuitabilia mala ordinauit, ut ex illis bona quaedam, eaque perfectiſſima oriantur. Cauſam etiam, cur cauernulae ceraceae ſexangulares deprehendantur, forte in eo quaerendam eſſe, quod conſtanti lege ſex eiusmodi pelliculae ſimul per articulos transſudent, Auctor affirmat.

No. 5. Singularis oſſium cubiti fractorum caſus, anglico idiomate in Tranſ. Philoſ. no. 494. deſcriptus a chirurgo IOANNE FREKE*. p. 406.

No. 6. Experimenta chemica, circa oſteocollam, in Marchia repertam, inſtituta a Cl. MARGGRAF. Mutuata haec ſunt ex Comm. Acad. Reg. Scient. Berolin. anni 1748**. p. 410.

No. 7. Litterae GVIL. WATSON, *in quibus teſtatur, quod nec ipſe neque alii multi in iis experimentis* p. 422.

* Vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. IV. p. 689. ſqq.

** Excerptum lege in Comm. noſtr. Vol. I. Part. I. p. 131 ſq.

electricis, quibus odores per vitri poros transire dicuntur, felices fuerint, simulque commemorat experimentum electricum, quod beatificationem dicunt, cuius Auctor fuit Cl. BOSE. Ex anglica, et quidem ex Philos. Transact. no. 494, in germanicam linguam sunt translatae *.

p.470. *Part. V. no. 3.* Cl. GLEDITSCHII *coniecturae de usu corporum diaphanorum, quae* MICHELLIVS *in laminis fungorum lamellatorum detexit.* Exstat gallice in Comm. Acad. Reg. Scient. Berolin. an. 1748 **.

p.481. *No. 4. Alias obseruationes, quae medicinam concernunt*, supra nominatus Cl. VNZERVS proponit, ac in primis de malo hypochondriaco caecisque haemorrhoidibus differit. Dolores, qui a sanguine, in haemorrhoidalibus vasis stagnante, generantur, efficacissime lenit atque mitigat millefolium, quod in puluerem redactum et cum cochleis comminutis oleoque lini remixtum, in emplastri forma applicatur; et cum in hoc casu externum usum ab interno, diu aestimato, didicerit Cl. Auctor, alias plures adducit obseruationes, quae declarant, medicamenta intus modo sumta saepe etiam, externe corpori applicata, eundem effectum praestare, et vice versa. Septica omnibus crudelia videntur, et sunt sane maxime dolorifica, hinc optime illis iungitur opium, quod externe eadem vi ac efficacia, quam interne, dolores sedat, hinc laudat sequentem compositionem Auctor. Misceatur cum lixiuio, ex cineribus vegetabilium communibus parato, lixiuium ex cineribus iuniperi factum, e. g. libra semis, euaporetur utrumque et inter euaporandum addantur opii, in eodem lixiuio soluti, drachmae duae, euaporetur ulterius, usque dum siccum euadat. In fine commemorantur duo casus, qui docent, raphani rusticani radicem non coctam,

* Conf. Comment. nostr. Vol. I. Part. IV. p. 686.
** Ibidem Vol. I. Part. I. p. 132 sq.

ctam, cum aceto remixtam, ſanguinis per uterum ſuppreſſam excretionem excitaſſe denuo; huncce vero cibum nunquam antea aſſumſerant aegrotae.

No. 6 Diſquiſitio non nullorum phaenomenorum, de electrica corporum virtute, Auctore Abb. NOLLET. Ex gallico ſermone in anglicum eam tranſtulit Cl. WATSON, et legitur in Philoſ. Transact. no. 494. p. 507.

Part. VI. no. 1. Schiſti, qui a cupro nomen habet, et in mansfeldenſibus fodinis eruitur, mixtionem docimaſticis experimentis declarauit IOH. GOTTLIEB FAVPEL. Omnia fere metallorum atque ſemimetallorum exhibet genera hic ſchiſtus, quia vero propter cuprum contentum fundi praeparariique ſolet, hocce in primis nomine inſignitur. Praeter id continetur in eodem argentum; unum quodque optimae minerae centenarium dat quatuor libras cupri, tresque drachmas argenti, utplurimum vero modo cupri duas libras, argentique drachmam unam. Argentum inde eductum forte etiam auri quasdam particulas immixtas habet. Praeter ea ex eodem elicitur ferrum, quod eo pluris aeſtimari debet, quia alias petroleum, ſulphur et arſenicum, quae maxima in copia adſunt, fuſionum longe magis impedirent. Et arſenicum quidem metalla friabiliora a grauiora reddere, hae minerae luculenter docent. Plumbum ſe manifeſtat in albidi ſublimati ſpecie, quod bene diſtinguendum eſt a floribus zinci, qui quidem, aſt per aliam operationem adparent. Stannum eriam et mercurium, licet ſeorſim exhiberi non poſſint, in hacce tamen minera latitare, rationibus probat Cl. Auctor. De volatilitate argenti in ſchiſto mansfeldenſi alio loco * diſſeruit Anonymus quidam Auctor, de cuius aſſertis plura moner Cl. FAVPEL, urgetque in primis alcali minerale, cuius ille meminit, eundem effectum p. 563.

* In Promptuar. huius Tom. VIII. part. 1. no. 2. Conf. Comment. noſtr. Vol. II. Part. I. p. 61. ſq.

neutiquam praeſtare poſſe, cum ſulphuris acidum longe maiori in copia adſit.

p. 586. *No. 3.* I. G. KRÜGERI *ad Cl.* KAESTNERVM *Epiſtola, de immutatis mortuorum corporibus.* Relationem hanc Cl. SCHVMANNO Eccleſ. Warpergenſ. Paſtor. debemus, qui eam cum KRÜGERO communicauit.

p. 594. *No. 4. Deſcriptio vaſculi, cuius ope naſturtii hortenſis ſemina in aqua vegetant;* Auctore VON BERGEN. Ex argilla conficitur illud, conumque truncatum refert, in cuius ſuperficie rimulae atque ſulci plurimi conſpiciuntur. Experimentum hac ratione inſtituitur. Vaſculum per viginti quatuor horas aquae immittitur, ut eam copioſe imbibat, dein illud aqua fluuiatili repletur, et ea aquae copia, quae per poros vaſis tranſiit, omni die reſtituitur. Adhibetur ſemen naſturtii, in aqua prius maceratum, illudque rimulis et foueis imponitur, et ita radices in vaſculi poros penetrant, excreſcitque planta.

p. 597. *No. 5. Animaduerſiones de plantarum radicibus.* Mutuatae fere omnes et in germanicum translatae ex libro, qui gallico idiomate, de analogia plantarum et inſectorum a Cl. BAZIN editus fuit.

p. 609. *No. 6. Reiteratae ulteriusque confirmatae obſeruationes de ſedante ſulphuris antimonii aurati virtute;* Auctore I. A. VNZERO. A ſe ipſo omni circumſpectione inſtitutas fuiſſe eas, quae de hac virtute teſtantur, obſeruationes; ideoque veriſſimas, licet ex mixtione ipſius medicinae effectus declarari non poſſit, contra Cl. HOPPIVM defendere ſtudet Cl. Auctor.

XV.

D. IOHANN GEORG GMELINS der Chemie und Kräuterwiſſenſchafft auf der hohen Schule zu Tübingen öffentlichen Lehrers, Reiſe durch Sibirien von dem Jahr 1738. bis 1743. Göttingen bey Abram Vandenhoecks Wittwe III. Theil 1752. 8. mai. 1. Alphab. 13½. Bogen, 8. Kupfertafeln. IV. Theil 1752. 1. Alphab. 22 Bogen 4. Kupfertafeln.

h. e.

D. IOANN. GEORG. GMELINI iter per Sibiriam. Tom. III. IV.

Tradimus nunc, uti promiſimus, ea quoque, quae in itineris Cl. GMELINI tomis reliquis, tertio ſcilicet et quarto, notatu digna inuenire potuimus. Quae, licet non omnia ad noſtrum inſtitutum adeo exacte ſpectent, tamen lectoribus non ingrata fore ſperamus propter ea, quod ea in tanta rerum ſupellectile hinc et inde diſperſa collegimus, ut exinde etiam aliquo modo cognoſcatur id, quod natura et ars in deſertis locis et inter barbaras gentes produxit. Tomus *tertius*, in collectione ſextus, ea continet hiſtoriae naturalis momenta, quae anno 1738. 1739. 1740. ab urbe *Jakutzk* usque ad regiones occidentales rediens Cl. Auctor obſeruauit. *Taraſum* cereuiſiae genus, apud Chinenſes uſitatum, ex hordei et tritici granis toſtis, tritis et cum aqua coctis, paratur. Decoctum hoc refrigeratum et defoecatum, lupulo chinenſi addito, in vaſa inditum in terram reconditur, ut in fermentationem abeat, quod deinde in ſaccis linteis ſub torculari exprimitur et denuo in doliis collectum in cellis reſeruatur. Chinenſes ſpiritum vini ex auena et hordeo toſto, decocto lupuli ſaturato et faecibus additis interque ſe mixtis, parant. Haec maſſa in vaſe clauſo contenta in terram reponitur, ut fermentationem ſubeat, rite deinde fermentata craticulae, quae aheno ferreo aqua repleto

p. 54.

p. 57.

et igne accenſo calefacto incumbit, imponitur, ut aquoſi halitus calidi in hanc maſſam fermentatam penetrent; priori maſſae ſtrato ſenſim noua ſtrata imponuntur. Hoc vero ahenum una cum craticula circumdat cylinder ligneus, cum operculo bene clauſo, ex quo canalis cupreus exſurgit et recuruatus in vas ſtanneum in alio vaſe, quod aqua frigida repletur, contentum deſcendit, per quem canalem ſpiritus vini deſtillatus bonus et fortis effluit. Machinae huius ad hanc deſtillationem ſingularis iconem Cl. Auctor appoſuit. In reliquis regionibus ſpiritus vini leuior in uſu eſt, quoniam eundem vel ex lacte, vel cum magna aquae copia, parant. Optat Auctor noſter, ut incolae potius ſpiritum vini leuiorem, quam fortiorem bibant, ne ventriculi fibrae adeo calloſae, et digeſtio inde deprauata, reddantur. Chi-
p. 63. nenſes quoque ſuccum quendam, *Miſum* dictum, ad cibos condiendos admiſcere ſolent, qui ex braſſicae quadam ſpecie, colore coeruleo et foliis anguſtis, ſale conditae et in hypocauſto tam diu aſſeruatae, usque dum aceſcat et aquoſam muriam praebeat, praeparatur. Hanc aquam effuſam coctione inſpiſſant, ſaturatam et refrigeratam in lagenas infundunt et aeſtate ſolis calori et hieme fornacibus exponunt, ut magis magisque inſpiſſetur. Braſſica vero chinenſis et noſtra ibidem culta, propter terrae indolem et clima coeli frigidum, non capitata creſcit. Nec ea, quae *Archangelopoli* colitur braſſica, capitata fit, ſed germina tantum protrudit et plantam teneram eſculentam exhibet, cuius vero ſemina in calidioribus Europae regionibus ſata braſſicam capitatam producunt.
p. 66. Prope ab *Vſſolie* inſula quaedam ſita eſt, ubi ſalium officinae duae reperiuntur. Fontium ipſorum muria ſapore acuto praedita eſt, et tanta ſalis copia ibidem coquitur, quantam regiones Irkutzkienſes in uſus ſuos conuertunt et conſumunt. Haec loca certe ſale abundant, nec ex ipſo flumine ibi praeterlabente

bente tantum, ſed ex lapide quoque petroſo fontes ſalini proſiliunt. Sunt montes quidam ab *Idinskoi* p. 68. *Oſtrog* ſatis remote ſiti, in quibus metalli fodinae exſtant Harum minerae, quae in ſtratis reperiuntur et colore bruno flauo interſperſo conſpicuae ſunt, aliae ad cryſtallorum, aliae ad lapidis ſciſſilis formam accedunt, aliae lignum in metallum conuerſum repraeſentant. Licet minerae hae ſatis diuites ſint, tamen ob negligentiam metallicolarum parcius effodiuntur. In regionibus *Beſſonowa* hyoſciamus foliis p. 84. ouatis integerrimis calycibus inflatis ſubgloboſis LINNAEI* creſcit. Huius plantae folia iuſculis, radices pultibus admiſcent incolae, a cuius eſu inebriati et ſenſibus quaſi deſtituti redduntur. Eandem radicem mercatores ruſſici, tanquam remedium in haemorrhoidibus fluentibus et mictu cruento utile ſecum portant. Ad ripae *Bolſchaja Keſchma* oſtium p. 98. minerae ferri parua brunaque fruſta, aliis lapidibus mixta, coaceruatim non adeo profunde effodiuntur. Ad ripam, *Schelesnaia* dictam, minerae ferri in ſtra- p. 103. tis inter lapides arenoſos inueniuntur. Hae colore bruno et exterius flauo obductae ſunt; aliae refractariae, aliae cryſtallinae, aliae ligno vero ſimillimae deprehenduntur; ſtrata tamen ipſa in linea horizontali in monte poſita ſunt. Prope pagum *Syromolotowa* in littore dextro fluminis *Tunguska*, ſaxum ſitum eſt, *Pop* dictum, ex quo fons ſalinus proſilit, qui in *Tunguska* influit. Ruſtici huius loci hac aqua ſalina ad varias res et cucumeres in primis condiendas utuntur. In fluminis *Taſſeewo* littore ſiniſtro olim gla- p. 116. cies mariae ſatis copioſe effoſſa fuit, propter aquam vero ſtagnantem et operariorum negligentiam nulla huius glaciei veſtigia amplius deteguntur. In fluminum modo dictorum locis vicinis ſmiris et tripela reperiuntur, quarum haec bonae indolis, illa vero non ſatis denſa eſt ideoque tantum ad lapides mollio-

*In hort. Upſal 44. 2.

p. 125. res poliendos adhiberi poteſt. Ad littora fluminis *Ieniſei* dentes hippopotami inueniuntur. In montibus ibidem ſitis *Sory*, ſtalacticum, haeret, quod recens adhuc album colorem, deinde vero flaueſcentem obtinet. Datur in eorundem montium cacuminibus non adeo altis magna conchyliorum copia, quae partim colore naturali praedita et inania, partim ab aeſtu ſolis torrefacta et deſtructa cernuntur. Sunt vero eorum maiora et minora, quae ultima Auctor pro buccinis habet. Illa autem omnia, quod a vicinis fluminibus non exſpuuntur, vera maris conchylia eſſe
p. 129. Auctori noſtro videntur. Has ipſas regiones vernali tempore pluuia rariſſime humectat et aeſtate tempeſtas coeli plerumque ſerena eſt. Tonitrua et hic rariſſime audiuntur, fulgur vero nunquam conſpicitur. Auctumni temperies ſemper nebuloſa, pruina frequens et hiems turbulenta obſeruantur. Quando inſulae vicinae montesque excelſi iuſto et ſolito maiores apparent, tunc tempeſtas turbidae imminere
p. 134. certiſſime praedicitur. In mari glaciali et circa oſtia fluminum in illud influentium fluxus et refluxus quando plenilunium eſt et poſt lunam nouam maximi, alio vero tempore minores obſeruantur. In locis
p. 137. Ruſſiae ſeptentrionalibus ad flumina *Olenek*, *Lena* et *Wilni* ſitis, ad quae DE L'ISLE DE LA CROYERE, mathematices profeſſor clariſſimus, profectus erat, anno 1737. et 1738. frigus adeo vehemens ſaeuiit, ut terra duriſſima et marmorea inde quaſi facta nullis inſtrumentis tractari potuerit, thermometra deſtructa fuerint, aqua intra duodecim minuta congelauerit, et manus non ultra duo horae minuta ſine periculo in aere libero ſeruari potuerint. Venti tunc temporis ſeptentrionales et occidentales flarunt, et aer ipſe ita mutatus fuit, ut ingruentibus morbis multi perierint
p. 147. incolae. In Sibiriae locis variis paſſim varia animalium oſſa et inter haec inprimis capita et cornua animalis cuiusdam, *Mammonts* dicti, cuius hiſtoria fabuloſa

losa videtur, olim reperta fuisse dicuntur. Quae vero ibidem reperiuntur aut aliorum animalium aut elephantum ossa fuisse, ex sceleti visi consideratione aliisque rationibus declarat Cl. Auctor. Et quoniam elephantum ossa ante plura saecula iam huc delata etiam num integra et illaesa habentur, eadem ratione, qua ebur fossile, a quo parum differunt, ad varias res conficiendas adhiberi possunt. Ab inundatione vero quadam aut diluuio communi haec elephantum ossa in Sibiriam translata fuisse, negat Auctor existimans potius, elephantes imminentes iniurias praesentiscentes e loco suo natali abiisse; sub ipsa vero hac fuga alios periisse et mortuos ab aquarum undis ad alia loca septentrionalia simul aduectos fuisse, alios e contrario, licet ad haec ipsa loca peruenerint, ob teneram tamen corporis dispositionem ibidem demum obiisse. In Sibiria ad *Indigirka* cornu Narh- p. 161.
wal* olim inuentum fuit. Ibidem circa *Nowa Semlia*, p. 165.
isthmum *Weigatz* et in omnibus insulis, versus flumen *Ob* sitis, Phoua dentibus caninis exsertis deprehenditur **. Huius animalis dentes non tantum hic loci, sed quoque in isthmo Hudsonienſi et in insula *Phelipeaux* inuenti, ad ulnae longitudinem et brachii crassitiem accedunt. Hos ipsos vero dentes his animalibus aut sponte excidere, aut violento quodam motu euelli, Auctor putat. Venatores in iisdem regionibus ad feras captandas in p. 173.
dissitis locis saepe oberrantes pyxidem magneticam secum gerunt, quae ipsis viam rectam semper monstret. Sunt illae pyxides ex ligno cum acu magnetica satis accurate fabrifactae et octo ventis cardinalibus eorumdemque nominibus insignitae, quarum Auctor iconem dedit. In loco quodam elatiori p. 226.
ad

* Vid. KLEINII hist. pisc. miss. II. §. 18. tab. 2.

** Conf. LINNAEVS in systemat. nat. regn. animal. classe I. quadruped. ord. 2. 12.

ad littora *Pakulicha* sito *Kangatow* dicto, mineras ferri ditissimas variis figuris ornatas variisque ex corporibus compositas; talcum splendens, lapidi nigro fissili simili inhaerens, pyrite diuersi coloris interspersо; lapides pallide liuidos, ad marmoris duritiem accedentes, alios flauescentes, alios albos, pellucidos; marmor fixum filamentis perpendicularibus parallelis; succinum nigrum in frustulis paruis; corpora varia lapidefacta; lapides lyncis, spongiam marinam, praetereaque alia, quae omittimus, Cl. Auctor
p. 266. inuenit. Prope *Dodonowa* mons situs est, qui rubricam
fossilem et umbram continet. Ad flumen *Zagan Jus*
p. 277. lacus salinus *Tustukül* dictus deprehenditur, qui ditissimus est, eiusque sal aestate ad fundum sponte sese praecipitat, nec crystallos cubicas, sed nitro similes exhibet. Ad huius lacus ripam fons prosilit, qui aquam habet, cum Selterana quoad saporem conue-
p. 281. nientem. Ad riuum *Kitschi Syr* fodina metallica prostat, in qua minera viridis et coerulea cupri in lapidibus mollioribus haeret. Aliae minerae, uti antimonium, striatae et profunde coerulae apparent. Ab hac non ita procul alia fodina, *Basinskoi rudnk* dicta, exstat, in qua minerae virides, inter album quarzum haerentes, inueniuntur. Quoniam vero hae binae fodinae non adeo largum prouentum praebent,
p. 292. a metallicolis plane non perfodiuntur: Ad littus occidentale fluminis *Jeniſei* montes iacent, in quorum altissimo fodinae metallicae habentur. Minerae molliores sunt, colore virides, lapidibus varie coloratis interspersis. Virides minerae cum malachite conueniunt, attamen friabiles, uti scoriae, deprehenduntur. Harum minerarum centenarius unus quadraginta octo libras cupri purissimi dedit. Notandum insuper et hoc, quod optimas mineras terra hic loci in superficie exponat, cum e contrario in Germania natura easdem in ipso terrae gremio reconditas seruauerit, quam differentiam a terrae mutationibus, in

Sibiria

Sibiria non adeo multis factis, aliquo modo Auctor deducere videtur. In montis cuiusdam, ad littus sinistrum fluminis *Irba* siti, cacumine minerae ferri saris durae, et in eiusdem viciniae alio monte flores cupri virides in duro et obscuro lapide haerentes effodiuntur. Tartari ad *Abanskoi Ostrog* habitantes erythronii radicem vernali tempore colligunt, et torrefactam pultibusque admixtam comedere solent *. Tartarorum, quos hactenus in descriptis locis Auctor viderat, facies cum Europaeorum facie conuenit. Non enim habebant illi oculos in orbita profunde positos nasosque latos, sed totius corporis habitum bene formatum. Raro gibbosi, mutili, obesi, sed macilenti, alacres, laborioſi, humani, sociabiles, affabiles et fideles cognoscuntur. Et mares et foeminae ab anno decimo iam fumi tabaci chinensis usu delectantur. Pauperiores tabaco Tscherkasiensi cum cortice berulae mixto utuntur. In spiritus vini potatoribus vel paulo ante vel post mortem flammam coeruleam igneam ex ore prorumpentem interdum obseruatam fuisse Cl. Auctor narrat **. Hic effectus a tam leui Russorum spiritu vini proueniens notatu dignus videtur; qui si ab igne electrico deduceretur, magna certe eius vis esset, aut si ventriculus tanto calore scateret ut, eius pyloro spasmodice contracto, spiritus ab igne electrico accenderetur, dubium tamen manet a quanam causa ignis electricus dependeat et versus oesophagum et os determinetur. Quum Auctor noster in itinere hoc semper ad plantas colligendas et earum incrementum considerandum attentus fuerit, ad hoc negotium suaue regiones montosas et campestres aptissimas esse didicit. In his enim locis niues citius aufugiunt et solis calor terram

p. 304.

p. 307.

p. 344.

p. 357.

p. 374.

* Vid. Auctor in Flor. Sibir. T. I. p. 39. 40 41. tab. VII.

** De hoc affectu conferatur CHRIST. MICHAEL. ADOLPHI trias dissertat. harumque tertia de eructatione flammante p. 71. seq. Lipsi. 1746. 4.

terram calefacit; niues diffluxae plantarum radices et semina in terra latitantia humectant, quibus mutationibus efficitur, ut plantae tenellae citius progermi-
nent, crescant, mense martio et aprili floreant se-
minaque matura gerant. Et frigus superueniens ra-
ro noxam affert, quoniam vel humores superflui a
ventis abripiuntur vel a niuibus confluentibus
collecti, ob terrae situm decliuem effluunt. Hoc
experientia ipsa docuit, siquidem illae plantae, quas
natura eo modo alit et conseruat, nullo hortulano-
rum studio et cura custodiri possunt. Comprobat id
Auctor porro ex anthrosace calycibus fructuum ma-
ximis in Sibiria reperta, a cuius seminibus Petropo-
lim et in Germaniam missis siue vere, siue autumno
nulla planta produci potuit. Vidit Auctor noster in
p. 378. oppido *Krasnoiarsk* auem, quam GESNERVS * merula aquaticam, LINNAEVS ** motacillam pectore albo, corpore nigro et KLEINIVS *** turdum aquati-
p. 378. cum appellant. Oues Kalmukienses siue laticaudas RAII ****, quae maiores, quam Russicae, Siberiae incolis educare non contingit; illae enim propter coeli clima aut pereunt aut degenerant. Degeneratio vero subsecura est minoresque statura factae sunt, licet cum ouibus Russicis nullam habuerint communionem. Ipsam autem hanc degenerationem a variis et diuersis alimentis et a climate mutato dependere| pos-
p. 426. se, credit Cl. Auctor. In coenobio Mangascienſi ad cereuisiam condiendam loco lupuli lichenoides pulmoneum

* Conf. Historia animal. Lib. III. de auibus p. 584. et FRANCIS. WILLVGHBEII Ornitholog. per IOH. RAI. Lib. II. §. VI. p. 104.

** In Fauna Suecica p. 82. n. 216.

*** Hist. auium prodrom. §. XXX. gen. V. p. 68. n. XVIII.

**** Conf. eiusd. synopsis methodica animal. quadrup. p. 74. n. 2.

moneum reticulatum vulgare, marginibus peltiferis * adhibetur. Hoc ipſum in Sibiria abietibus accreſcit et ſapore amaro gaudet, in Germania vero quercubus fagisque adhaeret et ſapore adſtringente praeditum eſt. Ad flumen *Aſſolka* ſalis fontes tres reperiuntur, qui vero non adeo multum ſalis largiuntur. Nec arte ipſam ſalis coctionem adiuuare ſciunt incolae, ſiquidem nulla eiusmodi aedificia habent, in quibus aqua ſuperflua diſſipatur. Et ob ligni penuriam hieme tantum ſal coquunt. Sal vero illud albidiſſimum quidem, arena tamen mixtum nec adeo efficax eſt. In eadem vicinia alia ſalis officina exſtat, cuius fons ſale ſufficiente ſcatet. Etſi quidem hoc non adeo album ſit, tamen nulla arena mixtum bona virtute gaudet. In locis vicinis riui *Kaidyntak* montes altiſſimi ſiti ſunt, qui maximam partem ex lapide fiſſili aluminoſo conſtant. Ex huius lapidis rimis alumen flauum attactu pingue et molle ſtalactitis fere forma effluit, quod per paucos dies aeri expoſitum albidius duriusque redditur. Propter pinguedinoſam indolem *Stalacticum* appellatur, et quoniam in diarrhoeis magnum auxilium inde expectatur, diſſita in loca diuenditur. In aliis quoque multis Sibiriae montibus hoc ſtalacticum concretum detegitur. Eandem hanc materiam per varia experimenta chemica e. g. cum ſpiritu vitrioli, nitri, ſalis, cum ſolutione vitrioli martis, aluminis, ſacchari ſaturni, argenti, mercurii ſublimati, infuſione Gallarum, calce viua tentauit, miſcuit et ſoluit, nec ullum ſal inde elicere potuit Auctor. Hanc maſſam ſolutam, filtratam et inſpiſſatam per retortam deſtillauit et phlegma deſtillatum cum oleo tartari per deliquium, ſolutione argenti viui in aqua forti, ſolutione ſacchari ſaturni, ſulphuris et calcis viuae, ſyrupo violarum varie examinauit et naturam huius phlegmatis acidam eſſe cogno-

p. 427.

p. 429.

p. 459.

p. 467.

* Vid. DILLENII hiſtoria muſcor. p. 212. tab. XXIX. A. B. C. n. 113.

cognouit. Ex reſiduo praecedentis deſtillationis, in retorta relicto, per retortam terream igne vehementiſſimo denuo deſtillato, vapores albos aſcendentes, phlegma ſaporis ſubdulcis et acidi, oleum ſiue ſpiritum extorſit. Ex capite mortuo rubro, aqua calida elixato et cocto, nil niſi terram albam ſubtiliſſimam obtinuit. Deinde ex primae et ſecundae deſtillationis phlegmate et ſpiritu mixtis, filtratis et ſale tartari depurato ſaturatis, aqua deſtillata dilutis denuoque filtratis, euaporatione cryſtallos ſalinas produxit, quae ratione ſubſtantiae lamelloſae et ſolutionis in igne facilioris cum ſale mirabili Glauberi conuenie-
p. 476. bant. In iisdem locis ſupra ripam *Sickpul* inter ſaxa altiſſima ſtalactícum copioſum etiam haeret, quod longe albidius longeque melius ad inſtar aluminis plumoſi apparet. Eius matrix, in qua creſcit, pariter eſt lapis fiſſilis niger. Eadem, quae cum priori, Auctor inſtituit experimenta et idem ſal ac ſuperius obtinuit, vitriolum vero nullum. Ad martem, quem in hoc ſtalactico concreto latere credebat Auctor, detegendum, praeter alia experimenta infuſionem gallarum adhibuit, nihil vero martis detexit. Ipſa haec maſſa toſta fumum dedit nullum, nec eius pars aliqua compacta inueniebatur. Parauit porro Noſter fluorem ex tartari albi et nitri drachmis duabus, fellis vitri drachma una et ſemis, borracis, arenae et carbonum drachma una, vitri albi et calcis viuae granis quadraginta quinque, cuius centenarios duos cum centenario uno ſtalactici miſcuit et igne fudit, in qua vero materia refrigerata et in fruſta diuiſa nullum partis regulinae veſtigium animaduertere licuit. Ex his aliisque experimentis inſtitutis Auctor noſter colligit atque affirmat, in aluminoſo hoc ſtalactico concreto non acidum vitriolicum verum et purum, ſed acidum ſalinum vel acidum vitriolicum alcalino minerali temperatum latere, et inſuper martiales eius particulas ſolutas unguinoſo quodam principio mixtas

tas et coniunctas deprehendi, propter quod etiam acidum, cum marte simul praesens, nullum vitriolum constituit. *Gulo* ex omnibus animalibus solus ubique et in regionibus septentrionalibus et meridionalibus viuit; frigus et calorem perfert; ab hoc corporis eius humores celerius per vasa mouentur et eo copiosiores succi ad cibos digerendos necessarii secernuntur; ab illo corporis fibrae roborantur, quibus digestio pariter adiuuatur, quippe quae in hoc animali optime et celerrime perficitur. Illa vero alui excretio, quae intra duas arbores sese intertorquendo, accelerari vulgo dicitur, fabulosa res est. Magna est ceteroquin huius animalis astutia et aptitudo, qua reliquis insidias struit, ipsum vero easdem a venatoribus factas caute fugit. Animalia dum captat, ex arbore desilit et ea in medio corpore dentibus comprehensa facile interficit. Ceruos non nisi fere annuos inuadit; rangiferos, capras moschiferas, lepores, vulpes perdicesque lubenter deuorat et plura alia animalia somno suppressa corripit. Ex omnibus ergo gulonis actionibus, tam callide susceptis, varias animarum in animalibus virtutes quodam modo colligi posse, apparet. Sed et has nondum satis cognoscimus. Nonne credere liceat, hoc animal, uti hominem meditabundum interdum incedere? In Sibiriae locis *Krasnoiarsk*, *Irkutzk*, *Barguſinsk* aliisque, terrae motus uti olim, sic et nunc interdum, quouis tamen anni tempore accidunt, qui nec adeo vehementes sunt, nec adeo diu durant. Et quoniam ipsi circa mare *Baikal* plerumque et vehementius eueniunt, Auctor Cl. eosdem tremores ex terrae visceribus deducit. Sunt enim praeter ea ibidem fontes sulphurei, ex quibus aqua calida prorumpit, et ex ipso mari dicto bitumen tenax nigrum * copiose eiicitur, quod igne liquefactum et despumatum lampadibus flam-

p. 492.

p. 516.

* Vid. Linn. syſtem. natur. Stockholm. 1748. p. 168. n. 3.

p. 520. flammae alendae indunt incolae. In *Kamtſchatka* pariter ob magnos montes igniuomos vehementes terrae tremores non raro obſeruantur. De lapide
p. 521. bezoardico de *Goa* chinenſes medicaſtri et circumforanei ſequentes virtutes in ſchedulis exhibitis praedicant: Ipſe nempe in puluere cum aqua datus omnes febres intermittentes et continuas pellit, lipothymias, palpitationes cordis et curas et moerores animi tollit, variolarum miaſma diſcutit, omnes morbos malignos, acutos, ab aeſtu ſolis ortos, ſanat, vomitus et diarrhoeas ſiſtit, vires amiſſas reſtaurat, acidum ventriculi domat et in quolibet morbo, a nimia defatigatione corporis proueniente, conuenit; mulieribus, antequam annum quadrageſimum quintum attigerunt, eius uſus plane interdicitur.
p. 537. Ad *Tuſſiul* mons iacet, cuius ſtrata rubram, flauam, brunam, virideſcentem et pinguem margam continent. In hoc ipſo monte praeter ſpathum minerae variae reperiuntur, quae inter alias forſitan primae metallico ſtudio, in Siberia exercendo, occaſionem de-
p. 566. derunt. Ad ripam *Koſchuk* mons ſitus eſt adſpectu viridis, cuius cacumina conſtant ex lapide nigricante duro, ſpatho rubro et tenuibus venis pyriticis mixto, in quo flores cupri continentur.

Tomus *quartus* in collectione ſeptimus, nonnulla adhuc hiſtoriae naturalis momenta, quae annis 1740. 1741. 1742. 1743 ab urbe *Tomsk Petropolim* usque ab Auctore Cl. obſeruata fuerunt, continet. Circa
p. 142. urbem *Tara* et verſus flumen *Irtiſch* menſe plerumque iunio et iulio incolae quodam morbo contagioſo una cum furunculis corripiuntur. Accedit hic ipſe morbus primum ſub ſpecie maculae pallidae, attactu durae, in variis corporis locis conſpicuae, quae intra quatuor dies ad pugni magnitudinem intumeſcit, colore et duritie non mutatis. Sub hoc ipſo maculae incremento aegroti magnam debilitatem, ſitim, appetitum proſtratum, ſomnolentiam, vertiginem et anxie-

anxietates praecordiorum ſentiunt, quibus tandem reſpiratio difficilis, halitus oris foetidus, facies pallida, dolores interni atroces, iactitatio corporis, ſitisque aucta ſuperueniunt. Si ſub his ſymptomatibus omnibus copioſus ſudor prorumpit, decimo aut undecimo die pereunt aegroti. Hunc morbum curare ſtudent medicaſtri, dum maculam hanc vel tumorem iam eleuatum aut dentibus mordendo circumcidunt, aut acu quodam eius medium profunde perforant et reliqua latera ita pertundunt, ut aeger undiquaque dolorem ſentiat. Tandem herbam nicotianae, maſticatam et ſale ammoniaco impaſtatam, vulneri cum emplaſtro repetitis vicibus imponunt. Hoc ipſo remedio intra duos, ſex vel ſeptem dies tumor et duricies diſcutiuntur, vulnus conſolidatur et cutis color naturalis redit. Nec reliqui corporis humores hoc miaſmate inficiuntur. Durante hoc morbo aegris potus, Quas * acidiuſculum, iuſcula gallinarum et raphanus propinantur; legumina lac et carnes plane interdicuntur. Ipſe Auctor noſter hunc morbum inciſione tumoris et mercurio praecipitato rubro applicato et interne mercurio dulci dato in homine ruſtico olim ſanauit. Eo ipſo tempore in iisdem locis p. 147. idem ſimilis fere morbus contagioſus inter equos ſaeuire ſolet, quippe qui tumore, in variis corporis partibus conſpicuo, ſeſe manifeſtat. Talis tumor ſtatim ad pugni et deinde intra viginti quatuor horas ad capitis ouilli magnitudinem accedit. Equi ipſi capite ſuſpenſo triſtes incedunt et ſitientes ad aquam properant multumque bibunt. Tumor hic porro, licet ad maturitatem redactus ſit, tamen nunquam ſponte rumpitur, etiamſi apertus fuerit, equo tamen mortem affert. Curatur hic morbus et in primis tumor cultri inciſione, ferro vel acuto vel ardente vel ſetaceo transducto. Tumoris ſubſtantia interna pin-

* De hoc potus genere vide Commentar. noſtr. Vol. II. Part. I. p. 94.

guis eſt et colorem flauum habet. In animalium vero pectore et genitalibus hic morbus ſedem figit, qui ſi in priori loco eſt, maior conualeſcentiae ſpes affulget. Ipſi equi durante morbo ipſiusque cura, ſtabulo tenebricoſo detinentur, pro victu aqua nulla, ſed acidum Quas tepidum et foenum paucum exhibentur. Ceteroquin hanc equorum luem aliquot dierum intermiſſionem interdum intercedere obſeruatum fuit, ac ſi febris intermittens quaedam ſimul ſuccurreret a cauſa, in aere forſitan latente, oriunda.

p. 216. Hermaphroditos, quorum hiſtoriam anatomicam in nouis commentariis academiae petropolitanae traditam nuper accepimus, Auctor noſter *Iſezkoi Oſtrog* ipſe vidit eosdemque *Petropolim* ad ulteriorem disquiſitionem inſtituendam remiſit *. In pago *Ka-*

p. 248. *menskoie Sielo* quaedam ſaponis ſpecies ex butyro paratur, qui bonitate vulgarem ſuperat et ad purganda abſtergendaque varia corpora aptiſſimus inuenitur.

p. 268. In *Krasnoslobozk* locis, aſparagus copioſe creſcit, cuius turiones ad tres ulnae partes accedunt, admodum vero ſunt tenues, graciles, ſapore blando gratoque. Hanc plantam ibidem ſola pecora deuorant, incolae comedere neſciunt. Circa *Dalmatouskoi Uſpenskoi*

p. 284. *Monaſtir* auium genus rariſſimum *Remes* dictum deprehenditur. Sunt hae aues trochlodyti ſimiles ipſarumque cantus cum eo, quem parus inſtituit, conuenit. Mas albo, foemina vero gryſeo capite cum vitta nigra, in fronte excurrente, gaudent; inſtructae ſunt porro dorſo bruno, inter quod et collum mas latam maculam, caſtanei coloris, foemina anguſtam paulo dilutioris habent; harum abdomen albicans et

* Vid. Nou. Commentar. Acad. Scient. imperial. petropolitan. Tom. I. ad annum 1747. et 1748. Petropol. 1750. p. 215 ſeqq. ubi ab ABR. KAAV BOERHAAVE hiſtoria horum hermaphroditorum deſcripta legitur. Conferantur de his Commentar. noſtr. Vol. I. Part. II. p. 228.

et ſordidum, pectus rubicundum, cauda longa et bruna, alae brunae, pedes plumbei coloris et oua, quae ponunt, albidiſſima ſunt. Nidi denique, quibus inſident, ex pappis fructuum ſalicis, lino et urticis fabrefacti, molles ſunt et ad uſum medicum adhiberi dicuntur. In illis terrae regionibus, quae a flumine *Irtiſch* usque ad flumen *Iaik* ſitae ſunt, multi lacus aquis dulcibus et ſalſis ſcatentes inueniuntur, in quibus ipſis tot mutationes obſeruantur, ut aquae antea dulces ſalſae, et ſalſae poſt ea dulces euadant, vel alii lacus plane exſiccentur, vel alii noui denuo oriantur. p. 303.

Ad flumen *Iaik* et prope ripam *Tügeng-Aſſilui* montes magnetici magni a plaga ſeptentrionali verſus auſtralem, ad tria milliaria ruſſica lati, ſiti ſunt. Horum montium lapis magneticus, libero aeri expoſitus, maximam vim magneticam habet et conſiſtentiae mollioris eſt, qui vero infra terram latet, maiori duritie, aſt minori vi magnetica praeditus eſſe cognoſcitur. Lapis hic magneticus in genere colore nigricante ſcatet et vel particulis anguloſis, quales in haematitis ſuperficie apparent, vel puluere ochraceo obſitus eſt. p. 345.

Magnes ipſe in nobilioribus mineris martialibus, ponderoſis, nigricantibus, mollioribus, exigua vi magnetica praeditis, tanquam in matrice haeret. p. 385.

Ad ferri officinam, *Werch-Iſezkoi* dictam, fons martialis deprehenditur, cuius aquae ſapor non adeo adſtringens eſt, nec ſpirituoſum illud, quod in Germaniae fontibus medicatis guſtu percipitur, ſe ſe manifeſtat. p. 398.

Prope *Niſchno Tagilskoi Sawod* mons ſitus eſt, qui a cacumine usque ad radicem minera ferri dura ditiſſima conſtat, quae ferrum optimum praebet. p. 413.

Inter has mineras magnes bonae indolis reperitur, qualem Cl. DEMIDOW poſſidet, cuius moles tredecim librarum eſt et quadraginta librarum ruſſicarum pondus attrahit. p. 419.

Ad ripam *Kuſchwa* officina ferraria *Kuſchomskoi* dicta exſtructa eſt, a qua non ita procul mons altiſſimus latiſſimusque *Blagodat* dictus

iacet, qui fere totus ex mineris martialibus ditissimis concreuit. Praeter has hic mons quoque cupri mineras et magnetem bonae satis indolis continet. Ex
p. 421. plaga septentrionali ripae *Polowinnaia* fodina metallica anno 1741 a metallifossore saxonico detecta est, in qua cupri minerae vitreae, rubrae, fuluae, cuprum verum et aerugo natiua effossa fuerunt. In plaga
p. 438. orientali fluminis *Tagil* mons asbesti, *Bumaschaia* dictus, situs est, cuius asbestum ante triginta circiter annos detectum est. Saxum montis friabile, molle, grysei, coerulei, viridis et nigricantis coloris est, quod, si per longas temporis mutationes magis molescit, asbestum perfectum sistit. Venae asbesti non adeo densae et in omnes plagas excurrentes colore viridi splendente superbiunt et paululum digitis tritae filamentosum opus, lanae et serico simillimum, exhibent. Variae metallifodinae in variis locis, circa flumen *Neiwa* sitis, exstant, in quibus multae cupri minerae latent, quae vero, cum magno labore ex saxosis stratis erui debeant, non adeo copiose effo-
p. 476. diuntur. In urbe *Turinsk* ad dentes euellendos propter corporis robur fabri ferrarii aptissimi iudicantur, quippe qui ad hanc operationem perficiendam forcipibus illis utuntur, quibus aurifabri nostri crucibula comprehendunt. Pinus foliis quinis, cono erecto, nucleo eduli in regionibus *Werchoturie* copiose crescit. Cuius fructus si largiter proueniunt, studiose ab incolis colliguntur, et vel crudi comeduntur, vel oleum ex iisdem ad varios cibos lubricandos
p. 522. exprimitur. Circa *Solikamskaia* multi fontes salini et quadraginta circiter officinae salinae, ab Auctore fusius descriptae, reperiuntur, in quibus magna salis copia coquitur et in Russia diuenditur. Officina cu-
p. 542. pri ad ripam *Piskorka* a multis iam annis exstructa nunc floret, nec minerae ibidem coquendae deficiunt, propter ea, quod ex variis propinquis metallifodinis satis

* Vid. Hallerus Stirp. Heluet. 180. n. 4.

ſatis diuitibus eaedem copioſe apportantur. In eiusdem viciniae pago quodam, *Diaduchina* dicto, officinae ſalinae viginti ſex proſtant, quibus ad ſal coquendum fontes ſeptendecim aquam largiuntur, unde magna ſalis copia ibidem parari poteſt. In alio pago vicino *Nowo Uſſolie* dicto quadraginta officinae ſalinae deprehenduntur. In fontibus ſalinis effodiendis in genere haec notanda ſunt: Quando argilla gryſea occurrit, bonum ſignum habetur, quod ſpem offert, ipſum fontem ſalinum in propinquo latere. Terra vero rubra nullam fontis recuperandi ſpem facit. Quo denſius ſolum eſt et quo profundiores eius modi fontes ſunt, eo diutius durare obſeruantur. Sed ne nimium in illa loca diſſita, quae Cl. Auctor noſter pererrauit, diuagemur lectorique noſtro taedium excitemus, multa omittentes praecipua tantum annotauimus. Gratulamur Cl. GMELINO, quod in hiſce itineribus tanta cum induſtria tantos fructus collegerit et nunc in ſui ipſius laudes eosdem in variis ſcriptis editis nobis omnibus communicare voluerit. p. 546. p. 548.

XVI.

Noui commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tom. II. ad annum 1749. Petropoli typis Acad. Scient. 1751. 4. 2 alph. 17. pl. tab. aen. 18.

In eo adhuc occupata eſſe obſeruamus celeberrima academiae huius membra, ut, quae ad phyſices et hiſtoriae naturalis ſpectant dilucidationem, exponant ſtudioſe, quare

1. In claſſe phyſico-mathematica RICHMANNVS *atmometrum* deſcribit ſiue *machinam hydroſtaticam ad euaporationem aquae certae temperiei menſurandam, ita conſtructam, ut ope illius decrementum paucorum granorum obſeruari et lex euaporationis confirmari poſſit.* p. 121.

Machina nimis compoſita eſt, quam ut ſine figura intelligi queat. Hoc tantum aliqualis ideae exhibendae gratia dicemus: Vas apertum, aqua plenum, mediantibus tribus virgis metallicis connectitur, cum alio vaſe vacuo, ut hoc pondus innatet aquae, in tertio vaſe contentae, operculo clauſae, unice tribus foraminibus pertuſo, quo virgae illae pertranſire poſſint; his enim impoſitum vas, aqua plenum, ſupra operculum eſt, alterum vacuum, aquae tectae innatat; iam manifeſtum eſt, ſi euaporante aqua ex vaſe aperto leuius illud fiat, aſcenſurum vas vacuum in aqua, virgas altius emerſuras, eritque aſcenſus virgarum, vel pars illarum, quae ex aqua operculo tecta per foramina attollitur, tanta, ut ſpatium, quod hae tres particulae virgarum ex aqua emerſae occuparunt, aqua iam repleatur, tanti ponderis, quantum eſt decrementum ponderis vaſis aperti, propter euaporationem. Ponantur virgae tam tenues, ut cuiusuis portio, duas lineas longa, volumen occupet, granum aquae capiens, patet euaporatis tribus granis, vas apertum ad duas lineas eſſe aſcenſurum, poteſtque adſcenſus ſcala addita et indice accuratiſſime notari. Fatetur vero inuentor, accuratiſſime fabrefieri debere machinam.

p. 128. 2. LOMONOSOW machinam deſcribit, cuius ope *ſumma celeritatum cuiusque venti et variationis directionum*, abſente quoque obſeruatore notantur.

p. 134. 3. RICHMANNVS inquirit, *cur aqua profunda plus euaporet aqua minus profunda*, quod HALLEYVS, et poſt eum KRAFTIVS etiam noſter, indubiis experimentis confirmarunt. Oſtendit vero non tam profunditatis, quam maſſarum, euaporationi expoſitarum et ſuperficierum rationem eſſe habendam, attendendumque ad varias aeris conditiones, calorem, humiditatem, et ut omnibus probe expenſis nil certi ſtatui poſſit.

4. IDEM

4. IDEM *euaporationem in aqua, quae aere frigidior erat*, obſeruauit, et conſectaria inde deduxit. Primum vapores collecti ſunt, deinde, dum aqua incaleſcit ab aere circumfuſo, propiusque ad huius temperiem accedit, ceſſat viſibilis vaporum collectio, ſed euaporatio inuiſibilis continuatur. Hinc varia deducit, ad phyſicam pertinentia. Poſt occaſum ſolis, aeris calor, qui interdiu maior eſt, aquae in ſuperficie telluris ſtagnante calore, decreſcit, ſic, ut tandem minor euadat calore aquae; igitur aqua vapores emittit, qui, ad obſtacula vel corpora attrahentia collecti in guttas, rorem exhibent, ut non omnino ratione careat GERSTENII de rore ſententia, et ſi deciduus ros penitus negari nequeat. Similiter mane, dum atmoſphaera a ſole incaleſcit, praecipitantur ex illa vapores verſus corpora terreſtria frigidiora; eoque maiori copia, quo plures in aere haerent, aut quo maior eſt inter aeris et telluris temperiem differentia, ut ex multitudine vaporum, matutino tempore telluri adhaerentium, horum alterutrum vel utrumque colligi poſſit. Sic patet, in meteorologicis horum experimentorum uſum eſſe inſignem. p. 145.

5. *De compreſſione aeris, in primis per aquam, in bombis conglaciatam*, experimenta deſcribit RICHMANNVS, quae ſine figuris intelligi non poſſunt, oſtendunt vero aerem preſſione atmoſphaerae condenſatum, in huius ſui voluminis partem trecenteſimam ſine ſenſibili elateris decremento redigi poſſe, ceterum limites compreſſionis aeris nondum cognoſci. p. 162.

6. *Ex lege decrementi caloris*, quam Tom. I. Comment. Nouorum tradidit, docet RICHMANNVS, *mediam certo interuallo temperiem aeris definire, inſtrumentumque meteorologicum nouum mediae temperiei aeris inueniendae inſeruiens* proponit. Commodum eſt, inter variantes quasdam aeris temperies, mediam noſſe, quae ſola, ſi perpetua fuiſſet, tantum effeciſſet, quantum effecerunt variabiles illae, una poſt alteram; p. 172.

ram; hoc si obtineamus, in experimentis, variante aeris temperie instituendis, v. g. quae ad euaporationes pertinent, non opus erit perpetuo praesentem obseruatorem attendere temperiei aeris. Igitur ex formula sua caloris variantis, quo modo id colligatur, RICHMANNVS ostendit, machinamque ex ferro confici iubet, quae gradus caloris, quem semel nacta est, lentius varians, medio ostendendo inseruit.

p. 181. 7. Barometra duo, quorum variationes sensibiliores sunt, vulgaris barometri variationibus, idem RICHMANNVS describit, et libras barometricas, quae omnia sine figuris intelligi nequeunt.

p. 231. 1. In classe physica *de vegetatione plantarum experimenta et consectaria* proponit G. W. KRAFFT. Varia Cl. Auctor plantarum, fabarum minorum, pisorum et raphani semina terrae, aeri liberiori expositae, aut in museo calefacto collocatae, mandauit, in quibus citius aut tardius iterum effossis pondus auctum et imminutum variasque mutationes obseruauit. Ipsa semina alio
p. 235. tempore in terra recondita, infusione herbae theae, lacte, urina sana, aqua pura et spiritu vini gallico irrorauit et melle conspersit indeque varium incrementum annotauit. Ex plantulae radice et caule discissis aerique liberiori expositis transpirationem diuersam deprehendit. Fabae radicula iam proueniens, calamo anserino inclusa et in terram iterum defossa corrupta est insectaque ibidem reperta sunt.
p. 239. Auenae et cannabis semina in terra foecunda, arena sicca, scobe lignea et ferrea, carbonum puluere, charta dissecta, foeno, cineribus, et sale reposita, aut incrementum varium, aut plane nullum exhibuerunt. Animalium partium, unguium et capillorum incrementum curiosus Auctor quoque indagauit et unguem intra 81. dies $\frac{4}{9}$ pollicis, et capillum cum radice in aquam immissum intra idem tempus $\frac{5}{9}$. pollicis increuisse vidit. Ex enarratis hisce experimentis consecta-

sectaria quaedam deducit Cl. Auctor. Quemadmodum oui testae incubatione attenuantur, ut a pulli inclusi rostro perfodi possint; ita etiam a madore leniter affluente seminis cortex emollitur, donec radicula erumpere queat. p. 242. Est tamen inter granum seminis et ouum manifesta differentia; hoc enim nullum succum extra se positum ad se attrahit, sed omnem in se paratum iam habet, illud vero succum in terra latitantem recipit. Insecta in plantis reperta, non ex putrefacto et corrupto succo nascuntur, sed ab ouulis in terra copiose dispersis et aquae ope in plantas adductis mediante fermentationis calore excluduntur. Succus nutritius ex lacte et melle paratus non potest transire in plantam, vel semen eius, et si saltem quaedam partes intrant, tamen non ita combinari possunt, ut lac et mel denuo in planta efficiant. An materia animalis, caro, cornu cerui et aliae partes plantarum vegetationem adiuuent, adhuc esset disquirendum. Mirum ex factis experimentis et explicatu difficile videtur phaenomenon, quo in omni planta radix semper deorsum vergit, germen vero sursum excrescit. De hoc ipso ANTONII LE GRAND, p. 247. MARIOTTE REGNAVLT, DENISII, BILFINGERI, DODARTI, DE LA HIRE, ASTRVCCII, HALESII et HENKELII opinionibus adductis, quaerit et suspicatur Auctor, an non praeter grauitatis, attractionis et elasticitatis causas, viribus animalibus, tanquam nouae cuidam facultati in rerum natura existenti, hae mutationes adscribi queant. Aqua pura vel nullo vel p. 253. pauco sale scatens, optimum plantarum est nutrimentum, illa vero, quae particulis acribus, sulphureis, pinguibus v. c. urinae, lactis et spiritus vini imbuta est, plantarum incremento nocet. Tres porro plantarum species, primam, quae ex terra, alteram quae ex plantis prioribus et tertiam, quae in animalibus, uti sunt pili, cornua et plumae, crescunt, cum HONORATO FABRY statuit Noster. Tandem ad VERVLA- p. 255.

MII experimentum, cepas ex filis ad feneſtram ſuſpenſas ſponte laeteque germinaſſe, ſed pondere ſemper diminutas fuiſſe, in tabula appoſita annotatum legimus.

p. 257. 2. *Obſeruatio anatomica, muſculi in pectore praeter. naturalis et varii in diuerſis corporibus inuenti.* Auctore ABR. KAAV BOERHAAVE Anatome, magis magisque exculta, veterum errores varios detexit, atque correxit; quare VESALIVM, GALENI iam in deſcribendis abdominis muſculis lapſus emendaſſe ab initio probat Cl. Auctor. Nouos tamen in ſplendido de muſculis a GAVTIER euulgato opere fuiſſe commiſſos ſimul monet, atque muſculi recti ad duas ultimas coſtas veras acceſſum, pro naturali ab eo habitum, experientia refutari docet; praeter ea vero ſimul et alia, ad hos muſculos pertinentia, momenta, nec rite expreſſa, nec depicta fuiſſe notat. Eae enim, quae veritati harum delineationum fauere potuiſſent, a Cl. Auctore factae, obſeruationes, ex morboſis ſubiectis cum deſumtae ſint, quarum alio tempore, ſe promittit ſuppeditaturum eſſe hiſtoriam, ad naturalis indolis demonſtrationem adhiberi nequeunt. In eo itaque probando plurium ſtudioſe, quos conſuluit, anatomi-
p. 266. corum expoſitiones adfert, probans, rectorum muſculorum inſertionem per tria dentata extrema inferiorum etiam verarum coſtarum cartilaginibus adhaeſiſſe, rarius ad quintae coſtae extremam oſſeam perueniſſe partem. Horum deinde extremorum naturam fuſius perſequitur, ſimulque nunquam eius fibram aliquam ad mucronatae cartilaginis finem vel ad ſternum deductam ſe obſeruaſſe adſerit, quin po-
p. 267. tius fibras graciles deprehendit, tenues et ſplendentes, quorum concurſu ligamentum efficitur, oblique ad cartilaginem coſtae ſeptimae protenſum a WEITBRECHTO etiam expoſitum *. In his autem, quae conſtantiora ſunt, momentis, varietas tamen aliquando

* Syndesmolog. p. 121. Tab. XIV. f. 49. ff.

do est, ad quas illa singularis pertinet, in iuuene detecta et tabula undecima, figura prima expressa, conformatio. Illud namque, quod ad quintae costae cartilaginem adscendit musculi recti extremum ex parte inferiori quidem quintae huic inserebatur, exteriori autem sui parte, fibrae carnosae oblique extrorsum adscendentes et ad costam quartam tendinescentes, costae tertiae, partim osseae, partim cartilagineo eius principio, inhaerentes terminabantur. In alio viri p. 269.
robustissimi cadauere singularem deinde musculum videre contigit Cl. Auctori, qui cum recto nullam habebat connexionem, cuius iconem in eadem tabula figura secunda exhibet. Incipiebat ille duplici tendine, externo maiori, a superiore costae septimae cartilagine, ubi illa proxime cum sterno iungitur, interno minori, ex ipsa sterni infima parte ad articulationem, costae septimae cum sterno, supra cartilaginem xiphoideam. Ex horum confluxu carneus nunc musculus sinistrorsum inclinatus procedebat, ad supremam sterni partem iterum introrsum et dextrorsum curuatus, superiori sterni ossi, triangulare dicto, inhaerebat, infra sternomastoidei musculi sinistri adhaesionem. Huius actio tamen in leuanda magis costa quam deprimendo sterno videtur posita fuisse. Discrepans porro musculosarum fibrarum in pectore directio in alio corpore iuuenili obseruata est a Cl. BOERHAAVIO, in tabula duodecima delineata. Eo nimirum in loco, ubi ad quintae costae cartilaginem pectoralis musculus dexter adhaeret, fibrarum musculorum fasciculi originem sumserunt, praeter consuetum naturae ordinem additi. Erant eorum duo, qui ex communi tendinoso proueniebant principio, quod tamen quintuplex erat. Primum a margine sterni p. 272.
interiore sinisterius, ubi quintae costae cartilago cum pectoris committitur osse, alterum dexterius ad sextae costae cartilaginis cum sterno coniunctionem, tertium ab eodem loco, mucronato sterni osse et septimae

mae coſtae cartilagine, quartum deinde ab inferiori cartilaginis huius coſtae parte, quintum tandem a muſculi obliqui exterioris abdominis aponeuroſi, quae ſupra rectum hic loci adſcendit. Progredientes hi faſciculi omnes firmiter inuicem tenebant, excepto quarto, cuius fibrae a ſe recedentes fiſſuram oualem relinquebant, poſt eam denuo confluentes. Tunc ex omnibus muſculus planus, ad ſternum progreſſus, in duplicem, magnitudine etiam differentem ſecedebat. Superior et minor oblique ad ſternum tendens ex tribus validis faſciculis componebatur, ex quibus tres etiam diuerſae caudae porrigebantur. Sterno medio duae breuiores, ſiniſtrorſum continuatae adiungebantur ad pectoralis muſculi eius lateris adhaeſionem usque, tertia longior ſuper dextrum pectoralem ad ſterno maſtoidei carnem delata, inferius cum eo iuncta procedebat ſic, ut tractione facta eum etiam paulum explicaret. Maior et inferior contra cum priori ab initio ſe decuſſans, latiori carne ab eo dextrorſum vergens, ſupra in tendinem coarctabatur, quae ex parte prioris et minoris tendinem contegebat et tandem in ſternomaſtoidei tendinem etiam inſerebatur, diſperſis per illum variis tendinoſis faſciculis. Fibrarum eius diſtenſio inſtituta pariter ſternomaſtoidei tendinem explicabat, ut reſpirationem iuuaſſe in viuo homine non immerito videa-
p. 278. tur Cl. Auctori. Porro ex tendinoſo principio horum deſcriptorum muſculorum alius quoque faſciculus originem ſumſit, ſupra pectoralem ſiniſtri lateris muſculum ductus, cuius etiam tendinoſae fibrae, iuxta ſe poſitae, diuerſos habebant ortus, qui vero in duos contracti minores tendines carnem ſenſim latiorem effingebant planioremque, cuius denique fibrae diſperſae in externam pectoralis muſculi membranam diſpergebantur et cum fibris eiusdem deſinebant. Obſcura vero huius muſculi actio relinquitur. Licet autem omnium horum muſculorum deſcripti

probet

probet, potuiſſe GALENVM aliquando ſimilia obſeruaſſe, in eo demum non excuſandus, quod pro naturali habuerit varietatem ſtatu. Declarat interim et haec expoſitio, quanta ſit Cl. Auctoris in partium diſſertione rite inſtituenda, ſollicitudo.

3. *De acere foliis oblongis cordatis, inaequaliter ſerratis* agit STEPHANVS KRASCHENINNIKOW. Acerem tartaricum mori folio inuenerat GERBERVS ex cuius ſeminibus haec arbor enata eſt. Caudice cinereo praedita, cruciatos emittit ramos, virides, ſi iuniores ſint, et purpuraſcentibus ſtriis inſtructos, quibus cruciatim adſtant etiam folia oppoſita, petiolata, cordato oblonga, acuta, margine ſinuata vel angulata, inaequaliter ſerrata, glabra. Flores racemoſi ſunt et pedunculati, in quibus illud a reliquis differt ſpeciebus, quod corollae petala conuoluta intra calicem abſcondantur, calice tamen, ſi explicantur, longiora, ut inde corolla patens, petalaque eius, calicis laciniis aequalia, pro nota generis characteriſtica adſumi cum LINNAEO non poſſe pateat. Icon addita ramum cum flore ſiſtit, in qua illud erroris acceſſiſſe notat Cl. Auctor, quod foliorum ſitus cruciatus non fuerit obſeruatus. p. 285.

4. *De beſtiis marinis* Auctore GEORG. WILH. STELLERO. Exteri etiam ſingularem, quam praematura morte in damnum hiſtoriae naturalis ereptus, adhibuit STELLERVS, norunt induſtriam, cuius haud leue etiam haec de beſtiis marinis quibusdam propoſitae adnotationes praebent documentum. In his enim declarandis non menſurae tantum omnium partium accuratiſſimam ſuppeditat normam, ſed externarum etiam et internarum ſollicita partium deſcriptio, nec non oſſium et morum ſiue naturalis indolis uberior recenſio, multum iuuant animosque noſtros inſtruunt. Haec autem ea eſt, quam Cl. Auctor in exponendis quatuor beſtiis marinis ſequitur, regula. Deſcriptos itaque hic inuenimus, manatum, urſum, p. 289.

urſum, leonem marinum et lutram. De varietatibus animalium, quae a climatis ratione pendent, primo Noſter diſſerit loco, et diuerſitatem locorum, pilorum etiam colorem mutare variis exemplis comprobat, rationem porro, quare non in omni maris loco eius modi vel ſimilia occurrant animalia, in eo inuenit, quod eorum natura, victus aliaeque conditiones conuenientia ſibi quaerere loca ea cogit. Licet autem ille nec noua tantum, nec cuncta, hic loci reperiunda, deſcribat animalia, talem tamen eorum nobis ſubminiſtrat deſcriptionem, quae perfectione ſua ſeſe commendet. Nobis interim, quod omnia hic notare momenta, ob rei dignitatem et conciſam, qua Cl. Auctor uſus eſt, omnium partium explanationem nequeamus, quaedam tantum et praecipua viſa, adduxiſſe ſufficiat. Exhibitam ergo ſingularum partium in manato * menſuram excipit externarum recenſio.
p. 296. Cuticula craſſiſſima eſt, nigra, aliquando maculata, rugoſa, ſcabra, cortici quercus annoſae ſimilis, tubulis perpendicularibus perforata, humidis et mucum excernentibus, quae animal contra varias defendere poteſt iniurias. Cutis mollis et alba, firmiſſimae tamen ſtructurae huic ſubeſt. Caput paruum, breue, oblongum, magisque quadratum. Rictus paruus, labium utrumque geminatum. Ex labio ſuperiori externo et inferiori interno pili craſſi, ſetarum inſtar ſurgunt. Dentes utique abſunt, loco eorum maſſae obſeruantur candidae, durae, quarum una palato, altera maxillae inhaeret inferiori, ut reciprocis poris et papillis ſibi reſpondeant, nec conſueto aliis animalibus more iungantur. Hae maſſae tabula exhibentur decima quarta. Nares in ſummo capite poſitae ſunt,

* Nominat eum ARTEDVS in Ichthyolog. p. 79. *Trichechum* et deſcriptionem partium, ex hac nunc emendandam, proponit, cuius nomine etiam LINNAEVS Syſt. Nat. p. 39. ed. Lipſ. 1748. 8. utitur, ita ut *Trichecum* nominet.

ſunt, duplices, latae, patentes, intus rugoſae et piloſae. Oculi ad modum parui ex perforata rotundo foramine cute facti, inde nigri, bulbo liuido conſtantes, criſta, quae nictitantis membranae officio fungi poteſt, ſuper impoſita inſtructi. Minores adhuc aures ſunt, quae ſine externa aure foramine tantum minori patent. Lingua breuis, acuminata, et aſpera eſt. Collum a capite vix diſcernendum, mobile tamen ipſi datum eſt. Venter medius eminet ab umbilico ad anum, a mammis verſus collum contractior. Cauda leuiter quadrangula in fine anguſtior, craſſa pinna rigida terminatur, ex lamellis duris balaenarum coſtis ſimilibus, ſibique impoſitis formata. Pinna forcipara et leuiter ariſtata eſſe conſpicitur. In pedibus formandis peculiarem natura conditionem adhibuit, cum anteriores pedes * digitis voluerit carere, quorum loco extremitas eorum cute et cuticula, craſſis et ſiccis, ſic tegitur, ut amputatum membrum humanum, cute obductum, referant, inferior tamen eorum ſuperficies denſiſſimis obducitur ſetis. Mammarum pectoralium duae, in non lactantibus ad modum paruae, in lactantibus autem dulci et pingui lacte plenae; genitales tandem partes equinis haud multum ſunt abſimiles. Haec exterior offert contemplatio, interiorum partium disquiſitio omnium, ob varia, quae accedunt, incommoda in perluſtrandis tam grandibus animalibus, quorum legitimas adfert Cl. Auctor cauſſas et excuſationes, non plenam quidem anatomen, non negligenda tamen obſeruata continet. Lapides, ſic dicti, Manati in capite nulli ſunt, p. 309. ut

p. 306.

* Hos pedes pinnas pectorales nominat ARTEDVS, articulatis ex oſſibus compoſitas, cum vero ſcapulam, ulnam, radium, tarſum et metatarſum inuenerit Cl. STELLERVS, licet digitos, quorum mentionem facit idem ARTEDVS, non obſeruarit, eius nomine uti maluimus.

ut vero ſimillimum Cl. Auctori videatur, maſſam dentium eo ſignificari nomine. Cerebrum et cerebellum, non diſtincta viſcera, parua in cranio collocantur. Ventriculus e contrario, cuius medio oeſophagus inſeritur, eo maior eſt, ita quidem, ut etiam tunicae eius facile poſſint a ſe inuicem ſeparari, immo in ſubiecto, quod perſcrutatus eſt Noſter, ad oeſophagi inſertionem glandulam praegrandem deprehendit, multis perforatam poris, liquore acri, forte digeſtioni inſeruientem ex eo, quod argentum colore tingebat nigro, plenum. Inteſtinorum tractus, viginti vicibus animalis longitudinem ſuperans, ad modum diſtentus peritonaeo tegitur duplici, ex validiſſimis membranis confecto; pleura etiam ſimili modo ſe habet. Aſpera vero arteria ex ſpirali cartilagine conſtat. Cor neque cum mediaſtino neque cum pericardio cohaerebat, quippe quod ultimum ad modum ſpatioſum cor ambit, quod latum maius et craſſum quam longum ad apicem progrediendo, pro ventriculorum numero in duos apices abit, altero dextro, ſiniſtro altero. Reliqua ſtructura cum hominis corde conueniebat, niſi quod foramen ouale et canalem BOTALLI non detexit Cl. STELLERVS. Liberrimi etiam erant pulmones, utrinque unus, hepar lobatum, fuſcum intus et celluloſum, cyſtide fellea deſtitutum. Renes in lumbis ſiti, longi triginta duo pollices et octodecim lati exteriori membrana inuoluente remota, ut in phoca ſolet, conglomerati, quorum renunculorum quiuis ſingulari papilla et urethere inſtruebatur, omnibus in ſex uretheres maiores, tandem in unum confluentibus. Omittimus, quae de oſſibus refert Noſter, in moribus autem deſcribendis HERNANDEZ recte taxatur, eiusque obſeruationes emendantur, nec non CLVSII et RAII adnotata, ex quibus forte ſua etiam, ut addimus, depromſit ARTEDVS. Venationis porro methodum fuſe recenſet, victum, qui fucus eſt non quidem omnis, nunquam gramina,

et

et congrediendi modum. DAMPIERVS in itinerario optime eos descripsit. Homini autem in usum cedit pinguedo candida, diu durans, sine rancoris metu, sapore et odore grata, caro deinde cocta, ad vitulinam accedens. Infestantur tamen haec animalia insectis, quorum descriptionem ultimo loco addit STELLERVS. p. 327.

Vrsus marinus eadem pertractatur ratione, mensuram partium excipit formae externae descriptio. Amphibium hoc animal, urso terrestri maius, cui et capite quodam modo adsimilatur, posteriori sui corporis parte decrescit et gracile conicumque euadit. Os in capite eorum prominet, nares ouales sunt et patulae, labia tumida, barba setacea instructa, maxillae dentibus ornatae, quarum superior incisorum et caninorum viginti, inferior triginta et sex habet. Lingua aspera, apice bifida, oculi ampli, iris nigra, pupilla smaragdina, palpebris ciliisque vestiti, auriculae paruae et acutae obseruantur. Quadrupes autem est animal, pedibus pinnatis, digitis nimirum, membrana coniunctis, praeditum. Anteriores pedes integri conspiciuntur, quibus et natat et incedit, crassiores tamen sunt et robusti magis ac posteriores. Posteriores autem post anum adhaerent, breues tibia fibulaque in cute adhuc haerentibus, tarso et metatarso liberis, pilosi, digitis glabris, ut anteriorum pedum, membrana laciniata coniunctis. p. 331. Notari meretur unogues inhaerere digitis perbreues, quos nullius usus esse autumat Cl. Auctor, cum mediis laciniis digitorum insint. p. 338. Cauda conica est acuminata, pilosa, duos pollices tantum longa. Penis, fulcro osseo sustentatur, ut in lutra: Cutis crassa, pilosa, molli praeter ea lanugine rufescente tecta. Pili cum aetate et in sexu colore variant, rigidique esse obseruantur, quam ob rationem, ad vestimenta iuniorum tantum pelles expetuntur ab incolis. Internarum partium perscrutatio primo Cl. Auctorem ad adipis considerationem p. 341.

deduxit, qui copioſus cuti ſubeſt, in ſenibus nauſeoſum prae ſe fert, uti caro, ſaporem, in tenerioribus infantulis gratus et delicatus. Caput cerebri multum continet, pharynx amplus et rugoſus exiſtit, ſplen unum et ſemiſſem pollicem latitudine, unum vero et ſemiſſem pedem longitudine complet. Inteſtina quindecies animali longiora ſine rugis et valuulis, pene collapſa deprehendebantur. Peritonaeum firmum et omentum tenue ad modum comparebat, pancreas pedem longum, meſenterium pingue, pancreas ASELLII glandulasque plures habebat. Diaphragma totum fere muſculoſum erat, pulmo ſexfidus cor ambibat, aſpera vero eius arteria ad modum capax, ex integris cartilagineis annulis componebatur. Cor latum magis ac longum, a latere comprimitur, foramine ouali adhuc adaperto. Hepar in ſex lobos diuidebatur, uno quoque iterum varie ſubdiuiſo: laciniatum autem eiusmodi hepar profundis etiam ſulcis dirimitur et colore flauo buxeo inſignitur. Renes deinde, praeter conſuetam aliis marinis animalibus normam, humanorum more integri ſunt, niſi in ca-
p. 346. tulis, in quibus utique diuiduntur. Totius animalis deſcriptionem DAMPIERVS etiam exhibuit, non tamen ſufficientem, ut Cl. Auctor inde ad notanda ea, quae neceſſaria ſunt ſcitu ipſique innotuerunt, fuerit incitatus. Migrationem verno tempore inſtituunt, autumno reuerſura, cauſſa eſt, ut iunio menſe, in inſulam forte, certe in continentem ſe recipientia, parere, et nutrire foetum poſſint. Mammis autem inſtruuntur duabus abdominalibus, catulum plerumque ponentes unum. Fuſius deinde pertractat STELLERVS viuendi eorum in familiis rationem, marium ferociam, polygamiam, bella et duella, quae uxorum, loci alterius occupati, vel ad aequitatem conſeruandam oppreſſisque ſuccurrendi cauſa aguntur, coeundi morem, vocem; porro in natando celeritatem, et venationem. Marem in ſaxo ſedentem, foemellamque dorſo

dorso incumbentem, in duplici figura tabula decima quinta proponit.

Leo marinus cum urso quoad conformationis ex- p. 360.
ternae aeque ac internae rationem sic conspirat, ut densius tantum, ad collum positi pili in maribus leoni terrestri eum similem magis reddant. Colorum enim in pilis diuersitas, et magnitudo, eam ursi superans, generis certe conuenientiam non inuerteret. Ferocia quidem sunt animalia, hominem tamen extimescunt, nec nisi in angustias redacta, eum laedunt quod autem tum magna fieri solet cum saeuitia. Hinc insidiose capere eadem coguntur animalia, quippe quae appetuntur, quod eorum caro cum adipe dulcis est; cutis autem ad soleas calceandas adhibetur. Sunt polygami hi leones, tandem autem hominum adsuefiunt consortio, migrationes ut ursi instituunt, et piscibus aliisque marinis bestiis victitant.

Lutra tandem a Cl. Auctore proponitur, eam ve- p. 367.
ro, quae in Kamtschaticis terris occurrit, eandem ac Brasilienſem, a MARCGRAVIO dictam, esse, collata eius descriptio docuit, ex qua etiam probatur, hanc lutram non esse castorem. Est autem haec lutra marina seu vulgari longe maior crassiorque, capitis forma cum illa conuenit, nares atrae sunt, prominentes, maxilla superior inferiorem longitudine superat, labiaque tument. Horum superius mystace instruitur, rictus paruus, oculi naso altiores, varii coloris in diuersis subiectis, auriculae erectae, pilosae. Dentes utriusque maxillae triginta duo vel quatuor numerantur, lingua in apice libera est, ad foramen coecum ductu saliuali VATERI instructum. Pedibus potissimum p. 372.
a reliquis lutris differunt; anteriores enim aeque ac posteriores toti ex cute exseruntur, illi his breuiores sunt, digitati et unguiculati, digitis etiam gradatim breuioribus, membrana vero, hosce connectens, pilosa, crassa et contracta est, posteriores praeter ea, ano propiores, longiores etiam digitos obtinent. Penem

maſculus gerit oſſeum, in vagina reconditum, cauda lutrae vulgaris ſimilis, ſed breuior eſt. Cutis corpus eorum cingit craſſa ad modum, piloſa, ſed pilis mollibus inſtructa, quorum color etiam diuerſus eſt. Nec huius animalis anatomen neglexit Cl. STELLERVS, quae panniculum carnoſum, per totum corpus extenſum, ventriculum rugoſum, pancreas et hepar magnum, hoc etiam in ſex lobos diuiſum, renes in centum et ſex renunculos diuiſos, penem anterius oſſeum et poſterius ſpongioſum, ubera, abdomini inhaerentia, duo, quae lac candidiſſimum, dulce, conſiſtens, ſecernunt, inteſtina decies animali longiora, ſolerti indagatori monſtrauit, qui etiam in foetuuiuo, ex matre exſecto, obſeruauit ſequentia. Glandulam nimirum thymum grandem, paulum concauam, ex multis lobis conflatam, membrana circum veſtitam, ex qua flatu diſtenta ad laryngis cauitatem ſpumoſus dimittebatur humor: pulmonem collapſum et obſcuri coloris, canalem cordis arterioſum variaque, quae cum aetate plerumque mutationem ſubeunt. Tot interim ob-
p. 381. ſeruationes panniculum carnoſum, quod cum muſculorum membrana non ubique committitur, ab ea diſtinguendum eſſe in animalibus, certiores Noſtrum fecere, aliquam etiam inter marina et terreſtria conuenientiam manifeſtarunt. Ad lutram reuerſus, pellis pulchritudinem laudat, pretio hinc magno habetur et variis venationis generibus, inſidioſa capitur beſtia, quorum amplam ſatis hic expoſitam legimus
p. 392. recenſionem. Viuit autem animal in oceano aeque ac continente, gammaris, mytulis, cochleis aliisque eius modi animalibus veſcitur, nec non piſcibus carnibusue, curſor eſt eximius, in ſitu corporis, tum iacendo, tum ſedendo tum natando varietatem amat, unum catulum parit, unaque uxore maritus contentus viuit, oculorum acies in terra imminuta eſt, narium vero praeſtantia maior. Caro eſui humano inſeruit, catulorum ut delicatior, Cl. Auctorem a ſcor-

buto

buto liberauit, qua etiam harum regionum incolae cruda utuntur, osseum autem penis fulcrum raspatum contra tertianam adhibent febrim. Pellis vario modo praeparata in vestimentum cedit. Tabula decima sexta lutram in terra incedentem et natantem aliam cum catulo refert. Quam exacte vero Cl. Auctor ea, quae non sine multis obseruari poterant molestiis, adnotauerit, nemini nunc poterit esse obscurum.

XVII.

Obseruationes de aere et morbis epidemicis ab anno MDCCXXVIII. ad finem anni MDCCXXXVII, Plymuthi factae. His accedit opusculum de morbo colico Damnoniensi. Auctore IOANNE HVXHAM, M. D. R. S. S. Editio secunda. Londini impensis Ioannis Hinton, et ex officina Henrici Whitfeld, Plymuthi. 1752. 8. mai. pl. 16. Volumen alterum ab anni nimirum initio MDCCXXXVIII. ad exitum usque MDCCXLVIII. ib. 1752. 8. mai. pl. 14.

Aeris inter variam constitutionem atque morbos reliquis frequentiores perpetuum obseruari nexum, illamque deprauatam horum fere omnium vix non semper esse caussam, fatentur ii omnes, qui artem salutarem cum debita attentione atque iudicio exercent, ita, ut iam olim quoque HIPPOCRATES in suis de morbis popularibus libris eam aeris rationem descripserit, quae ab ipso enarratos morbos antecesserat. Summi huius viri exemplo, ipsiusque rei utilitate, permoti, multi post eum medici idem tentarunt, inter quos, eosque in primis, qui cum laude illud praestiterunt, prae aliis referri meretur Cl. modo nominati libri Auctor, quippe qui iam anno huius saeculi triceſimo nono obseruationes illas, quarum alteram iam iam simul indicauimus editionem, publici

iuris atque uſus fecerat. Maior inde vero nunc prouenire poteſt utilitas, quod hiſtoria haec meteorologica per viginti annorum ſpatium ſingulari ſane ſtudio atque induſtria ab eo continuata ſit, ideoque largiorem firmis inde eruendis ratiociniis ſuppeditet materiem. Cum eius modi quoque iam per magnam orbis noſtri terrarum partem inſtituantur obſeruationes, ſpes omnino creſcit, ex iis accurate et per longum tempus, in multis regionibus, ſine intermiſſione et ſimul factis atque inter ſe collatis, generalem tandem atmoſphaerae hiſtoriam, eaque, qualem in praeſenti habemus, perfectiorem ideoque vere utilem confici poſſe. Interim ex hiſce ſpecialibus meteorologicis annotationibus illud tamen cum maiore certitudine intelligitur, quod effectus aeris variarumque eius conſtiturionum in omnibus locis atque regionibus ſibi ſint ſimiles, humidus v. c. tepidusque aer fibras corporis ſolidas laxet, vimque earum frangat; fluidas autem partes ſoluat, easue inertes et pituitoſas, ipſumque igitur corpus morbis putridis, febribus lentis, aut intermittentibus ſolita peioris indolis, obnoxium reddat. Prius Cl. noſtri Auctoris obſeruationum volumen in plurimorum manibus eſſe lectorum noſtrorum confidimus, quam ob cauſſam de eo iam dicere nolumus. De altero itaque nunc locuturi ſumus. Eandem, qua in illo uſus fuerat, methodum in hoc etiam retinuit. Talis ea nobis eſſe videtur, qualem omnes medicos, meteorologicas obſeruationes collecturos, pro norma ſibi ponere poſſe atque debere putamus. Per ſingulos nimirum dictorum omnium annorum menſes varium coeli ſtatum variamque ventorum rationem et variam inde ortam atmoſphaerae conſtitutionem, dies, quibus pluuiae deciderant, harumque accurate menſam copiam, maximam, minimam, et quae inter utramque media eſt, mercurii in barometris obſeruatam altitudinem, dies, quoad frigidam vel calidam tempeſtatem reliquis inſignio-

ſigniores, ſedulo annotauit, poſt eaque morbos per ſingulos menſes non epidemice ſolum graſſantes, ſed ſparſim quoque intercurrentes expoſuit, eorumque hiſtoriis utiliſſimas, quas collegerat, multis in locis adiunxit obſeruationes. In his ultimis quoque decem annis illos dies ſimul adiecit, in quibus luna ſic dicta noua atque plena apparuit. Ipſas meteorologicas obſeruationes, in uno quippe tantum loco animaduerſas, ideoque in eo in primis quoque utiles, fruſtra iam hic loci transſcriberemus, ex illis vero, quas de morbis, cum vario atmoſphaerae ſtatu connexis, habet Cl. Auctor, quasdam dabimus reliquis notatu digniores. Caueant iuniores medici, ne omnem p. 3. tabem pulmonariam ab ulcere pulmonum ſemper prouenire credant. Aer, qui ſub initium menſis februarii humidiſſimus erat, paulo poſt vero valde gelidus factus multos reddebat phthiſicos, quibus febris, quae ſub exitum praecidentis anni ſaeuierat, catarrhalis male fuerat iudicata. Glandulis enim et ductibus aſperae arteriae nimium relaxatis, magna pituitae ſalſae, vel non nunquam plane inſipidae, cui nullus ineſt foetor, copia per tuſſim reiicitur, randemque moriuntur aegri, ac ſi veram ſaniem exſpuiſſent. Simili ratione tabeſcere videntur illi, qui diabete aut diarrhoea diu laborant, multumque vitalis laticis absque ulcere praeſenti perdunt. Pueruli, e. g. pertinace alui fluxu enecati, corpus diſſecans Cl. Auctor, inteſtina inuenit peralba, tenuiſſima, et arte quaſi deterſa, nihil autem ulceris. Quem ad modum vero aer nimis humidus valde laxat, ita quoque pulmonum illud malum vel ex leuiſſimo frigore exacerbatur: cute nimirum conſtricta, perſpirabilis iſta materies retenta itruit ſaepe in pulmones, uti in aliis ſubiectis ad nares conuerti ſolet. Exulent in hac tuſſi emollientia, quae in illa ſicca, ab obſtructis pulmonum glandulis orta magis eſſe ſolent proficua, ſi nimirum aliqua ipſis admiſceantur incidentia; talia potius propinen-

tur remedia, quae ſudorem blande mouent, interpoſitis aliis, quae aluum leniter ducunt, atque anodynis, ſi tenuis atque irritans ſit illuuies; regioni inſuper, inter ſcapulas ſitae, applicatis epiſpaſticis. Valere quoque dicuntur contra hanc tuſſim humidam ſuffitus deſiccantes, in primis vero decoctum corticis peruuiani cum ligno guaiaco et ſtyrace. Glandulas
p. 4. pulmonum duras admodum quin et lapideas fieri poſſe, teſtatur exemplum tabidi iuuenis, qui lapillos tam aſperos extuſſiebat, ut vulnerarent tracheam, ſputumque ſanguinis haud leue excitarent. In pleu-
p. 7. ritide, peripneumonia, ſimilibusque pulmonum morbis, menſe martio ſaeuientibus, magnae, urentes, puſtulae interdum acerrimum fundentes ichorem circa pectus, ſcapulas, ceruicem, quinto aut ſeptimo ſaepius die prorumpentes, leuarunt aegros, medicoque medendi viam monſtrarunt. In pueris morbillo-
p. 16. rum morbum ſaepiſſime inſecuta eſt peripneumonia a nimis poſt eum cito carnium atque piſcium eſu. Stridula atque clangoſa vox illius inflammationis, quae muſculos arytaenoideos ac aſperae arteriae ſuperiores partes occupat, ſignum praebet diagnoſticum, quo in caſu, niſi pulmones adhuc inflammati ſint, bronchotomia opportuna eſt atque neceſſaria; quam operationem nec difficilem, neque cum periculo coniunctam eſſe, vulnere nimirum facilem curationem recipien-
p. 20. te, experientia docuit. Fortes et frequentes gargariſationes ſine metu, ut dolores atque inflammatio increſcant, adhiberi non debent in angina inflammatoria; in ſalſa tamen atque pituitoſa deſtillatione tales proſunt, in illa vero vapores atque gargarismata ex
p. 23. aqua, lacte, ficubus et nitro commendantur. Pueri, quibus imminebant morbilli aut variolae, et qui grauiter atque diu de artuum laſſitudine atque dolore querebantur, grauem dein quoque morbum experti
p. 33. ſunt. In variolis epidemicis aliquando mox primis morbi diebus acceſſit valde copioſa, tenuis et acris ſaliuatio,

liuatio, cum frequenti ſternutatione et enormi narium et oculorum fluxione, quae ſuſpecta ſemper fuit et inter mala ſigna referenda. Epiſpaſtica ſummos inter humeros et pone aures quam tempeſtiue applicata, funeſtis eius euentibus occurrerunt. Notari meretur, quod menſe iunio anni huius ſaeculi quadrageſimi ſicciſſima fuerit aeris tempeſtas, et talis etiam ab hygroſcopiis denotata; tota nihilo tamen minus atmoſphaera craſſa valde et fumoſa apparuerit. An id forte, uti Cl. Auctor coniicit, a ſufficientis, ad regularem luminis transmiſſionem, in atmoſphaera humoris defectu? cum reperiantur corpora, quae arida prorſus opaca, humectata vero pellucida ſunt. p. 42.

Eodem etiam tempore febris nautica peſtilentialis ſaeuiit Plymuthi, et magnam ſtragem fecit, a nauibus duabus, quibus cum Africis oris fuerat commercium, apportata, cuius prolixam, lectuque digniſſimam Cl. Auctor hiſtoriam exponit. Ordiebatur illa ſcenam leui rigore, ardore mox inſequente, pulſu admodum inconſtante, capitis oculorumque doloribus, foedo oris ſapore, vomitu frequente, ſingultu, et permagna praecordiorum oppreſſione. Aegri paulo poſt viribus fracti, anxii et quaſi perterrefacti, de vagis omnium membrorum doloribus querebantur, et urinam mittebant tenuem, crudam, ſaepe rutilam. Poſt tres deinde dies accedere ſolebant phrenitis, aut coma vigil, anxietas quam maxime aucta, atque ſextum inter et undecimum diem ut plurimum petechiae violaceae, liuidae, fuſcae quin et nigrae. Peſſimum, ſignum dabant vibices, et ungues atque ſummi digiti liuidi, ſanguinis in extremis arteriis ſtagnantis indicia. Hoc ultimum quoque ſignum in reliquis morbis acutis funeſtum eſſe obſeruauit Cl. Auctor, hinc unguium colorem, num viuidus adhuc ſit, diligenter inſpicere iubet medicos. Iis ſe iungebant ſymptomatibus modo diarrhoea, ſaepius dyſenteria cum aphthis, modo parotides inflammatae. Leuamen attulerunt leuis p. 44.

circa

circa undecimum diem ſponte ortus vel arte excitatus alui fluxus, aut larga puſtularum eruptio, aut non paucum ſanguinis per nares profluuium, aut denique liberum et copioſum ſputum cum benigno ſudore, aut fulua et craſſa affatim fluente urina. Carnium et in primis piſcium eſus nocuit; ubi in tranſitu monet Cl. Auctor, ſudorem hominis vel ſaniſſimi, qui multo piſce utatur, longe foetidiorem eſſe, ac ſi carne et pane tantum veſceretur. Sanguinis miſſione, vomitu excitato, enematibus iniectis, aut, ſi indicabantur, remediis leniter aluum ducentibus, et praeſertim febris atque virium per totum morbi decurſum habita ratione, omnis morbi curatio, quantum quidem fieri potuit, abſoluta fuit. Poſt frigidam ſa-
p. 117. tis diu durantem tempeſtatem menſe aprili vehemens paraphrenitis ſolito fuit frequentior, quo in morbo magis ac ullo alio umquam denſus et glutinoſus ſanguis ex vena multoties ſecta ſemper effluxit, ita, ut in quodam tali aegro, intra quatriduum ſex vicibus centum fere illius unciae detractae, hanc indolem adeo tenacem perpetuo ſeruarent, ut craſſamentum iſtud corio ſimile ſcalpello vix diſſecari poſſet. In epide-
p. 122. micis variolis paruis, atris, ſeſſilibus atque gangraenoſis, alexipharmaca ſubauſtera, tinctura corticis peruuiani cum elixirio aut ſpiritu vitrioli, immo non numquam, ſi febris id permittat, praeſertim ſub eius deceſſu, vinum rubrum gallicum acidis adiectum, cum liberali potu atque acidulo, ſi qua medicina umquam prodeſſe queat, haec certe commendantur. In vena,
p. 143. peripneumonicis aegris ſecanda, cautus omnino ſit medicus. Si valde enim grauis aegrum vexat pectoris oppreſſio et graue quoddam praecordiorum pondus, licet dolor leuis ſit atque obtuſus; ſi pulſus admodum celer, exilis et contractus, aut mollis, inaequalis et vacillans eſt; ſpiritus autem laborioſe et cum ſuſpirio potius, quam anhelatione ducitur; urinaque tenuis, cruda mittitur, et ſudores erumpunt profuſi, inaequales, frigiduli: caute et perparce mittatur

ſan-

ſanguis, nec repetatur eius miſſio, ſi frigefactus cruor ſolutus apparet parum cohaerens, uti ſaepe obſeruare licet; immenſa enim, quae adeſt, pectoris grauitas, ſpirandi difficultas, effera tuſis, pulmonumque ſtrepitus, haud leuatur; ſed debilitas augetur, ſputoque ſuppreſſo, poſt reliqua funeſta ſymptomata frequenter inopinata mors ſequitur. Prudentis igitur medici eſt, in caſu dubio, ſi quoque mittat ſanguinem, parcam eius ſaltem copiam emittere. In pleuroperipneumonicis contra, iis ſignis, quae ſanguinis miſſionem indicant, ut plurimum aperte praeſentibus, large iterumque, ſi dolor atque ſpirandi difficultas urgent, praeſertim ſi ei, iam extracto, inflammatoria inhaeret cruſta, ſanguis debet mitti. Peripneumonici, qui vel nihil aut difficulter, vel cruda et tenuia, vel p. 153.
ſanioſa et valde olida exſpuunt, in periculo verſantur; ab initio enim morbi vel delirare, vel alui fluxu, qui vires exhaurit, corripi ſolent; ſputi tum ſequitur ſuppreſſio, euentu ſemper funeſto; urina vero turbida, copioſa, cum ſedimento, ſpem facit. Sub initium menſis ianuarii tempeſtas fuerat gelidiſſima, p. 166.
paulo vero poſt quam maxime humida. Tuſſis inde, prae reliquis morbis catarrhalibus ſatis quoque frequentibus, conuulſiua in primis pueros afflixit pluresque necauit. Sanguinem ii ſaepe exſpuerunt, interdumque febris acceſſit; haud pauci vero exinde in rhachitidem inciderunt. Fugari haec tuſſis non potuit, niſi ſanguine miſſo, id quod aliquando bis terue immo in bimulis trimulisue, fieri debuit. Accurata diaera, blanda primarum viarum purgatio, gummi ammoniacum cum expreſſis millepedibus, corticis peruuiani decoctum cum tuſſilagine et balſamo tolutano, et unum alterumque applicatum veſicatorium, profuerunt. Poſt frigus diu durans multos, in primis, quorum caput largum, corpus quadratum, et collum p. 169.
breue eſſe ſolent, apoplexiae obnoxios eſſe, experientia confirmauit. Num a ſanguine nimis denſo facto? an ab imminuta perſpiratione, relictis craſſioribus? an

de-

denique ab atmoſphaerae pondere corpusnimis premente, hincque ſanguine fortius ad cerebrum appulſo? Qui morbum hunc timere debent, parce tum viuant, leniterque ſe purgari patiantur. Sunt inter medicos, qui omnes febres aut venae ſectione, aut ſudore excitato, tollere velint: multis autem in locis contra eos annotat Cl. Auctor, quo cum ſucceſſu lenioribus remediis purgatae fuerint primae viae, aut aluus quoque ſponte fluxerit, ſi ſaburra humorum peccantium iis inhaeſerit; aloeticis autem tum prorſus omis-
p. 172. ſis. In febribus praeſertim lentis putridis, vel potius bilioſis aut meſentericis dicendis, ubi foetidus oris ſapor, nauſea, ructus, vomitio, abdomen tumidum, ſimiliaque ſymptomata apparent, aeris bilioſaque colluuies aut per vomitum aut per aluum recte
p. 126. expurgatur. Sanguinis autem miſſio, niſi plethora adſit aut inflammatio urgeat, omitti debet. Febres enim auctumnales, quales illae bilioſae ut plurimum eſſe ſolent, lenem magis catharſin, vernales vero ſanguinis detractionem frequentius, poſcunt. Sufficiant vero, quae adduximus. Vel nobis iam haud monentibus, ſatis inter omnes conſtat, quam doctus, prudens atque felix medicus ſit Cl. Auctor, cui longiorem adhuc vitam ex animo apprecamur.

XVIII.

Trattato di Medicina preſervativa diviſo in ſette parti in cui brevemente ſi ragiona delle ſei coſe da' Medici dette non naturali et s' inſegna parimente la maniera di conſervare la ſanita e prolungare la vita. Scritto da CARLO GIANELLA Medico Filoſofo, in Verona nella ſtamperia veſcovile del ſeminario 1751. 4. Alph. 1. pl. 15.

hoc eſt

Tractatus de medicina praeſeruatrice etc.

Hunc tractatum de medicina praeſeruatrice Cl. Auctor in ſeptem partes diuidit et in ſex prioribus res

res, non naturales a medicis dictas, disquirit, in septima vero regulas de conseruanda sanitate et longaeuitate acquirenda breuissimis tradit.

In *partis primae capite primo* sanitatis idea euoluitur eaque dispositio bona et perfecta totius corporis appellatur, per quam omnia instrumenta actiones naturales, animales et vitales exequuntur. Definitio, per quam non nulli auctores sanitatem in aequilibrio solidorum et fluidorum positam esse dicunt, ideo Cl. Auctori displicet, quod in aequilibrio nullus motus nullaque actio possibilis sit, inde ille in proportionato praedominio solidorum et fluidorum eorumque genuina relatione, actionum perficiendarum rationem ponit: qui igitur res, quibus hae operationes perficiuntur, bene applicare nouit, ille sanitatis custodiam suscipere valet. Hoc in *secundo capite* breuissimis verbis indicatur, et in *tertio* aeris consideratio traditur. Quo modo itaque aer in corpus nostrum transeat, disquiritur et non tantum per alimenta et per viam dubiam vesicularum pulmonalium ad sanguinem peruenire illum posse affirmatur, sed porro quoque per pulmones inuestientem membranam ad thoracis cauum, nec non per subtilissimos neruorum apices ad cerebrum eum deduci posse asseritur. Dum porro particulae, quibus aer scatet, considerantur, variarum narrationum mentio iniicitur, quibus insignis magnitudinis lapides e coelo delapsi traduntur, asseriturque nos cum nausea respirationem exercituros esse, si sciremus, quales particulae in aere nostro continentur. *Capite quarto* de affectionibus aeris, grauitate, elasticitate, calore et frigore, nec non de siccitate et humiditate in genere differitur, et *quinto* vis aeris, corpus externe ambientis, diiudicatur, ita, ut praeter uniuersalem corpus penetrandi rationem, in pulmonibus circulum sanguinis, in habitu corporis perspirationem cutaneam per eandem moderari posse ostendatur, illudque qua ratione in calido et frigi-

p. 4.

p. 8.

p. 10.

p. 18.

do,

do, ſicco et humido aere eueniat longius exponatur,
p. 22. qua occaſione etiam homines magis in aere frigidiuſculo quam calido viuere poſſe affirmatur; calidarum enim regionum incolas magis effoeminatos, timidos et minus faecundos eſſe, vitamque breuiorem viuere, cum e contrario incolae frigidarum regionum fortes, animoſi, foecundi et longaeui deprehendantur. Por-
p. 27. ro autumnali tempore magis, quam vernali ſanguinem venae ſectione ſubducere ſuadetur; vere enim aucta perſpiratio copiam humorum diſſipat, dum vero illa autumno imminuitur, humores intra corpus retinentur et augentur. Perſpiratione vero ita imminuta vel cibos leuiores ſumere, vel eos, qui appetitui indulgent, qualibet ſeptimana pilulis francofurtenſibus uti, vel rhabarbarum maſticare iubet Cl. Auctor. Qua occaſione monemus, eundem paſſim ex pharmaceutico fonte remedia ſanitatem praeſeruantia petere, quae tamen pro inſtituti ratione ſubiectis et morbo non ſatis accommodari poſſunt. *Capite ſexto* de
p. 34. ventis agitur et quo modo loca inhabitata et domicilia diſponi et a ventis minus ſalubribus defendi debeant, disquiritur. De ventis in genere pronunciatur, aquilonem ſiccare, auſtrum humiditatem afferre, orientalem calidum, occidentalem vero frigidum eſſe, quod quidem aſſertum ad varias Italiae prouincias neutiquam vero ad alias regiones extendi poterit.
p. 43. In *parte ſecunda* cibi et potus ratio exponitur, et *caput primum* de lacte matris et nutricis, primo recens natorum alimento, agit; variis itaque argumentis comprobatur, matres ipſas infantibus mammas praebere debere, ſi vero nutrix in matris locum ſubſtituenda ſit, tunc ſimilem aetate et conſtitutione corporis eligendam eſſe. Oues, a capris nutritas, duriores, et capras, ouium lac ſugentes, molliores pelles obtinere experientia declarauit, hinc nutrimentum diuerſum corpoream indolem mutare poſſe iure
p. 46. quodam aſſumitur. In *capite ſecundo* nutrimentum

et

& incrementum corporum physiologice consideratur, et dum liquori gastrico vis digerendi cibos tribuitur, ad struthionem, qui ferrum, et alia animalia, quae corpora duriora digerunt, prouocatur, propria tamen experientia cognouimus, lapillos aliaque corpora dura in ventriculis volatilium nec digeri nec solvi, sed tantum atteri. Cum corpus nostrum ex p. 48. diuersis partibus compositum sit, ratio nutritionis in eo ponitur, quod ex animalibus et vegetabilibus nutrimentum capiant homines, ideoque ex prioribus ossa, cartilagines, musculos, iam tales partes continere, quae similibus in humano corpore apponi queant, quod assertum certe non concedi potest, cum ex subtilissimo lymphatico succo, albumini ovorum simillimo, particulas omnium partium nutrientes seligi certissima res sit, nec Cl. Auctor, quo modo ex fibris et vasis vegetabilium nutritio animalium perficiatur, ullo modo declarare possit. *Capite tertio* p. 52. quantitas cibi disquiritur, et licet sobria vita moderatusque victus praecipuam laudem mereatur, tamen et sunt, qui copiosiore cibo indigent, illi nimirum, qui corpus exercent et juvenes sunt, quilibet autem quid ferre et apte digerere queat, propria experientia definiat. In *Capite quarto* qualitates ciborum exa- p. 57. minantur, sanos appetitui indulgere posse asseritur, cum ille optima seligat, quod in sobriis quidem, minime vero in gulosis, concedimus; consuetudo enim diuersos cibos ingerendi, varietatem ciborum, dummodo in uno prandio non peccetur, admittit, monemus vero et illam appetitum saepius immoderatum reddere. Et animalis et vegetabilis victus praestantia a variis laudatur, utrumque tamen assumendum apteque remiscendum esse variis argumentis confirmatur. Breuiter post ea examen carnium, olerum et fructuum horaeorum suscipitur, et post considerata condimenta de lacte et pane paucis agitur. *Capite* p. 74. *quinto* regulae generales circa potum proponuntur,

et vinum, aqua, variaque potus calidi genera, in tribus ſequentibus capitibus deſcribuntur. Vini potus
p. 78. laxitatem corrigit, fibris vigorem et robur conciliat, calorem naturalem auget, ventriculum roborat et ſpiritus nerueos excitat. Ii igitur, qui frigidi temperamenti ſunt, humoribus crudis et viſcidis abundant, vitam otioſam gerunt, loca frigida inhabitant, hyemali in primis tempore vino quam maxime reficiuntur. Infantibus tamen non concedatur, cum vaſa ſanguifera, teſte HIPPOCRATE, conſtringat, vel potius, ut nobis videtur, in vaſa lactea et lymphatica contentosque humores conſtringendo et coagulan-
p. 83. do agat. Vina vetuſta magis medicata ſunt, amaritiem ingratam, guſtui aduerſam, acquirunt, et nutrientem indolem, vinis iunioribus propriam, prorſus amittunt. Recentia vina humidis, frigidis et ſenibus conveniunt, et teſte CORNARO, nobili veneto, languores non melius quam vino recenti diſſipari poſſunt; is enim per aeſtatem languidus factus, auguſto tandem menſe, cum iuniora vina biberet, novas vires et iuuenilem vigorem iterum acquiſiuit; illis enim humores lenteſcentes denuo mouentur et motus fermentationis quaſi excitantur. Vinum recens magis quam vetuſtum diureticum eſſe experientia docuit. Plurima vero ex iis, quae de vino aſſeruntur, de Italiae aliarumque calidarum regionum vinis, minime vero de noſtris germanicis
p. 87. aſſeri poſſe credimus. Iuvenibus, ſanguineis et biliosis aquae potus praecipue convenit; calorem enim ſanguinis temperat, et ii, qui ſanguine, terreſtribus et ſalinis particulis ſcatente, abundant, aquae potus nutritionem ante deficientem reſtituit, quamuis ipſa aqua parum nutrimenti addere queat. Aquae levitas, licet difficile cognoſcenda ſit, optimum tamen ſignum bonitatis eſt; aqua, quae aereo principio ſcatet, et in fontibus aeſtate frigida hyeme calida deprehenditur, maxime laudatur, et licet aquae minerales curationibus

tionibus morborum accommodari poſſint, uſui tamen quotidiano non conueniunt. Aquae fontanae, in ciſternis collectae, fluviatilis et putalis differentiae poſt ea ſigillatim pertractantur, et teſtimonia auctorum, uti alibi ſaepius, ſic et hic copioſe inſpergunt. Aqua pura non coquenda eſt; ſubtiliſſimas enim partes amittit, aqua impura vero non nunquam coctura corrigitur. p. 93. Choccolatae potus, cui confortans et ſpiritus excitans vis adſcribitur, a non nullis bilioſis interdicitur, Cl. Auctor tamen eundem tunc concedendum eſſe putat, ſi hauſtus aquae frigidiuſculae ſuperbibatur. p. 105. Arborem coffe, in noſtras terras deductam, fructus imperfectos et nociuos proferre aſſerit Noſter, ſed nos experientiam contradicentem inuenimus, licet cultura eius in noſtris hybernaculis pretioſior omnino ſit. p. 107. Semina coffe in vaſis ferreis torrenda non ſunt, quoniam et ferrum olei partem attrahit, et particulae martiales a ſeminibus ſuſcipiuntur, inde in vaſis terreis, cruſta vitrea inductis, toſtio melius perficitur. Potus coffe bonitas ex ſeminibus ſelectis optimeque praeparatis diiudicatur, huic plurimae virtutes adſcribuntur, ex quibus et illa eſt, quod vertigines tollat, praecipue, quando a fuliginoſis et craſſis particulis, ex ventriculo ad maſſam fluidorum et inde ad cavitates capitis deductis, dependent, quibus fibrae nerui optici irritantur et motus irregulares et tremuli excitantur, nos ex vi antiſpaſmodica et carminatiua phaenomenon hoc melius explicari poſſe credimus. p. 110. Potus hic humidis et pinguibus hominibus convenit, minime vero macilentis bilioſis et melancholicis. Infuſum theae ſaepius ab aqua calida magis, quam a virtute plantae, ſuas recipit virtutes, nec uni herbae, ſcilicet theae ſinenſium, tam variae virtutes adſcribendae, infuſa potius variarum plantarum, pro ratione diverſorum morborum, ex plantis patriis exhibendae ſunt. p. 112.

p. 116. In *parte tertia* de ſomno et vigilia agitur, et *caput primum* theoriam harum corporis mutationum explicat, in *ſecundo* vero neceſſitas dormiendi et vigilandi declaratur. Somni cauſa in extenſione arteriarum cerebri et compreſſione tubulorum nerueorum ponitur, quae iterum ab aliis cauſis, v. c. chylo poſt paſtum accedente et potu ſpirituoſo, dependet. Ipſum vero fluidi neruei defectum ſomnum inducere poſſe, Cl. Auctor cum aliis quoque aſſumit, qua occaſione fluidum nerueum, materiae electricae ſimilli-
p. 123. mum eſſe, dicit. *Capite tertio* de rebus vigiliam producentibus et ſomnum conciliantibus agitur et inter alia de opio diſſeritur, cui partes oleoſae et ſulphureae adſcribuntur, quae in corpore et ſpeciatim in ſanguine reſoluuntur, ad cerebrum tendunt, et eius poroſam ſubſtantiam obſtruunt, quo ſpiritus non libere fluere queant, ſulphureae partes noſtri ſanguinis huc proxime accedunt, et utraeque a ſale volatili corporis noſtri facile reſolvuntur. Eſt itaque conuenientia operationis opii, et vini, quam et nos, in
p. 129. effectibus potiſſimum, obſeruauimus. In *capite quarto* diſquiritur, an operationes vitales et naturales in ſomno magis vegetae ſint nec ne? et *capite quinto* oſtenditur, in ſomno quosdam motus corporis noſtri continuari, alios vero non. Quae cuncta ex contrariis ſaepius auctorum ſententiis recenſentur magis quam conficiuntur, & in primis de perenni actionum vitalium duratione longius diſputatur. *Capite ſexto* de differentiis ſomni, inſomniis et ſomnambulis fuſius diſſeritur, quae cuncta, cum ad praeſens inſtitutum non pertineant, et parum noui propo-
p. 156. nant, lubenter omittimus. *Capite ſeptimo* tandem de ſomno naturali, de eius tempore et duratione nec non de ſitu in ſomno breuiſſimis agitur. Aſſerto Cl. Auctoris, quod nimirum bilioſis et calidis ideo conueniat ante ſomnum cibum capere, quod poſt largam coenam iis tranquillior ſomnus ſit, vix ſubſcribere

ſcribere poſſumus; non enim apparet, quo modo nouus chylus bilis acrimoniam, quae ſomnum perturbat, temperare poſſit.

Pars quarta de motu et quiete agit, et *caput primum* quaeſtionem mouet, an exercitium corporis utile ſit? quae quidem ſuperflua videri poſſet, niſi cognoſceremus, exercitium corporis fibras indurare citamque ſenectutem inducere; quod ſi igitur quis parcius cibum ſumeret, exercitio corporis non adeo opus haberet, ſed quiete vitam longaevam reddere poſſet, cum vero a plurimis hominibus copioſior cibus aſſumatur, isque motu corporis diſſipari debeat, neceſſitas exercitii corporis exinde declaratur. Non tamen negandum eſt, in re publica tales etiam homines requiri, qui laboribus ſuſceptis publicam utilitatem augent. p. 160. *Caput ſecundum* de gymnaſtica agit et varia corporis exercitia hiſtorice deſcribit, p. 166. *caput tertium* vero de exercitiis, ſingulis aetatibus hominum conuenientibus, diſſerit, regulasque diaereticas, motum ſpectantes, ex variis auctoribus ſelectas proponit, in quibus omnibus tamen ad temperamentum, ſexum et conſuetudines hominum, nec non ad tempus, locum, variosque exercitiorum modos reſpiciendum eſt, quo regulae generales accuratius definiantur. p. 174. Dum *capite quarto* de exercitiis ſenſuum agitur, de viſu, odoratu, auditu, guſtu et tactu, tanquam ſenſibus externis, in *quinque* ſequentibus *capitibus* fuſius diſſeritur, ita, ut in his anatomico phyſiologica tractatio primum proponatur, et in fine non nullae diaetae leges adiungantur. v. c. in tractatione de viſu integritatem oculorum conſeruandi ratio per aptum regimen variaque remedia exponitur, in ea de odoratu ampla diſquiſitio de uſu et abuſu tabaci occurrit, in illa de tactu denique de balneis quoque non nulla proferuntur. p. 191. In *capite decimo* tandem exercitium mentis diſquiritur, ubi de ſtudiorum ratione non nulla proponuntur. p. 230

p. 233. *Pars quinta* de animi affectibus agit, et *capite primo* animum ita disponendum esse ostenditur, ut sit mens sana in corpore sano, dum itaque in *capite secundo* declaratur, quo modo animi affectus per exercitium virtutum ordinandi sint, in *capite tertio* asseritur, hos ipsos tamen utiles esse posse, licet sanguinem et spiritus semper exagitent. Quo modo itaque animi commotiones ex una parte destructoriae, ex altera sanitati conuenientes esse possint, breuibus exponitur.

p. 243. *Pars sexta* de excretis et retentis, et *caput primum* de secretionibus in genere differit, quo in reliquis capitibus eae potissimum examinari queant, quae a nostra voluntate dependent. *Caput secundum* sputum et saliuam considerat, praemissa itaque tractatione de viis saliualibus et saliua, de hac caute deglutienda, nec copiose reiicienda, nec non de cura dentium
p. 251. pauca proponuntur. In *capite tertio* de aluina euacuatione agitur, et asseritur, siccitatem ventris in sanis corporibus partim a fibra laxa et molli, partim a fibra sicca et dura dependere, prima causa roborantia et adstringentia exigit, quo in casu et causam et medicamentorum effectum dubium omnino pronunciamus, in altera causa humectantia et praeter oleum amygdalarum dulcium, cassia, uuae passae, aliaque medicamenta commendantur. Dubitamus quoque, an semper succedat consilium WILLISII siccitati ventris oppositum, quod nimirum citius e lectulo surgendum et corpus aeri frigidiori exponendum sit, quo densitas cutis et constipatio pororum efficiat, ut humores versus canalem alimentorum dirigantur. Refrigerium extremorum idem praestare nobis visum fuit, saepius tamen cum insigni incommodo.
p. 255. *Caput quartum* de urina, *quintum* vero de spermate et usu veneris differit. Traditur hic generationis historia, quatenus a diuersis maris et foeminae organis dependet, et non nullae regulae circa usum veneris

neris ſubiunguntur. *Caput ſextum* fluxum men- p. 265.
ſtruum feminarum perpendit, ita, ut eius ratione phyſiologice et pathologice diſquiſita, eae regulae definiantur, quae foeminae circa eius acceſſum obſeruare tenentur, inter alia quoque remedia, quibus fluxus menſtruus iuuari dicitur, mercurialium medicamentorum uſus laudatur. *Caput ſeptimum* de ſudore et perſpiratione inſenſibili breuiſſimis agit, cum plurima in aeris conſideratione iam expoſita ſint.

Pars ſeptima in *unico capite* regulas ſanitatis, quae p. 275.
vitam longam efficiunt, tradit. Diſſeritur itaque primo, de diuerſo vitae termino, eoque et nunc ad centum annos et ultra deducendo, regulae quaedam generales, huc ſpectantes, ex praecedentibus repetuntur et variorum philoſophorum aeque ac medicorum ſententiae de vitae longaeuitate concilianda proponuntur, praecipue vero de ſenum valetudine tuenda non nulla immiſcentur. Selegit itaque Cl. Auctor ex pluribus medicis ſcriptoribus varia, quae ad ſani hominis conſiderationem et conſeruationem ſpectant, pauca ipſe definiuit et ex certis principiis deduxit.

XIX.

D. IO. ERN. HEBENSTREIT, in academia Lipſienſi therapiae Profeſſoris, facultatis medicae Decani, academiarum Caeſareae Leopoldinae et Gallicae Maſſilienſis ſodalis, apud Lipſienſes Poliatri, de homine ſano et aegroto carmen, ſiſtens phyſiologiam, pathologiam, hygienen, therapiam, materiam medicam. Praefatur de antiqua medicina carmen: ſubnectuntur ſimiles poetarum ſententiae: accedunt ſingula quaedam carmina. Lipſiae ſumt. haeredum Lankiſianorum. 1753. 8. 1. Alphab. 1. pl.

Quos ex phyſicis ſcriptoribus huc usque magni omnino fecimus poetas, qui phyſicas rerum naturalium conditiones ſuauiter et cum applauſu cecinerunt, ex veteribus QVINTVM SERENVM SAMONICVM, TITVM LVCRETIVM CARVM, et ex recentiſſimis MELCHIOREM DE POLIGNAC atque IOANNEM ARMSTRONG *, iis nunc annumerari ex merito debet Cl. iam indicati carminis Auctor, quippe cui, licet cum ſeueriores in primis colere debeat muſas, tum quoque negotiorum multitudine diſtractus ſit, perpetua tamen cum ſuauioribus illisque magis amabilibus muſis fuit et adhuc etiam manet conſuetudo. Permulta iam alio tempore plus ſimplici vice edidit documenta, quam felici ingenio atque facundia praecellat, et quam verſatus ſit in veteribus non medicorum ſolum, ſed elegantiorum quoque ſcriptorum auctoribus, ita ut mirum eſſe debeat nemini, noſtram in ipſo aetatem tam grauem doctumque medicum, tamque ſimul elegantem tuliſſe poetam, ut, quem, harum rerum reſpectu, ipſi iam anteferre, neminem, quos vero pares ponere velimus, forte paucos tantum inuenire liceat. Quamuis enim prae-

* Cum reliquorum, quos nominauimus, opera poetica ſatis cognita ſint, de iis plura iam dicere nolumus: de Cl. ARMSTRONGII autem poemate, ex eo, quod noſtratibus non adeo ac ipſum meretur, innotuiſſe ſcimus, narrare licebit, illud, cuius tertiam in manibus nunc habemus editionem euulgatum fuiſſe Londini ſub hoc titulo: The art of preſerving health: a Poem in four books. I. Air. II. Diet. III. Exerciſe IV. The Paſſions. by IOHN ARMSTRONG. M. D. the third edition. London printed for A. Millar. 1748. 8 mai. Eius omnino poematis eo magis atque lubentius hic loci mentionem facimus, quo elegantius, ſaniorisque artis medicae fundamentis conuenientius exaratum eſt. Omni enim artis poeticae nitore regulae, quibus ſanitatem conſeruare poſſumus, in eo traduntur, optimaque ideo ratione etiam iis, qui medicorum libros alias legere haud cupiunt, commendantur.

praeſens, quod indicamus, carmen ad illorum, quae vocamus didactica, genus referri debeat, idque poetici ornatus tam capax, ac illa, quae ingenium poetae magis eſſe liberum ſinunt, haud eſſe videatur, eam illae tamen omnem ipſi conciliauit elegantiam, quam demum cunque recipere potuit. Priores eius quidem partes ante aliquot annos a Cl. Auctore iam editas fuiſſe, conſtat *: eas tamen, in primis autem partem pathologicam, innumeris in locis adeo mutatas, vel emendatas vel auctas, eſſe in praeſenti editione inuenimus, ut noui fere carminis nomen mereri poſſint. Iis nunc vero reliquas ſimul adiecit partes, in ipſo libri titulo indicatas. Omnem itaque totius artis medicae ambitum poeſeos ope, arte atque nitore, emenſum atque deſcriptum Cl. Auctori acceptum referimus, ita ut, quem ad modum ſolidiori uſui, ſic et oblectamento lectorum eſſe queat. Cum ipſius autem carminis epitomen nos dare non poſſe per ſe pateat, quasdam ex eo tamen excerpere particulas, et cum lectoribus noſtris communicare iuuabit.

Poſtquam in carmine, *de antiqua medicina* inſcripto, quod toti libro praemiſſum eſt, ipſam artem ſalutarem, et modum, quo ab initio per experientiam tantum primam nacta fuit originem, eiusque augmenta diuerſaque fata, quae inter varias ſectas variasque gentes ad rerum romanarum excidium usque experta fuit, concinne deſcripſit Cl. Auctor, ſequentibus tum pergit:

- qua barbarie longis ſapientia ſeclis, p. 10.
Poſt res romanas immani turbine ſtratas,

* Anno nimirum huius ſaeculi triceſimo nono unum accepimus carmen, et proxime inſecuto anno alterum his titulis inſignitum: De uſu partium carmen ſeu phyſiologia metrica ad modum TITI LVCRETII CARI *de rerum natura* in gratiam auditorum concinnata. Lipſiae apud Io. Chriſtian. Langenhemium. 1739. 8. Pathologia metrica ſiue de morbis carmen. ib. apud eundem. 1740. 8.

Conculcata fuit, quoque ſe medicina gravatam
Oppreſſamque diu per longa ſilentia ſenſit,
Et levis ingenii quaedam cultura ſuperſtes
Hetruſcas arabum*que ſcholas indagine rerum*
Extulit, et tenui vixit medicina ſub umbra,
Donec, ab excidio graeci ſapientia regni
Exul in italiam, noua lumina ſpargeret orbi,
Inciperentque legi veterum clariſſima ſcripta,
Occultosque diu theſauros panderet hellas.
Tunc nova lux exorta fuit tenuesque, ſub ortu,
Igniculos ſpargens, lentis ſucceſſibus aucta,
Reddidit ingenuas artes, normamque medendi
Inſtituit modulo naturae legibus aequo;
Nam veluti naſcens iterum ſapientia mores,
Sic etiam vires iterum ſapientia mentis
Extulit, et veri ſtudio fera pectora fouit;
Ingenium torpens rectique cupido redibant,
Ruderibusque fuit veteris medicina novella
Structa ſuper, veterem ſuperans et cultior illa.

Phyſiologica nunc carminis pars deſcriptionem ſenectutis nobis ſuppeditet, quae admodum poetica eſt, imaginemque decrepiti ſenis ante oculos pingit, ac is ſi nobis praeſens eſſet:

p. 16. *Perpetuum nihil eſt, verſatque volubile fatum*
Omnia, progreſſuque ſuo corrumpitur aetas.
Ergo per aetatem procedit vita virilem,
Ipſaque continuo dureſcunt robora motu.
Non tamen ad certos aetas adſtringitur annos,
Vtque vigor nativus ineſt, ſic corpora durant,
Vt quoque quisque bonae ſe rexit lege diaetae,
Sic valet et ſeros robuſtus vivit in annos,
Sed quicunque vigor validos durabilis artus
Actitet et contra, vitali robore, fatum
Militet, haud tamen eſſe poteſt durabile robur.
Intereunt vires ſenſim florensque ſenectus
Prima venit, virtus pro vitae ſufficit uſu
Vmbra iuuentutis ſupereſt, eſt umbra ſenectae.

Sic

Sic, ubi labentem nox frigida temperat annum,
Sole tepent luces, et adeſt aeſtatis imago:
Non aliter vegetae dantur confinia vitae,
Menſuratque gradus, veniendo, ſera ſenectus.
Prima libido fugit, veneris fit frigidus ardor,
Canities niueos tingit candore capillos,
Membra tremore fluunt, vacillant robora motus,
Defluit alueolo molitor, curuataque ſpina
Pendet et incerto procedunt crura meatu,
Nec virtus animi, quo plus proceſſerit aetas,
Ingeniumue manent, ſenſusue memoriue facultas,
Sed, cum decrepitam metitur vita ſenectam,
Organa dureſcunt animae, tunc neruus hebeſcit,
Ipſaque per proprios ſoluuntur corpora motus.

Vt etiam ex pathologiâ demus ſpecimen, initium illius capitis, quod morbos motus exponit, transſcribamus:

Mentis ab arbitrio pendens in corpore motus p. 170.
Ingentes patitur morbos, neruusque rebellis
Denegat obſequium dominae, velut efferus olim
Rectorem non ſentit equus frenoque reſiſtit.
Deliquiis animi proſtratus concidit aeger,
Seu terrore graui, magnoue pathemate motus,
Spiritus aufugiens pallentes deſerat artus,
Seu grauis immineat morbus, vis ſanguinis ingens
Diffluat, aut ſudor languentes coxerit artus,
Fluctuat his oculus, nigris obfunditur umbris,
Scintillasque videt: vacuus ſonat aure ſuſurrus,
Pallor habet faciem, vomitus ſuccedit inanis,
Pectora vix ſpirant, vix his arteria vibrat,
Tunc gelidus toto dimanat corpore ſudor.
Et mortis ſpecies viuo ſe corpore ſiſtit,
Deficiunt ſenſus, nihil eſt mens conſcia rerum,
Sique diu, ſenſus expers, ſine motibus aeger
Sternitur, et multas defectio durat in horas,
Syncopa morbus erit; ſi nocte dieque vel ultra
Deficit infirmus, tunc Ecſtaſis illa vocatur

Debili-

Debilitas, quali quandoque puerpera fertur
Extenuata graui partu, decumbere posse,
Et, mentita necem, sepeliri funere viuo.

Vltimum tandem, quod apponamus, ex parte tertia, quae hygienes exponit regulas, illud esto monitum, quo iram atque amorem suis coercere limitibus iubemur:

p. 269. *- pudor est, paruis irasci velle subinde*
Criminibus, tumidaque cito turgescere bile.
Quo quis nobilior fuerit, generosius illo
Plebeios animi motus compescere tentet.
Indignum leuibus, putet, haud ignoscere velle
Criminibus, tanti non est offensa, vel error,
Vt breuis, ira, furor rationis destruat usum.
Nonne vides hominem, tumida dum feruet ab ira,
Et furit, humanos, queis mansuetudo decentem
Suggerit effigiem, penitus conuertere vultus?
Dentibus infrindet, spumat, cava lumina fulgent,
Illi membra tremunt, elato pectore spirat,
Et calet, et toto cultus habitusque ferinos
Corpore prae se fert, non est indignior alter
Humano vultu, non nullus iniquior alter
Esse potest animi motus; candescit ab ira
Sanguis, abit celeri praeceps per vasa meatu.
Et ruit et toto succendit corpore febrem.
Desine, si qua tuae supereſt tibi cura salutis,
Motibus igniferis placidos accendere succos.
Non ita feruet amor, licet hic quoque flammeus urat,
Et desiderio validos erumpat in ignes.
Mirari formas et iis bene velle, licebit,
Est in amore salus, visa laetamur amica,
Ipse senex rigidus visa mollescit amica.
Ast infaustus amor non uno vulnere mentem
Afficit, affectus amor omnes colligit unus;
Inuidet, odit, amat, metuit, curaque futuri
Languet, et ut semper de re meditatur amata,
Sic, dum feruet amans et inania vota feruntur.

In

In rabiem ruit et lento cor excoquit aestu,
Sed licitus delectat amor, studioque placendi
Non adeo ferus est, qui non mansuescere possit.

Ex iis, quae excerpsimus, satis nunc apparere existimamus, quam probe illud HORATII effatum:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo,

ab Cl. Auctore, cui faustissima quaeuis apprecamur, praestitum fuerit.

XX.

GER. NICOLAI HEERKENS, Med. Groningensis de officio medici poema. Groningae typis Iacobi Bolt, bibliopolae 1752. 8. mai. pl. 8. ½.

Qui aliis iam et inter haec medicam etiam scientiam illustrantibus inclaruit carminibus Cl. Auctor *, hoc etiam eleganti, omnique splendore poetico decorato, difficilem alias salutarem artem iucundam omnibusque gratam reddi posse docuit, quid omnem deceat, qui hanc profiteri velit doctrinam, dignusque Hygeae haberi amicus, declarans. Breuis quidem est, ut cuique ipsum audire Cl. Auctorem magis delectet, quam inde decerpere dicta, non tamen, quin ex iis quaedam, ut nostrae constet veritas sententiae, referamus, fieri non potuit. Inscribitur autem carmen E. Cardinali QVIRINO, ubi simul suae vitae rationem, studia, itineraque, per Belgium et Galliam instituta, recenset Cl. Auctor. Ad ipsum porro deueniens opus, quod medicus pius sit atque facundus, in remediis etiam proponendis commendan-

* Accepimus a Cl. Auctore *Xenia physico-medica*, quibus accedunt epigrammata Lugd. Batav. 1748. 8. *De valetudine litteratorum poema* ib. 1749. 8. cui adiungitur *de aqua sequanae et fontium mineralium Pacy, epistola.*

mendandisue, primo requirit loco. De britannica igitur herba exempli loco, ut antiscorbutico loquens remedio, de MVNTINGIO, quem singulari libello eam pertractasse constat, ita sentit:

p. 19. MVNTINGI *nolis studium laudare peritis*
Scabrius est, plantam quo celebrauit, opus.

Nunquam tamen morosum esse decet medicum, sed, cum quaeuis gens suis delectetur remediis, ea aeque ac idiosyncrasia bene pensitanda sunt:

p. 24. *Quo tibi cum populo, qua viuere contigit ora,*
Saepe memor reputes, quisue medentis eget.
Italus ut sicco est fere corpore, sole perustus;
Sic alios mores Italus aeger habet.
Toruus Iber vultu, torua quoque mente superbit,
Trux ideoque, grauis, lenia poscat, erit.
Gallus amabilior, vel si dolet, ore sereno,
Te magis, ut recrees, quam medeare, vocet. cet.

Sic etiam hereditarii morbi nunquam negligendi sunt medico, quippe cuius etiam consiliis omnis hominis vita fere regenda est, optandum autem esset, ut conuenienti ille aduocetur tempore, id, quod Noster suadet,

p. 26. *Hortor ut arcessas medicum tibi, corpore sano*
Prandiaque et coenas dirigat ille tuas.
Dirigat et festis conuiuia longa diebus,
Atque intemperies et tua vina regat.
Tum noctes consfide illi, thalamique labores,
Aptaque delitiis tempora disce tuis.
Sed caue, ne nupta corruptus forte petaci
Tot tibi praescribat, quot roget illa, vices.

Morum temperamentorum et coeli praeter ea considerationem concedimus facile, medici egere disquisitione atque attentione, in eo tamen non adsentientes Cl. Auctori, quod herbarum etiam earum, quae virtute sua nondum se commendant, perscrutatio, LINNAEI studio multum amplificata, ea propter plane sit reiicienda, quod vera omnium nostris nondum

dum temporibus pateat vtilitas. Et dum ita de illo canit:

Quaerimus attenti peregrina quod herbula virus, p. 31.
Quam ſedem, nullis vtile gramen, habet.
Et quicquid fruticum deſertis conditur Afris
Quis ſtagnis Aſiae iuncus et vlua viret.
Montes et ſcopulos peragrans, campoſque niualis
Lapponiae et ſtyga iam forte LENAEE *petis.*
Vt referas plantam, proprio quam nomine dones.
Vt dicas; foliis quot, quibus illa viret.
Sed bona cui morbo? non dicitur. Herba LENAEI
Noxia forte, arti ſicut et ipſe nocet.
Induit iniuſſus noua nomina cuilibet herbae,
Nomina pro ipſo barbariora viro.
Cognita quae fuerat, tituloque ſuperba celebri,
Planta DIOSCORIDIS *nobilitata libris:*
Nomine plebeio, ſeu quo mage laederet aures,
Nomine barbarico dedecoranda fuit.
Cumque ſuis omnes aſſignat claſſibus herbas,
Vtilibus ſociat toxica, mixta vides,
Nec ſatis: ante bipes homo creditus, arte LENAEI
Fit quadrupes, animal nam ſibi viſus erat.

videtur botanices, materiae medicae et uniuerſae hiſtoriae naturalis fines inter ſe confudiſſe, iniurius etiam in haud contemnenda LINNAEI merita, quod putat:

Vafritiem ambitio, quaerendi nominis ardor
Hoc ſueco ingenium quadrupedique dedit.

Maiori poſcit iure a medico, ne nimia promittat, aut commutationem ſui cum alio medico male de aegro interpretetur, aut iurgia de morbo moueat, aut palam vel coram aegro, de morbo diſſerens, conſilia cum aliis ineat. Nec diſſuadendum eſt iuniori medico, ut nodoſos ab initio fugiat morbos, ne protinus, male cedentibus rebus, omnis de eo ſpes proſternatur, qua occaſione perpulchram adducit Cl. Auctor, vetulae, ſuae curae commiſſae, hiſtoriam morbi:

Canuerat

p. 44. *Canuerat cum natus ego, ſtrigoſaque membra,*
Quaſſabat vetulum, quam vetus ipſa, malum.
Lumina quae retro ſtabant caua lurida fronte,
Pectus hians, vultus pallidiorque niue.
Percutiere nouo venientem horrore; refugi
Poene pauor ſcena credite dignus erat.
Quaerebam tremulo ſalientem pollice venam.
Sed tacita obteſtans numina ſancta prece.
Sebaſtum, Coſmamque Rochumque Lucamque precabar,
Numina, quot coelo, qui medeatur, habet.
Illa mei miſerata, his auxiliaribus illam
Reſtitui, decimo ſole reuixit anus.

Commendat Noſter porro peregrinationes, quae ſi rite inſtituuntur, maximopere medicum iuuant, commendat quietem gaudiaque, quae taedioſis interponat medicus ſuis laboribus. Haec certe animum recreant, et forte ad tot perferenda incommoda corpus reddunt, variorumque, in terrae ſolatium natorum, mors ſerius veniret, ni aliorum contemplantes miſeriam, anxieque de illa, aliquando vix leuanda, perpetuo cogitantes medici, in ipſo illis ſuccurendi conatu, praemature ſeſe delerent ipſos. Accedunt huic libello epiſtolae duae, variaque epigrammata, diuerſi argumenti, quae tamen ad noſtrum non ſpectant ſcopum.

XXI.

Noua Medica.

Doctores et Profeſſores medicinam docentes.

1.) In uniuerſitate Vindebonenſi.

PETRVS QVARINI Phil. et Med. D. Praxeos medicae Profeſſor.

CAROLVS EMANVEL SCHELLENBERGER. Ph. et Med. D. Inſtitutionum medicarum et Anatomiae Profeſſ.

IOANNES STOERCK. Ph. et Med. D. Materiae medicae Prof.

IOANNES LOGIER. Ph. et Med. D. Chemiae et Botanices Prof.

2) In uniuerſitate Hafnienſi.

a) Facultas medica.

BALTHASAR IOANNES DE BVCHWALD Med. D. et Prof. P. Decanus Facultatis et Collegii medici, Aſſeſſor Conſiſtorii, Conſiliarius Iuſtitiae.

CHRISTIAN. LODBERG FRIIS Med. D. et Prof. P. Aſſeſſor Conſiſtorii.

b) Collegium medicum.

Archiatri { HIERONYMVS LAVB Med. D. Conſiliarius ſtatus. / IOANNES PIPER. M. D. / IOANNES IVSTVS DE BERGER. M. D.

His accedunt Profeſſores nunc nominati. Porro Phyſicus urbis: PETRVS WANDELER. M. D.

SIMON KRÜGER, Conſiliarius Iuſtitiae et Director rerum anatomicarum et chirurgicarum in ditionibus Regis Daniae.

IOAN. FRIDERICVS WOHLERT Chirurgus aulae regiae.

Acta medica et philoſophica Hafnienſia olim a THOMA BARTHOLINO collecta, per paucos modo annos edita fuiſſe, dolent omnes, qui utilitatem eius modi inſtituti, et quam bene id quoque tum temporis ab eruditis Danis, fama meritisque claris, obſeruatum fuerit, intelligunt. Quam ob cauſſam lectoribus noſtris eam haud ingratam fore relationem confidimus, quam *Hafnia* accepimus, quod ibidem nimirum a collegio medico captum ſit conſilium renouandi illud laudabile olim inſtitutum; atque ſingulari programmate decanus collegii inuitauerit omnes in ditionibus Regis Daniae artis medicae ſcientiaeque rerum naturalium cultores ad conferenda ſymbola; et praemium etiam propoſitum ſit merituris eximiori aliqua ſcriptione. Fidem quoque iamiam ſoluiſſe modo dictum collegium, et primum promiſſi operis volumen ſub titulo: *Prodromus Actorum Medicorum Hafnienſium* in forma, quam vocant quartam, cum figuris aeneis, edidiſſe; optimique Regis iuſſu ad excolendam magis magisque artem medicam, pharmaceuticam et chirurgicam, hiſtoriamque naturalem ulterius amplificandam, id feciſſe; ſingulisque annis inſequentibus, exemplo aliarum academiarum, ſimile volumen editurum eſſe, legimus. Quam primum ille prodromus ad manus noſtras peruenerit, uberiorem eius rationem dare, haud intermittemus.

Agrorum cultura, uti et omnium artium prima et antiquiſſima, ſic et quam maxime utilis, neceſſaria atque honeſta, olim et ab omnium quidem rerum ortu vel principum inter homines excitauit attentionem eorumque exercuit induſtriam: his vero ultimis ſaeculis fere prorſus neglecta, hominibusque tantum agreſtibus relicta, nunc in Italia quoque, anglorum forte et germanorum exemplo, maioris aeſtimari coepit, dum *Florentiae* ſocietas virorum coiit, qui rerum naturalium ſtudii ſunt amantiſſimi, illudque in com-

communem magis usum euehere, ciuibusque suis commendare tentant, ideoque eum sibi praefixerunt finem, ut homines rusticos et hortulanos veram atque optimam agros hortosque colendi artem edoceant; eamque igitur veris et experientiae conuenientibus superstruant principiis, atque ab erroribus, quibus ex aliorum negligentia huc usque fuit obnoxia, repurgent. Abbas canonicorum regularium, in monasterio Fesulis condito haud procul ab urbe Florentia sitis degentium, primus fuisse dicitur, qui eam rem proposuerit, et in primo sociorum conuentu, habita oratione, hancce academiam aperuerit.

Lutetiae Parisiorum in collegio uniuersitatis Naurraeo dicto nouum physicae experimentalis docendae munus constituit Ser. Rex Galliae, quod prima vice celebri illi physico, Abbati NOLLET, demandatum fuit. Eum illud adiisse legimus die decimo quinto mensis maii, oratione partim et ab eius initio latine, partim vero quoad reliqua gallice dicta, de subsidiis ad felices in physica experimentali faciendos progressus necessariis.

Praemio, hoc anno, quo iam viuimus, impetrando quaestionem de origine causaque actionis musculorum proxima, quatenus a fluido in neruis contento dependet, soluendam olim ab academia scientiarum *Berolinensi* fuisse propositam, suo tempore indicauimus *. Nunc igitur academiae voluntati atque expectationi prae aliis fecisse satis praemiumque reportasse Cl. Virum, LE CAT, M. D. nosocomii Rothomagensis protochirurgum, professorem, regium anatomiae et chirurgiae demonstratorem, academiarum Parisiensis, Londinensis et Madritensis socium, ac illius, quae Rothomagi floret, secretarium perpetuum, annunciamus.

* v. Comment. nostr. Vol. I. P. I. p. 148.

Qui fama meritisque clarus, ac insigne Gottingensis academiae huc usque fuit ornamentum, *Ill. ab* HALLER, ante breue tempus a re publica patria *Bernam* euocatus Gottinga, ibique grauissimo in administranda re publica munere exornatus fuit, quod ius in senatum nominandi seu legendi coniunctum habet. Quam lubenter autem atque ex animo hosce nouos consecutos honores ipsi gratulamur eosque apprecamur faustissimos, tam grauiter eius tamen etiam dolemus discessum, cum a Germania, et, quae in ea prae multis aliis clara est suamque famam vere tuetur, Gottingensi academia, iisque tandem tentaminibus auocatus sit, quae pari cum studio ac felici successu atque applausu ad amplificandam rerum naturalium cognitionem, artisque salutaris augmentum magis magisque perficiendum, persecutus fuerat. Tantum vero abest, ut persuadere nobis queamus, ipsum, uti a musis in genere, sic a scientiae quoque naturalis artisque nostrae studio prorsus umquam recessurum fore, ut ab illo potius insigni, quem ipsum sibi comparasse omnes sciunt, eruditionis apparatu, ceu fertili agro, uberrimos adhuc fructus expectemus. Quid? Quod partes aliquas in diariis Gottingensibus porro se expleturum esse, iam spopondit.

Vir Cl. HIERONYMVS LVDOLF, quem supra nominare meminimus *, a Seren. Principe Electore Moguntino consiliarius aulae et archiater nominatus, ideoque *Erfordia* euocatus est Moguntiam, munera vero, quibus huc usque perfunctus fuit Erfordiae, adhuc etiam simul conseruat; interim tamen in sui, ut physici modo dictae urbis, locum Cl. IO. CHRISTOPH. RIEDEL **, successorem habet.

In hac nostra uniuersitate *Lipsiensi* munus artis medicae extra ordinem docendae ante breue tempus nactus

* v. ibid. Vol. II. P. I. p. 171. ** v. ibid.

nactus est Vir Cl. IOANNES GODOFREDVS IANCKE, Phil. et Med. D. qui corpora humana in theatro nostro anatomico dissecandi prouinciam huc usque sustinauit. Is illud adiit die quarto mensis maii, oratione habita: *de impedimentis, quae artis anatomicae remorantur incrementa.* Programma, hac occasione ab eo conscriptum, *obseruationes anatomicas de capsis tendinum articularibus* continet.

In academia *Halensi* Vir Cl. IOANNES PETRVS EBERHARD, M. D. variis physici et medici argumenti, quae huc usque edidit, scriptis clarus, die decimo sexto mensis aprilis philosophiae professor extraordinarius constitutus est.

Dresdae in locum b. FRIDERICI GOTTLOB GVNTHERI, cuius praematurum obitum superius indicauimus *, nunc esse surrogatum, accepimus, virum Cl. IOAN. SIGISMVNDVM MONTANVM M. D. et apud adolescentum natu nobilium, qui in eadem urbe ad militiam edocentur, cohortem constitutum chirurgum primarium, qui lectiones et operationes chirurgicas in collegio medico-chirurgico Dresdensi instituat, easque chirurgos copiarum Saxonicarum doceat.

Membris collegii anatomico-chirurgici *Brunsuicensis*, quae olim enumerauimus ** Vir Cl. ERNESTVS GOTTLIEB SCHMIDT, M. D. et in theatro anatomico Brunsuigae fundato alter constitutus prosector, debet adhuc annumerari.

Ex iis, quos regia scientiarum et elegantiorum literarum, quae *Berolini* floret, academia in conuentu die decimo mensis maii habito, in sociorum numerum recepit, ad nos, quem nominemus, pertinet

* ibid. Vol. I P. I. 180.
** ib. Vol. I. P. III. p. 525.

Vir Cl. CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, Phil. et Med. D. et in noſtra uniuerſitate Phyſiologiae Prof. Publ.

Porro ab academia ſcientiarum, quae *Monte Peſſulano* floret, Vir Cl. CHRISTOPH. ANDREAS MANGOLD, M. D. et in academia Erfordienſi Profeſſor philoſophiae extraordinarius, ſociis annumeratus fuit.

Pariſiis academia, quae ibidem perpoliendae linguae gallicae cauſa olim conſtituta fuit, Cl. BVFFON, horti regii pariſini inſpectorem, ſtrenuum illum rerum naturalium indagatorem in ultimo conuentu ſociis ſuis adſcripſit.

Inſignem inter eruditos locum huc usque occupaſſe conſtat virum, dum viueret, clariſſimum, IOAN. GODOFREDVM DE HAHN, Phil. et Med. D. Collegii medici et ſanitatis, quod Vratislauiae conſtitutum eſt, Decanum, Ser. Reg. Boruſſ. Conſiliarium aulae, Caeſareaeque academiae naturae curioſorum ſocium. Obiit ille die primo menſis maii *Schweidnitii*, quae urbs ipſi fuit patria, cum paulo ante, proximo nimirum die, iter in thermas Carolinas dirigendum ſuſcepiſſet. Quae de vita, laudabiliter ab eo peracta, narrari poterunt noratu digna, alia forte occaſione cum lectoribus noſtris communicaturos nos eſſe ſperamus.

Guelpherbiti die menſis martii viceſimo primo viuis intereſſe deſiit Vir, uti indefeſſo omnium fere artium et literarum, ſic et in primis rerum naturalium indagandarum ſtudio multisque editis ſcriptis clarus FRANCISCVS ERNESTVS BRÜCKMANN, Phil. et M. D. Natus ille erat die viceſimo ſeptimo, anno praeteriti ſaeculi nonageſimo ſeptimo, in coenobio Marienthal dicto, haud procul ab urbe Helmſtadio ſito,

sito, patre FRANCISCO ANDREA, qui in illa Brunsuicensis ducatus ditione iuri dicundo praefectus fuit. Postquam in Ienensi academia omnem literis operam dederat, anno huius saeculi vicesimo primo Helmstadii Doctor medicus creabatur: tum vero duobus annis post elapsis, per quod temporis spatium Brunsuigae commoratus fuerat, per Bohemiam, Hungariam maximamque Germanicarum prouinciarum partem iter faciebat per quatuor annos, in eoque locupletissimam rerum naturalium, in primis ad mineralium, et ex his praesertim lapidum, atque vegetabilium regnum pertinentium supellectilem colligebat. Anno 1728. redux Guelpherbiti medicinam cum laude faciens, eodem anno ab academia naturae curiosorum atque post duos deinceps annos ab academia Berolinensi, anno 1747. autem a collegio medico Brunsuicensi tandemque paulo post ab academia, quae Florentiae in amplificandam rerum naturalium cognitionem incumbit, in sociorum numerum recipiebatur. Omne, quod a practicis laboribus ipsi supererat tempus in museo consumens, magnam tractatuum atque librorum copiam, qui physici maximam partem argumenti sunt, conscribebat, quorum amplissimum indicem inuenire licet in Cl. BOERNERI, ipsius generi, *vitis et scriptis medicorum et physicorum, qui adhuc viuunt* celebrium, per hos ultimos annos germanice editis.

In hac nostra etiam uniuersitate *Lipsiensi* lugemus nimis praematuram mortem viri nobis amicissimi, nostrorumque, dum viueret, laborum indefessi socii, FRIDERICI GOTTLOB IACOBI, Phil. et Med. D. cuius iam olim a nobis factam fuisse mentionem, recordamur *. Anno huius saeculi vicesimo quinto in hac nostra urbe, patre artis medicae doctore, BALTHASARE FRIDERICO, natus, felix a natura nactus

 fuerat

* vid. l. c. Vol. I. P. I. p. 147.

fuerat ingenium, animumque discendi cupidissimum. Fieri itaque non poterat, quin optimis usus praeceptoribus, ERNESTI nimirum, IOECHER, WINCLER, GVNZ, LVDWIG, HEBENSTREIT, et, quorum memoria post mortem adhuc etiam et semper nobis esto pia, PLATNER atque WALTHER, omnibus de uniuersitate nostra optime meritis professoribus, tantos in variis scientiarum generibus, cum quae ornant atque delectant, tum quae ciues reddunt rei publicae utiles, faceret progressus, ut anno 1745 a nostro philosophorum ordine artium liberalium atque philosophiae magister crearetur. Eundem deinde, quem ire coeperat, tramitem strenue persequebatur, utque consecutam magistri dignitatem tueretur, ingeniique vires, insimulque suum in artem salutarem literasque elegantiores, historiam in primis literariam, quam prae aliis scientiis semper coluerat, amorem atque studium testaretur, paulo post, anno nimirum 1747. dissertationem sub titulo *specimini de philosophia Hippocratica* erudite conscriptam publice defendebat. Eam ideo speciminis nomine insigniuerat, quoniam argumentum illud ulterius adhuc sibi proposuerat explicandum, plura de eo specimina olim editurus, a quo tamen fine, morbo haud diu post oppressus, retrahebatur. Philosophis suam huc usque comprobauerat industriam. Vt nunc vero etiam constaret, quales in arte medica fecisset profectus, sequenti anno aliam edebat dissertationem *de sanguinis colore* differentem, eaque publice ventilata, Doctoris medici honores atque iura a nostro medicorum ordine cum singulari laude impetrabat. Ab illo quidem tempore locuplete, quem sibi comparauerat, scientiarum apparatu in aliorum commoda utebatur, ita, ut artem medicam omni studio debitaque prudentia atque felicitate non faceret solum, sed tirones eam quoque omni fide atque diligentia doceret. Id autem per paucos modo annos ipsum praestare potuisse,

bonus

bonus quisque dolebit. Quamuis enim robuſto corpore natus eſſe videretur, a teneris inde tamen ipſi cum variis corporis aegrotationibus conflictandum fuerat. Indefeſſum deinde literarum ſtudium, quod ad extremum vitae ſuae terminum colebat, vitaque ſedentaria, primae ex illis erant cauſis, quae ſymptotum iſtius mali, quod ab hypochondriis male affectis nominari ſolet, cateruam ipſi adducebant, quibus ſanguinis per vaſa abdominis, vehementiſſimis ſaepe ſpaſmis contracta et coarctata, tranſire neſcii, indeque ad pulmones maiore vi atque copia appulſi accedebat ſputum, ſaepe rediens, tuſſim funeſtamque phthiſin efficiens, quae tandem die ſexto menſis maii proxime elapſi placidum vitae finem fecit. Memoria eius nobis praecipue cara eſſe debet talisque ſemper manebit, quippe qui ſingularem eius candorem, probitatem, amicitiam fuco haud illitam, dexteritatem atque inſignem rerum in primis medicarum cognitionem, prae aliis crebriorem experiundi habuimus occaſionem.

XXII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1752. prodierunt.

CAROL. FRIEDER. KALTSCHMID Progr. de perueſo in inueſtigandis vulneribus ſpecillorum uſu. Ienae, 4.

Eiusd. Diſſ. de pleuritide vera. Reſp. *Aug. Henr. Ludov. Teichmeyer.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de vidua triginta annorum chloroſi laborante. Reſp. *Martin Mysz.* ib. 4.

Eiusd. Diſſert. de partu legitimo. Reſp. *Nicol. Chriſt. Walch.* ib. 4.

Eiusd Pr. de mota ſuppuratione confecta relinquente globum pilorum pugnae magnitudinis cum teſta ſebacea. ib. 4.

Eiusd. Pr. de neruis opticis in cadauere latis inuentis a compreſſione per undas facta, cauſa ante mortem ſubſecutae guttae ſerenae, ib. 4.

Eiusd. Pr. de neceſſitate exſecandi foetum ex grauida mortua, ib. 4.

Eiusd. Pr. de hydrocephalo interno rarae magnitudinis. ib. 4. c. tab. aen. 1.

Eiusd. Diſſ. de via chyli ab inteſtinis ad ſanguinem. Reſp. *Lebrecht. Chriſt. Daniel Mittelhäuſer*, ib. 4.

Eiusd. Pr. de tumore ſcirrhoſo trium cum quadrante librarum glandulae parotidis extirpato, ib. 4. c. fig. aen.

Eiusd. Diſſ. de bilis interno et externo uſu medico. Reſp. *Ioh. Frider. Hufeland.* ib. 4.

Eiusd. Pr. de raro coalitu hepatis et lienis in cadauere inuento, ib. 4.

CHRIST. AVG. KAYSLER Diſſ. Diaeta ad longaeuitatem, Lipſ. 4.

KEILS *vollkommenes anatomiſches Handbüchlein, ingleichen chirurgiſches Handbüchlein 7te Auflage. Königsberg, 8.*

IOH. FRIEDR. KESSELS *weitere Fortſetzung der Halleriſchen und Hambergeriſchen Streitigkeit vom Athemhohlen; worinnen dem Hrn. D.* TRENDELENBVRG *auf ſeine fernere Fortſetzung ſchuldige Antwort gegeben wird. Iena.* 4.

Phyſica ex recentiorum obſeruationibus, accommodata uſibus academicis a IOSEPHO KHELL. Viennae T. I. et II 4. c. figg. aen.

IOH. GOTTFR. KIESELING. Relatio practica de arte probatoria mineralium et metallorum. *d. i. Erzehlung, wie alle Mineralien probirt und geſchieden werden, Leipzig, 8.*

CHRIST. GOTTHILF KIESLING Diſſ. de ſuccis plantarum. Reſp. *Georg. Chriſt. Reichel.* Lipſ. 4.

FRANCISC. KLANKE Diſſ. de uſu venarum Lugd. Bat. 4.

SAM.

SAM. KLINGENSTIERNA Diſſ. de magnetiſmo artificiali. Reſp. *Io. Brander.* Holmiae, 4. c. fig. aen.

Eiusd. Diſſ. de igne graeco, Reſp. *Carol. Laurbech.* Upſal. 4.

IO. HIERON. KNIPHOF. Diſſ. de morborum recidiuis, Reſp. *Io. Georg. Engel.* Erford. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſectione venae medianae non nunquam periculoſa, Reſp. *Chriſt. Gottlieb Kubſch*, ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de capite coniformi foetus partum facilitante, Reſp. *Aug. Gotthelf Gravel*, ibid. 4. cum fig. aen.

IOH. CHRIST. GERHART KNOLL *Sendſchreiben von den Würkungen des Kaffeetranks*, *Quedlinburg*, 4.

Eiusd. *Gedanken von der Lage der Kranken, in einem Sendſchreiben ib.* 4.

Eiusd. *Die Wirkungen der Luft in den menſchlichen Körper überhaupt aus phyſicaliſchen Gründen erläutert, ib.* 4.

DAN. AEMIL. KOCH Diſſ. de infarctibus vaſorum in infimo ventre, ceu cauſa plurium pathematum chronicorum, ſpeciatim eorum, quae ſub mali hypochondriaci nomine veniunt, Argent. 4.

IOH. HEINRICH KRATZENSTEINS *Vertheidigung Herrn Hofrath* HAMBERGERS *gegen Herrn* KESSEL, *Halle* 4.

CAROL. CHRIST. KRAUSE Diſſ. de homine non machina, Reſp. *Carol. Sam. Krauſe*, Lipſ. 4.

PETER KRETSCHMARS *Bedenken über die von dem Herrn von* BORN *gegebene Nachricht von einer neuerfundenen Ackerbau-Maſchine, worinnen ſelbige mit der Kretſchmariſchen verglichen wird, Berlin, 8.*

GOTTLOB WILH. KRONENBURG, *anatomiſche Zergliederung von dem Entwurf einer Geſchichte der Steinſammlung bis auf unſere Zeiten, Erfurth und Leipzig, 8.*

IOH. GOTTLOB KRÜGERS *Zuſchrift an ſeine Zuhörer*

rer von der Ordnung, in welcher man die Arzney-Gelahrheit erlernen müſſe, Halle, 8.

Eiusd. *Gedanken von der Erziehung der Kinder 1ter Theil von der Bildung des Leibes, ib. 8.*

Eiusd. *Gedanken von der Erziehung der Kinder 2ter Theil von der Bildung der Seelen, ib. 8.*

Eiusd. Diſſ. inaug. de haemoptyſi haereditaria, Reſp. *Iok. Henric. Schrader*, Helmſtad. 4.

Venus metaphyſique, ou eſſai ſur l'origine de l'ame humaine, par M. L. à Berlin. 12.

GIUSEPPE LAMBERT Storia generale, ciuile, naturale, politica e religioſa di tutti i popoli del mondo, tradotta dal franceſe. Venetiis, 8. Tomo primo.

LA FOSSE *Abhandlung von dem wahren Sitze des Rotzes bey den Pferden und den Mitteln dieſe Kranckheit zu heilen; aus dem franzöſiſchen überſetzt, mit Anmerkungen und einem doppelten Anhange auch einer Zugabe eines ſichern Mittels wider das Verſchlagen der Pferde, begleitet, von* DANIEL GOTTFR. SCHREBER, *Halle, 8. m. K.*

GEORG. AVGVST. LANGGVTH. Pr. de pleura inflammationis periculum ſibi non conciliante, Witeberg. 4.

Eiusd. Diſſ. de officio matris prolem lactandi, Reſp. *Henric. Gottlob, Meyer*, ibid. 4.

Eiusd Pr. de regimine lactantium, ib. 4.

Eiusd. Pr. de potiſſimis cancri mammarum cauſis prudenter occupandis, ibid. 4.

IOSEPH. HENR. VON LAVFFEN Diſſ. de enematum in variolis neceſſitate Argent. 4.

LEIDENFROST Diſſ. de ſuccis herbarum recentium recenter expreſſis, eorumque uſu ad morbos, Reſp. *Io. Conrad Meiſter*, Duisburg. 4.

PETR. ANTON LEPY quaeſt. med. an luxationes auxiliis non pluribus, quam laqueis et manu reponendae? Reſp. *Iacob. Franciſc. Latier.* Paris. 4. mai.

FRIEDR.

FRIEDR. CHRISTIAN LESSERS *nachrichtliche Beſcreibung des unweit des Bergſchloſſes Strausberg neuentdeckten Muſchelmarmors, welcher zugleich mit andern Marmorarten in Vergleich gezogen wird*, Nordhauſen, 4.

Culture parfaite des jardins fruitiers et potagers avec des diſſertations ſur la taille des arbres, par LOUIS LIGER, à Paris, 12.

CHRIST. EVERHARD DE LILLE Diſſ. de exceſſu motus circulationis, Lugd. Bat. 4. mai.

Lettres ſurla mineralogie et la metallurgie pratique, traduites de l'anglois de D. W. L. (DIEDERICH WESSEL LINDEN.) à Paris, 8.

M. LINDNERI Diſſ. de ſomno et inſomniis, Königsberg, 4.

CAROL. LINNAEI Genera plantarum eorumque characteres naturales etc. LXX. nouis auctoris generibus aucta per CHRIST. CAROL. STRVMPFF. edit. quarta. Halae 8. m. c. fig. aen.

Eiusd. Diſſ. de materia medica in regno lapideo, Reſp. *Io. Lindhut.* Upſal. 4.

Eiusd. Diſſ. Plantae eſculentae patriae, Reſp. *Io. Hiorth.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de obſtaculis medicinae, Reſp. *Io. Georg. Beyerſten*, Strengneſ. ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de Euphorbia, eiusque hiſtoria naturali et medica, Reſp. *Io. Wimann*, ib. 4.

Lettres ſur la certitude des ſignes de la mort, où l'on raſſure les citoïens de la crainte d'être enterrés vivans, avec des obſervations et des experiences ſur les noïés, par M. LOUIS. à Paris, 12.

DI TITO LUCREZIO CARO, della natura delle coſe, libri ſei e leodi di Anacreonte. Traduzzione D'ALESSANDRO MARCHETTI etc. ſeconda edizione, Amſterd. 8. mai.

HIERONIM. LVDOLFS *vollſtändige und gründliche Einleitung in die Chymie, darinnen nicht allein alle chymi-*

chymiſche Arbeit gezeiget und erkläret, ſondern auch die wichtigſten Verſuche aus der Pharmacie, Metallurgie und Alchymie, nebſt allen Vortheilen treulich ausgeführet werden, Erfurth, 8. mai. m. K.

HIERONYM. LVDOLFS Diſſ. de arthritide tanquam inflammationis ſpecie, Reſp. *Io. Frider. Zimmermann*, ib. 4.

Eiusd. Diſſ. ſiſtens catarrhos tanquam cauſas frequentiſſimas febris lentae eorumque legitimam curam, Reſp. *Chriſt. Wilh. Franciſc. Becke*, ib. 4.

CARL GÜNTHER LUDOVICI *eröfnete Academie der Kaufleute, oder vollſtändiges Kaufmanns-Lexicon 1ter Th. Leipzig, 8. mai.*

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG Diſſ. de terris medicis, Reſp. *Lebrecht Gottlob Rothe*, Lipſ. 4.

Eiusd. Inſtitutiones phyſiologiae, cum praemiſſa introductione in uniuerſam medicinam, praelectionibus academicis accommodatae, ibid. 8. mai. c. figg. aen.

MACQVERS *Anfangsgründe der theoretiſchen Chymie 1ter Theil, aus dem franzöſiſchen überſetzt, Leipzig, 8. mit K.*

Eiusd. *Anfangsgründe der practiſchen Chymie, als der 2te Th. zu deſſen theoretiſchen Anfangsgründen, aus dem franz. überſetzt, ibid. 8. m. K.*

GUILIELM. DEMAGNY quaeſt. med. an a vaſorum aucta aut imminuta irritabilitate omnis morbus? Reſp. *Iacob. Gourlez de la Motte*, Paris. 4. mai.

von MAIRAN *Abhandlung von dem Eiſe, oder phyſicaliſche Erklärung der Entſtehung des Eiſes, und der dabey vorkommenden verſchiedenen Erſcheinungen; aus dem franzöſiſchen überſetzt, Leipzig, 8. mai. mit Kupf.*

Memoires ſur les variations d'une agathe du cabinet du Duc Charles de Lorraine etc. par THOM. MANGEART, à Bruſſel. fol.

Diſ-

Diſſertation ſur la chaleur, avec des obſervations nouvelles ſur la conſtruction et la comparaiſon des thermometres, traduit de l'anglois de Mr. MARTINE, à Paris 12. c. fig.

IO. MARTYN. Hiſtoria plantarum rariorum ob praeſtantiam denuo edita, ſtudio IO. DANIEL MEYERI, Decas. I. Norib. fol. reg. c. figg. aen.

DAN. ANTON MASSIS. Diſſ. de Diabete, Lugd. Bat. 4. mai.

Elemens de la philoſophie moderne, qui contiennent la pneumatique, la metaphyſique, la philoſophie experimentale, le ſyſteme du monde ſuivant les nouvelles decouvertes; ouvrage enrichi des figures par Mr. PIERRE MASSUET. Amſtel. 12. c. figg. aen.

Lettres de M. de MAUPERTUIS à Dresde, 8.

Monita et praecepta medica; auctore RICHARD MEAD. Hamb. et Lipſ. 8. mai.

IO. CHRIST. MESSERSCHMID. epiſt. ad GOTTLOB CAROLVM SPRINGSFELD, Aeſculapium σωτηρα ipſi conſecrans, Halae, 4.

Eloge de Mr. DE LA METTRIE, avec le catalogue de ſes oeuvres, et deux lettres qui le concernent, à la Haye, 8.

FRANCISC. MEYER. Diſſ. de haemorrhagia, Lugd. Bat. 4. mai.

IOH. DANIEL MEYER *Vorſtellung allerhand kriechender, fliegender und ſchwimmender Thiere, ſowohl nach ihrer äuſſerlichen Beſchaffenheit, als auch nach der Structur ihrer Skelete, alle in Kupfer gebracht, 2ter Theil, Nürnberg, fol. mit illuminirten Kupfern.*

Methode aiſée et peu conteuſe de traiter avec ſucces pluſieurs maladies epidemiques, comme la ſuëtte, la fievre miliaire, les fievres pourprées par Mr. de MEYSEREY, à Paris, 12.

Traité

Traité ſur les aimans artificiels, traduit de l'anglois de I. MICHEL et I. CANTON par le P. RIVOIRE, à Paris, 12.

FRANC. XAVER. MILLARS Diſſ. inaug. de exploratа kermes mineralis ſ. pulueris Carthuſianorum in medendo efficacia, Argentor. 4.

The Gardeners dictionary containing the methods of cultivating and improving the kitchin, flower, fruit and pleaſure garden, wherein all the articles contained in the former edition of this work in two volumes are diſpoſed in one alphabet: with the addition of a great number of plants. The ſixth edition carefully reviſed and adapted to the preſent practice by PHILIP MILLER, London, fol. c. figg. aen.

LAVR. MIZLERI conſultatio de neceſſitate Collegii medici, auctoritate regia Varſauiae erigendi, Warſaviae, 4.

CHRIST. LVDW. MOEGLING Diſſ. de tutiſſima methodo curandi morbos quam plurimos eosque graviſſimos, Tubing. 4.

Avium genera, auctore PAVL HENR. GERHART MOEHRING. Brem. 8. mai.

IO. PETER MÖLLER Diſſ. continens poſitiones chemicas, Kiliae, 4.

ELCO MOLINVS, Diſſ. de morbis ex defectu motus vitalis oriundis, Lugd. Bat. 4. mai.

Ragionamento ſopra i mezzi piu neceſſari per far rifiorire l'agricultura del P. Abb. D. UBALDO MONTELATICI della congregazione Lateranenſe, colla relazione dell'erba orobanche, detta volgarmente ſucciamele e del modo di eſtirparla del PIER ANTONIO MICHELI. Fiorenza, 8.

MART. MÜLLER, *genannt* HOHENTWIELER, *gründlicher Bericht, wie aus des Erdbodens Beſchaffenheit etc. ohnweit Ulm in den ſogenannten Tau-*

ben

ben-Ried, Turf beurtheilet, und wie ein ſolcher mit dem gehörigen Werkzeug anzugreifen ſey, Ulm, 8. mit Kupf.

GERH. ANDR. MÜLLERS *Entwurf eines neuen Lehrgebäudes der natürlichen Philoſophie und Arzneygelahrheit, Franckf. 8.*

Replique à la critique ou au libelle de Mr. AUBERT dans laquelle on demontre evidemment la fauſſeté de ſes raiſonnemens ſur le peritoine et ſur pluſieurs points eſſentiels d'anatomie, avec une refutation de ſon ecrit ſur une maladie qu'il a nommée Noire, par Mr. NAVIER. à Paris, 12.

ERNST IEREMIAS NEIFELDS *Phyſikaliſche Abhandlung vom Altwaſſer Sauerbrunnen in Schleſien, deſſen Beſtande, Wirkung und Gebrauch, Züllichau, 8.*

Art de la verrerie de NERI, MERRET et KUNCKEL, auquel on a ajouté le ſol ſine veſte d'Orſchall et pluſieurs autres pieces, avec fig. à Paris, 4.

IO. FRANC. NEVHAVS Diſſ. de arthritide vaga in Ducatu Weſtphaliae endemia. Gieſſae, 4.

CASP. NEVMANNI Chymia medica dogmatica experimentalis; *oder gründliche und mit Experimenten erwieſene mediciniſche Chymie des 2ten Bandes 3. und 4ter Th. Züllichau, 4.*

ERNST ANTON. NICOLAI Syſtema materiae medicae ad praxin applicatae, To. IIdus, Halae, 4.

Eiusd. *Verſuch eines Lehrgebäudes von Fiebern überhaupt, ib. 8.*

OTTO NATHAN NICOLAI Meletema de ſeruis Ioſephi medicis, Magd. 4.

HENRIC. a NOKKEN Diſſ. de conuulſione, Trai. ad Rhen. 4. mai.

IOHANN ANTON NOLLET *Vorleſungen über die Naturlehre aus dem Franzöſiſchen überſetzt, IVter Th. Erfurth, 8.*

ANDR. NVNN, Pr. de dignitate anatomes ad chirurgiam, Erford. 4.

CASP. HENR. OBERLIN Diſſ. de opio liberius in medicina adhibendo, Argent. 4.

GEORG. CHRIST. OEDER. Diſſ. de irritabilitate, Reſp. *Peter. Aſcanius*, Hafniae, 4.

Tyrocinium medicinae. *Kurze Anleitung zu den mediciniſchen Terminis, mit einigen nöthigen Cautelen zum Nutzen der Anfänger aufgeſetzt von* I. S. P. *Breſslau, 8.*

Methode d'abbattre la cataracte par Mr. PALVCCI, à Paris, 12. mai. avec figures.

Beſchreibung eines neuen Inſtruments, den Staar mit allem nur möglichen Erfolg niederzudrücken, nebſt einer Nachricht von denen Operationen, welche damit bey 6. Invaliden zu Paris unternommen worden von dem Herrn PALUCCI, *aus dem Franzöſiſchen überſetzt, Leipzig, 8.*

Eiusd. *neue Anmerkungen über den Steinſchnitt, nebſt Betrachtungen über die Abſonderung der männlichen Ruthe, und Ablöſung der Brüſte, aus dem Franzöſiſchen überſetzt, Leipzig, 8.*

Philoſophical obſervations on the analogy between the propagation of animals and that of vegetables; in which are answered ſome obiections againſt the indiviſibility of the ſoul, which have been inadvertently drawn from the late curious and uſeful experiments upon the polypus and other animals, with an explication of the manner, in which each piece of a divided polypus becomes an other perfect animal of the ſame ſpecies, by IAMES PARSON, London, 8. mai. c. fig.

HENR. IOACHIM. de PEIGN. Diſſ. de carcino, Kiliae, 4.

ADRIAN PELT Diſſ. de hepate eiusque actione, Trai. ad Rhen. 4. mai.

A Tre-

A Treatiſe on Electricity, wherein its various phaenomena are accounted for, and the cauſe of the attraction and gravitation of ſolids aſſigned, to which is added a short account, how the electrical effluvia act upon the animal frame, and in what disordres the ſame may probably be applied with ſucceſſ, and in what not; by FRANCISC. PENROSE, Oxford. 8. mai.

ANTON PEPIN quaeſt. med. an in vulneribus ſclopetorum ictu factis, ad praecauendam gangraenam, inciſiones et aqua maris? Reſp. *Edmund. Thom. Moreau*, Paris. 4. mai.

Das Angenehme und Unangenehme bey Ausübung der Arzneywiſſenſchaft, entworfen von LVDWIG CHRISTIAN PELOLD, *Nordhauſen*, 4.

Des klugen Beamten, oder Informatorii iuridici officialis *7ter Theil, worinnen die zum* uſu practico *und den* remediis ſuſpenſiuis *gehörigen Titul und die gerichtliche Arzneygelahrheit enthalten, von* GERMANO PHILOPARCHO, *Nürnberg*, 4.

FRANCISC. POUSSE, quaeſt. med. utrum in deprimenda cataracta, ipſius capſula inferne & poſtice ſit primum ſecanda? Reſp. *Claud. Ioſeph. Gentil*, Paris. 4. mai.

Methode aiſée pour conſerver ſa ſanté jusqu' à une extreme vieilleſſe, fondée ſur les loix de l'oeconomie animale et les obſervations pratiques des meilleurs medecins etc. traduit de l'Anglois par M. L. de PREVILL à Paris, 8.

Obſervations on the Diſeaſes of the Army in Camp and Garriſon, in three parts with an Appendix containing ſome papers of experiments read at ſeveral meetings of the Royal Society, by IOHN PRINGLE, London, 8. mai.

IOH. FRIDER. PROBST Diſſ. de haemorrhagiis narium in ſenibus, Halae, 4.

SAMVEL THEODOR QVELMALZ Pr. de epidemica mentis alienatione, Lipſ. 4.

Eiusd. Pr. de obturatione meatus auditorii inprimis a polypo, ib. 4.

QUESNAI Traité des effets et de l'uſage de la ſaignée, ſeconde edition augmentée, à Paris, 12.

IO. BERN. QVISTORP. Diſſ. de acidorum indole et effectibus, Reſp. *Ioachim. David. Oldenburg*, Roſtoch. 4.

Des maladies occaſionnées par les promtes et frequentes variations de l'air, conſideré comme atmoſphere terreſtre avec l'explication mechanique de leurs principaux ſymptomes et la methode de les guerir par Mr. IOSEPH RAULIN, à Paris, 12. c. fig.

CHRISTIAN REINHARDTS *Land- und Gartenſchatzes 2ter Theil, von der Baumzucht, Erfurt 8. m.K.*

CHRIST. TOB. REINHARD Carmen de febribus intermittentibus ſeu epidemicis an. 1747.48.49.50. et 51. Dreſd. 8.

EPHRAIM REINHARDS *Unterſuchung der Frage, ob unſere erſten Urältern Adam und Eva einen Nabel gehabt? Hamburg, 8.*

IOH. ARNOLD REITZ. Diſſ. de morbis pauperum, Trai. ad Rhen. 4.

GEORGE ERNST REMVS Diſſ. experimenda quaedam circa circulationem ſanguinis inſtituta, Gotting. 4.

IO. REVSCH Diſſ. de modo agendi medicamentorum diaphoreticorumet ſudoriferorum, Marburg. 4.

GEORGE GOTTLOB RICHTER Diſſ. de ſpe et praeſidiis longaeuorum, Reſp. *Franc. Chriſtoph. Seip.* Gotting. 4.

Eiusd. Diſſ. de natura, labe et praeſidiis memoriae humanae, Reſp. *Georg. Ferdinand. Wegener.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſilentio medico, Reſp. *Henr. Balemann*, ib. 4.

GEOR-

GEORGE GOTTLOB RICHTER Pr. de ieiuniorum ac nimiae ſobrietatis noxis, ib. 4.

Eiusd. Pr. de conſtantia ſenilis valetudinis, ib. 4.

Eiusd. Pr. de piſcium ſalutari cibo, ib. 4.

Le miroir des urines par lequel on voit et connoit les differens temperamens, les humeurs dominantes, les ſieges et les cauſes des maladies d'un chacun, ſuivant les longues experiences du SIEUR DAVACH DE LA RIVIERE, quatrieme edition, à Paris, 12.

Obſervations on the virtues and operations of medicines, by BRYAN ROBINSON, London, 8.

An account of ſix years reſidence in Hudſon's Bay from 1733. to 1736. and 1744. to 1747. by IOSEPH ROBSON etc. London, 8.

IO GEORGE ROEDERER Oratio de artis obſtetriciae praeſtantia, quae omnino eruditum decet, quin immo requirit, publice dicta d. 18. Decbr. 1751. Gotting. 4.

NICOLAVS ROSEN Diſſ. qua morbi euacuatorii ſanguinis adumbrantur, Reſp. *Laurenz Balk*, Holmiae, 4.

IO. PHILIB. ROTHE Lexicon chirurgorum, Lubec. 8.

IO. GEORGE ROTHER Diſſ. de pure abſorpto ſymptomatum cauſa, Lipſ. 4.

DAVID van ROYEN Diſſ. de inteſtinis craſſis multorum malorum cauſa et ſede, Lugd. Bat. 4. mai.

ANDR. IOS. RVGEMER Diſſ. de epilepſia, Reſp. *Georg. Sebaſt. Hoehn*, Wurceb. 4.

A diſſertation on the uſe of ſea water in diſeaſes of the glands, particularly the ſcurvy, iaundice, king's evil and the glandular conſumption, translated from the latin of R. RUSSEL, London.

Eaux minerales de Bagneres. Analyſe des ſources de Salut et d'Artiguelongue par Mr. DE SALAIGNAC à Paris, 12.

Diſſertation ſur l'origine de la maladie venerienne pour prouver, que le mal n'eſt pas venu d'Amerique mais qu'il a commencé en Europe par une Epidemie à Paris, 12. (auctor eſt ANTONIO RIBEIRO SANCHEZ.)

Le parfait negociant par IAQUES SAVARY, Genev fol.

Le même livre en 2. Voll. ib. 4.

Pathologia methodica ſeu de cognoſcendis morbis, auctore FR. de SAUVAGES, Amſterdam, (Lion) 8.

AVGVST SCHAARSCHMIDS *Splanchnologiſche Tabellen 2te Ausgabe, Berlin, 8.*

Eiusd. *Syndesmologiſche Tabellen, ib. 8.*

SAMVEL SCHAARSCHMIDS *Unterweiſung zu dem* ſtudio medico chirurgico, *welche die Pathologie, Chirurgie und Praxin etc. in ſich enthält, mit Zuſätzen vermehret, herausgegeben von* ERNST ANTON NICOLAI, *Iter Th. Berlin, 8.*

Apus piſciformis inſecti aquatici ſpecies nouiter detecta breuibusque deſcripta a IACOBO CHRISTIANO SCHAEFER. adiecta eſt tabula aenea inſectum hoc accurate delineatum ſuisque coloribus diſtinctum repraeſentans, Norib. 4.

Eiusd. *Nachricht von einer Raupe, ſo etliche Jahre her an manchen Orten in Sachſen vielen Schaden gethan, nebſt einigen aus der Natur dieſer Raupe hergeleiteten Vorſchlägen, ſolche am leichteſten zu verringern und auszurotten, Regenſpurg, 4.*

IOH. GOTTLIEB SCHAEFER. *Die Kraft und Würkung der Electricität in dem menſchlichen Körper, und deſſen Krankheiten, beſonders bey gelähmten Gliedern, aus Vernunftgründen erläutert und durch Erfahrungen beſtätiget, Regenſpurg, 8. m. K.*

IO. FRIDR. SCHEIBLERI fundamentorum totius ſcientiae medicinae in uſum auditorum adornatorum pars theoretica prima, Berolin, 8.

GVNTH. CHRISTOPH SCHELHAMMERI ars medendi

dendi uniuerſa, ex veris ſuis fundamentis eruta et probatiſſimis veterum ac recentium ſententiis curate expenſis ſuperſtructa. Opus poſthumum, nunc demum ſecundum auctoris autographum ex bibliotheca beati D. ERNEST. FRIDR. BVRCHARDI editum, Vol. IIItium. Roſtoch et Wismar. 4.

Inſtitutionum phyſicae, P. I. ſeu phyſica generalis conſcripta in uſum ſuorum auditorum a CAROLO SCHERFERO, Viennae, c. figg. aen.

IOHANN IACOB SCHEVCHZERS *Naturhiſtorie des Schweitzerlandes; oder Beſchreibung der Elemente, Gränzen, Berge, Seen, Flüſſe, Brunnen, Bäder, Metallen, Mineralien etc. des Schweizerlandes, abſonderlich auch Uiberbleibſaale der Sündfluth, verbeſſerte Auflage*, 3. *Th. Zürch*, 4. *m. K.*

IOH. IAC. SCHILLING Phytologiae ſeu phyſices plantarum ſpec. I. Reſp. *Ioh. Fabricius*, Duisb. 4.

Eiusd. ſpecim. II. Reſp. *Ioh. Theodor. Wever*, ib. 4.

Eiusd. ſpecim. III. Reſp. *Gottfr. Arnold Maas*, ib. 4.

GEORG SIGISMVND SCHLICHTS *Unterricht vor Hebammen in Lehren und Exempel, nebſt einer Vorrede Hr.* D. IOH. PHIL. BVRGRAVENS, *Frankf. am Mayn*, 4.

GEORG. CONRAD SCHMIDT Diſſ. de calculo renum et veſicae, Reſp. *Franciſcus Godofridus Weinzürll*, Mogunt. 4.

Wahre Eigenſchaften des Rheinweins, oder Beweiß daß der Rheinwein - - bey ietziger im Schwange gehender Weinſchmiererey auf keine Weiſe verfälſcht werden könne, von G. C. S. (GEORGE CONRAD SCHMIDT, M. D. et P. *Maynz*)

IOH. SCHOENBERG Diſſ. de cachexia Francof. ad Viadr. 4.

DANIEL GOTTFR. SCHREBERS *hiſtoriſch-phyſiſche und oeconomiſche Beſchreibung des Waids, deſſen Baues, Bereitung und Gebrauchs zum Färben, auch Handels mit ſelbigen überhaupt, beſonders aber in*

Thüringen, mit den Beylagen und einem Anhange dreyer alten Schriften, Halle, 4. mai.

DANIEL GOTTFR. SCHREBERS *Nachricht von den Raupen, welche in dem vorigen 1751. und ietzigen Jahre in verſchiedenen Thüringiſchen und andern angränzenden ſächſiſchen Gegenden an den Sommerfrüchten, der Gerſte und Hafer, groſſe Verwüſtungen angerichtet haben, und deren ſichere Tilgung, Halle, 4. m. K.*

PHIL. GEORG. SCHROEDER Diſſ. de convulſionibus ex haemorrhagia nimia oriundis, Marburg. 4.

CAROL. SCHVLZ. Diſſ. de obeſitate Lugd. Bat. 4. mai.

GOTTWALD SCHVSTER. Mechaniſmus venaeſectionis ſtabilitus et ruinoſus cum caſu et problemate practico, Chemnit. 4.

GERARD. IACOB SCHVTT. Diſſ. de proximo viſus organo, Trai. ad Rhen. 4. mai.

SCHWAMMERDAMS *Bibel der Natur, worinnen die Inſecten in gewiſſe Claſſen vertheilet und ſorgfältig beſchrieben, zergliedert, zum Beweis der Allmacht des Schöpfers angewendet werden, nebſt einer Vorrede* HERM. BOERHAAVE, *von dem Leben des Verfaſſers, aus dem Holländiſchen überſezt, Leipz. fol. m. K.*

MARTIN. GUIL. SCHWENCKE officinalium plantarum catalogus, quae in horto medico, qui Hagae comitum eſt, aluntur, Hagae 8.

AVGVSTIN SCILLA de corporibus marinis lapideſcentibus, quae defoſſa reperiuntur, addita diſſertatione FABII COLVMNAE de Gloſſopetris; edit. ſecunda aucta atque emendata, Romae, 4. max. c. fig. aen.

IO. ANDR. SEGNERI Diſſ. de ciborum digeſtione, Reſp. *Auguſtin Henr. Iacob. Mätcke*, Gött. 4.

Eiusd. Diſſ. de colica ſaturnina metallurgorum, Reſp. *Ioh. Willh. Ilſemann.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. qua probatur prophylaxin morborum non eſſe

esse peculiarem hygienes partem, Resp. *Hilmar Adolph Ludw. Giesecken*, ib. 4.

10. ANDR. SEGNERI Diss. de praerogatiua medicamentorum simplicium prae compositis, Resp. *Henric. Godofred. Iust. Varnhagen*, ib. 4.

10. IOSEPH SENGER Diss. inaug. de diarrhoea hypochondriaca, Erford. 4.

FRID. GVNTHER. SEVBERLICH. Pr. de hydrope omenti saccato, Francohusae, 4.

MATH. SHIFFNER. Diss. de sensibilitate febrili, Lugd. Bat. 4. mai.

The natural, experimental and medicinal history of all the mineral waters in 17. counties in England by THOMAS SHORT. Lond. 4. 2. Voll.

IOH. IVSTINEN SIEGMVNDIN, *Churbrandenburgische Hofwehmutter, Berlin, 4. m. K.*

Pantometrum eruditionis, maxime medico-chirurgicae, nouis principiis mathematicis praemunitum, methodo systematico-demonstratiua sistit GEORGE FRID. SIGWART, Paris, 4.

Eiusd. Diss. nouum problema chirurgicum de extractione cataractae ultra perficienda, Resp. *David. Mauchart.* Tubingae, 4.

An inqviry how far the vital and animal actions of the more most perfect animals can be accounted for independent of the Brain, in five Essays being the substances of the Chandos-Lecture for the year 1739. and some subsequent years, by THOMAS SIMSON, Edinburgh, 8. mai. c. fig.

A Treatise on the theory and practice of Midwifery, by W. SMELLIE, Lond. 8.

M. CLAVS SOEDERBERG Diss. de resistentia fluidi, Resp. *Peter Rudin.* Holmiae, 4.

SONTAGS *geheime Frauenzimmer- und Kinderapotheke, nebst einer Anweisung zur Geburtshülfe, 8.*

Opuscula physico-mathematica, Auct. BALTHAS. SPRENGERO, Hanover, 8.

GOTTLOB CAROL. SPRINGSFELD, Defenſio uberior per *Daniel Wilhelmi Trilleri* exercitationem alteram pleniorem de remedio habenarum atque arundinum extorta, qua recepta lectio loci cuiusdam SVETONII denuo vindicatur, et illatae iniuriae remouentur, Halae, 4.

ANDR. IOACH. STARCKMANN. Diſſ. ſiſtens HERM. BOERHAAVII et FR. HOFFMANNI in principiis mechanico-medicis conuenientiam et differentiam eorumque doctrinae ad praxin praeſtantiam, Altorf. 4.

STARICII *Heldenſchatz, d. i. naturkundliches Bedenken über und bey vulcaniſcher auch natürlicher magiſcher Fabrefaction und Zubereitung der Waffen des berühmten Helden Achillis in Griechenland, nebſt einem Anhang ſchöner zur Geſundheit, Scherz und Ernſt dienender Kunſt-Stücke, Berlin, 8.*

IO. HENR. STELD Diſſ. de ophthalmia, Trai. ad Rhen. 4. mai.

KIL. STOBAEI opuscula, in quibus petrefactorum, numiſmatum et antiquitatum hiſtoria illuſtratur in unum volumen collecta, Dantiſci, 4.

IO. CHRIST. STOCK Diſſ. de ſterilitate, Reſp. *Georg. Philipp. Schreck*, Ien. 4.

Eiusd. Diſſ. de rachitide, Reſp. *Hercules David Hennenhofer*, ib. 4.

Eiusd. Pr. de tuenda ſanitate in meditationum laboribus, ib. 4.

IOH. STORCHS *theoretiſche und practiſche Abhandlung von den Blatterkrankheiten, Eiſenach* 4.

CAROL. STRACK Diſſ. de reliquis inſtrumentis, quibus praeter contractionem cordis ſanguis in circulum agitur, Reſp. *Martinus Dries*, Mogunt. 4.

Tilförlätelig Beſkrifning om brännetorf etc. utgifwen af. IACOB STRANG. Stockholm, 8.

CAROL. GUIL. FRIDR. STRVVE, Exercitationes aca-

academicae, quarum 1ma materiam medicam nouam condendam tradit. 2da ideam acidi uniuerſalis methodo philoſophica exhibet; 3tia oratio panſophica de moderando ſtudio rei literariae, Erford. 8.

Eiusd. Diſſ. de medicamentorum effectuum ſimilitudine et aequalitate, Reſp. *Adam Eugen Fleſſe*, Ien. 4.

Zufällige Gedanken von der Natur, Eigenſchaft und Fortpflanzung der wilden Bäume, ingleichen, wie die Verbeſſerung der Herzoglichen, wie auch der Klöſter, Wayſenhäuſer, Hoſpitäler, Kirchen, Privat- u. Gemeinde Holzungen und Forſte, ſo wie überhaupt alſo insbeſondere in den herzoglichen Braunſchweigiſchen und Zelliſchen Landen, mit guten Nutzen und Fortgange vor die Hand genommen und ins Werk gerichtet werden könne. VON SYLVANDERN, *Wolfenbüttel*, 4.

Die Wartung und Auffütterung der Seidenwürmer, wie ſelbige mit Nutzen zu verrichten, und wie hoch ſich dieſer Nutzen belaufen könnte, von I. F. T. *Quedlinburg, 8.*

Relazioni d'alcuni viaggi fattti in diverſe parti della Toſcana, per obſervare le produzioni naturali e gli antichi monumenti di eſſa dal Doctor GIOVANNI TARGIONI TOZZETTI, Fiorenza, Tom. III. et IV. 8.

Eiusd. prima raccolta d'oſſervationi mediche, ibid.

HERMANN FRID. TEICHMEYER Inſtitutiones chemiae dogmaticae et experimentalis, edit. ſecunda, Ienae, 4. c. fig.

Eiusd. *Anweiſung zur gerichtlichen Arzneygelahrheit, Nürnberg*, 4.

An Enquiry into the origin, nature and cure of the ſmall pox, by THOM. THOMPSON, London, 8.

A diſcourſe on the preparations of the body for receiving the ſmall pox, by ADAM THOMSON, ib.

IACOB TOLL. Manuductio ad coelum chemicum, *die Handleitung zu dem chemiſchen Himmel, mit einer deut-*

deutſchen Ueberſetzung und einigen Anmerkungen, nebſt einer Vorrede, in welcher das Leben TOLLII *beſchrieben wird, 8.*

IOH. GOTTFR. TRESKEN *Tageregiſter über die Wirkungen der Electricität, welche ſich im Jahre 1752. an einem gelähmten gezeigt haben, Königsberg, 8.*

Librorum botanicorum catalogi duo, quorum prior recentiores quosdam, poſterior plerosque antiquos ad annum 1550. usque excuſos, ad ductum propriae collectionis breuiter recenſet, conſcripti a CHRISTOPH. IACOB. TREW. Norimb. fol.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia Londini in hortis curioſorum nutrita, manu artificioſa pinxit GEORG. DIONYS. EHRET. collegit, nominibus notisque illuſtrauit CHRIST. IAC. TREW. in aes incidit et viuis coloribus repraeſentauit, *Ioh. Iac. Haid.* Decur. IIItia Norimb. fol. reg. c. figg. aen.

DAN. WILH. TRILLER Diſſ. de pleuritide aeſtiua rarius occurrente, Reſp. *Eridr. Henr. Krieger*, Viteb. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de nociua cancri inueterati extirpatione nouis exemplis demonſtrata, Reſp. *Carol. Chriſtian. Titius*, ib. 4.

Abhandlung vom Ackerbau nach den Grundſätzen des Herrn TVLL, *eines Engelländers; Franzöſiſch herausgegeben von Herrn* DU HAMEL DU MONCEAU, *nunmehr ins Deutſche überſetzt, Dresd. 8. m. K.*

BASIL. VALENTINI *Triumphwagen des* Antimonii *mit* KERCKRINGS *Anmerkungen, neue Auflage, Nürnberg, 8.*

Abregé de l'anatomie du corps humain par Mr. VERDIER, à Bruſſelles, 2. Voll. 12. nouvelle edition.

MICH. LUDW. VERNAGE quaeſt. med. chirurg. utrum in inueteratis ulceribus remediis internis potius quam externis inſtituenda curatio, Reſp. *Honoratus Petiot.* Paris. 4.

GISBERT.

GISBERT. IAC. van VIANEN, Diſſ. de veſicula fellea atque ortu bilis cyſticae, Traj. ad Rhen. 4. mai.

RVDOLPH AVGVSTIN VOGELS *mediciniſche Bibliothek, darinnen von den neueſten zur Arzneygelahrheit gehörigen Büchern und Schriften ausführliche Nachricht gegeben und zugleich nützliche Erfahrungen nebſt andern Neuigkeiten bekannt gemacht werden, 1ter Band, Erfurth und Leipz. 8.*

Eiusd. *11. 12. und 13des Stück, ibid. 8.*

Cosmotheologiſche Betrachtungen der wichtigſten Wunder und Wahrheiten im Reiche der Natur und Gnaden zur Verherrlichung ihres glorwürdigſten Urhebers, zur Beſchämung des Unglaubens und zur allgemeinen Erbauung, Schrift- und Vernunftmäßig ausgefertiget von IOH. GOTTL. WALBURGER, *Chemnitz, 4.*

IO. GOTTSCHALCK WALLERIVS Diſſ. de artificioſa foecundatione immerſiua ſeminum vegetabilium, Reſp. *Iohannes Pihlmann.* Holmiae. 4.

Eiusd. Diſſ. Obſeruationes mineralogicae ad plagam occidentalem ſinus Bothnici, Reſp. *Erich. Hollberg.* Holmiae, 4.

IO. NICOL. WEISS. Diſſ. IIda quod alia ſenſatio alium motum inferat, Reſp. *Ioh. Starckmann.* Altorf, 4.

DANIEL WEISS *kurzer und nöthiger Unterricht von den Wirkungen oder den Nutzen und Gebrauch des von ihm ſelbſt verfertigten Bezoarpulvers und blutreinigenden Kräuterthees, 5te und in etwas vermehrte Auflage, Frankfurt an der Oder, 4.*

CHRIST. PHILIPP. WERNE, Diſſ. de Structura urethrae cum nidulante inibi contracta ex impura venere gonorrhoea. Lugd. Bat.. 4. mai.

Diſſertatio epiſtolaris ad virum illuſtr. D. IO. GOTTFRIED de HAHN, qua partem dubiorum alteram de

de variolis exponit, IO. GUIL. WERNER. Regimont. 4.

An Eſſay on the Virtues of Lime Water in the Cure of the ſtone, by ROBERT WHYTT, with an appendix containing the caſe of the Honourable HORATIO WALPOLE Eſq. written by himſelf. Edinburgh, 12.

GEORG WIDMERI Chimia corporis animalis cum lithogiognoſia et artificio aquas ſalſas dulcificandi, Argentor. 4.

CORNELIUS van WIERT. Diſſ. de epilepſia, Trai. ad Rhen. 4. mai.

IOH. HEINRICH WINCKLER *gründlicher und bewährter Vorſchlag, ſich von allen veneriſchen und podagriſchen, wie auch den meiſten langwierigen und eingewurzelten Krankheiten, auf eine leichte, ſichere und geſchwinde Art, gewiſs zu befreyen, Freyberg, 8.*

GERARD de WIND Diſſ. de hydrocele, Lugd. Bat. 4. mai.

Expoſition anatomique de la ſtructure du corps humain, par IAQUES BENIGNE WINSLOW; nouvelle edition corrigée de nouveau et enrichie de cinq planches et de l'explication qu'en a donnée Mr. ALBINUS, Amſterd. To. I - IV. 8.

Eiusd. quaeſt. med. an ad extrahendum calculum diſſecanda ad pubem veſica, Reſp. *Claud. Thom. Guilielm. Gilbert de Preval*, Paris. 4.

DAVID WIPPACHER Diſſ. de phlogiſto unionis rerum metallicarum medio, Reſp. *Georg Gottlob Küchelbecker*, Lipſ. 4.

IOH. PHILIPP. LAVRENTIVS WITHOF de pilo humano, Diſſert. 2da, Reſp. *Theodor. Ruys*, Duisburg, 4.

IACOB GISBERT. WOERTMANNI oratio de proxima ſede, quam anima in corpore occupat, Trai. ad Rhen. 4. mai.

Della

Della forza De Corpi che chiamano viva Lib. III. Auctore FRANCESC. MAR. ZANOTTI, Bologna, 8. mai.

Metodo circa l'uso della Purga e dell Salasso del GIOVAN VERARDO ZEVIANI, Verona, 4.

10. GOTTFRIED. ZINN Pr. de ligamentis ciliaribus, Göttingae, 4.

10H. FRIEDRICH ZITTMANN *Practische Anmerkungen von den Töplitzer Bädern, dem Böhmischen Bitter- und Bilinerwasser, auf Verlangen in einem medicinischen Rath aufgesetzt von* Dr. CHRIST. GOTTH. SCHWENKEN, *Dresd. 8.*



Contenta in hac Parte:

1. GESNERI operum botanicorum pars I. p. 385.
2. PRINGLE Obſervations on the diſeaſes of the army p. 393.
3. M OEHRINGII avium genera p. 409.
4. WOERTMAN Orat. de proxima ſede quam anima in corpore humano occupat p. 414.
5. WALLERIVS Diſſ. de artificioſa foecundatione immerſiua ſeminum vegetabilium p. 416.
6. HEBENSTREIT anthropologia forenſis. Edit. II. p. 418.
7. LOUIS lettres ſur la certitude des ſignes de la mort p. 420.
8. Hiſtoire de l'academie Royale des Sciences et belles lettres de Berlin, an. 1750. p. 426.
9. PARSON philoſophical obſervations on the analogy between the propagation of animals and that of vegetables. p. 438.
10. GMELIN Diſſ. de rhabarbaro officinarum p. 450.
11. SIGWART Diſſ. Nouum problema chirurgicum de extractione cataractae ultra perficienda proponens p. 453.
12. ZINN Pr. de ligamentis ciliaribus p. 459.
13. SIMSON an inquiry on the vital and animal actions independent of the brain p. 461.
14. *Hamburgiſches Magazin IX. Band* p. 473.
15. GMELINS *Reiſe durch Siberien.* III. *und* IV. *Theil* p. 485.
61. Noui commentarii academiae ſcientiarum imperialis Petropolitanae. Tom. II. p. 501.
17. HVXHAM obſeruationes de aere et morbis epidemicis p. 517.
18. GIANELLA Trattato di medicina preſervativa p. 524.
19. HEBENSTREIT de homine ſano et aegroto carmen p. 533.
20. HEERKENS de officio medici poema p. 539.
21. Nova medica p. 543.
22. Continuatio indicis ſcriptorum medico-phyſicorum an. 1752. p. 565.

p. 385.
p. 393.
p. 409.
p. 414.
p. 416.
p. 418.
p. 420.
p. 426.
p. 438.
p. 450.
p. 453.
p. 459.
p. 461.
p. 473.
p. 485.
p. 501.
p. 517.
p. 524.
p. 533.
p. 539.
p. 543.
p. 565.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS II. PARS IV.

LIPSIAE
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH,
venduntur etiam
AMSTELODAMI apud PETRVM MORTIER.
M D C C L I I I.

Jos: Banks



I.

Hiſtoire de l'academie royale des ſciences année MDCCXLVIII avec les memoires de mathematique & de phyſique pour la meme année tires des regiſtres de cette Academie. a Paris de l'imprimerie royale 1752, 4 maj. Hiſt. 16½ pl. Mem. 3 alph. 9 pl. tab. 27.

Hoc eſt:

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum anni 1748 cum commentariis mathematicis et phyſicis, ad eundem annum pertinentibus &c.



Nouum hoc commentariorum volumen, ab illuſtri ſocietate editum, non minus quam praecedentia, obſeruationes medico-phyſicas, noſtra ideo attentione dignas, continet. Indicabimus breuiter, quae in hiſtoria occurrunt, et ad commentarios ipſos poſt ea progrediemur.

In obſeruationibus, ad phyſicam generalem pertinentibus, occurrit p. 27.

1) Obſeruatio Cl. DE MONTALEMBERT de luciis piſcibus, in lacu *Gabard*, prouinciae Engoliſmen-

sis (*Angoumois*) captis, qui vel coeci vel coclites inventi fuerunt, oculo ut plurimum dextro primum vitiato. Lacus ille est gurges, cuius fundus attingi nequit, et piscatio in eo difficilis, cum insulae quasi cespitosae in aquis fluctuent; mediante riuulo cum fluuio, *Lissonne* dicto, communicat, in quo nunquam lucii coeci deprehensi fuerunt.

p. 29. 2) Cl. GEER erucam magnam bicaudatam salicis dissecuit et vesiculam ratione corpusculi satis magnam inuenit, in qua liquor contentus est, quem illa cum impetu eiicit *.

p. 30. Datur simul recensio amplior voluminis quarti praelectionum physicae experimentalis (*Leçons de physique experimentale*) Cl. NOLLETI quod duodecimam, decimam tertiam et quartam praelectionem continet et de aqua & igne potissimum agit.

p. 58. Inter obseruationes anatomicas locum habent sequentia:

1) Cl. TOISON, chirurgus Brestiensis, vaginam uteri feminae cuiusdam adeo angustam deprehendit, ut vix plumae tubum admitteret, grauida vero illa reddita, partus tempore instante adeo dilatatam fuisse comperit, ut infans feliciter excluderetur.

2) Cl. BARON, Medicus Luconi, academiae de casu retulit in femina obseruando, quae tredecim per annos tumidum ad modum abdomen circumferebat. Facta post mortem sectione, cutis abdominis, unius et dimidii digiti crassitiei, musculi vero ad dimidium molis extenuati detegebantur, et sub peritonaeo demum ingens tumor scirrhosus, quem disquisitio uterum esse tumidum ostendebat, haerebat, quadraginta et quatuor librarum pondere. Coalita inter se, mirabili intercedente vasculorum rete, erat vagina, originem autem dederat, imprudenter tempore catameniorum pedibus applicatum, balneum.

3) Duos

* Vid. Commentarior. nostr. Vol. I. Part. I. p. 41.

3) Duos enitebatur alia femina infantes, quorum poſtremo prodiens loco, biceps erat. Quodque caput ſuae inſiſtebat vertebrarum ſpinae, ad os ſacrum demum utrinque coniunctae, pulmonum haerebat in utroque pectore unus, cor erat ſimplex, ſed duplici ſerie vaſorum inſtructum, hepar etiam ſimplex, ita tamen medium diuiſum, vt duplex etiam veſicula fellea ineſſet, ventriculus et inteſtina tenuia duplicia erant ad coecum uſque, ubi ſibi inuicem iungebantur. Coſtae in unicum medium ſternum immittebantur, poſterius tamen aliae breuiores utramque ſibi iungebant vertebrarum ſpinam.

4) Exemplo BOVVARTI confirmatur efficacia corticis chinae contra gangraenam, quo adhibito coercita illa fuit, abſtinente ab eius uſu aegro, mox progreſſus fecit, denuo dum aſſumebat eundem, ſopita tandemque perſanata.

5) Singulare exemplum notat BERRYAT, Medicus Antiſſiodori, feminae, in qua, in omni corporis loco, nullus arteriarum motus obſeruatus eſt, quod a cordis ſtructura pendere ille putat, cui ventriculi forte nimis anguſti dati fuerint. Femina vero ſymptomata experiebatur omnia, quae ab imminuta pendent circulatione, et macilentum ad modum debilemque edebat infantem.

In obſeruationibus chemicis illa Cl. DV HAMEL de lapide, (*pierre de Griſele*) ad ripam canalis aurelianenſis reperto, calcinato et mediante aqua extincto occurrit, quae ad experimenta de calce viua, ab eodem auctore inſtituta, pertinet *. p. 69.

Ad obſeruationes botanicas refertur virtus venenata digitalis maioris flore rubro, caſu quodam in meleagride obſeruata, et paulo poſt experimentis pertentata.

* Vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. II. p. 204.

p. 1. Primum inter ſcripta Academiae eſt Cl. DV HAMEL *de aere in noſocomiis omnibusque locis, ubi reſpirationi ineptus factus eſt, renouando* *. Vaporum, quibus impraegnatus eſt aer, magnum eſſe in ſtatum corporis noſtri influxum, probat exemplis plurimis; ſaliuatione, fumo mercuriali excitata, morbis eorum, qui metalla coquunt, variolis ex puluere eo, quod in ſanguinem vulgari inoculatione introducitur, per nares ſumto, natis, urinae eorum, qui terebinthina occupantur, odore violaceo & ſimilibus. Neque vero aliena omnia aeri mixta nociua ſunt, cum vapores aromatici prodeſſe poſſint. Morborum autem venenum, cum per excrementa ſudoremque potiſſimum abeat, probabile particulas volatiles, quae ex his in auras abeunt, ſanitati conducere non poſſe, exhalationes etiam fermentantium et putreſcentium materiarum nocere. His probandis plures obſeruationes adducere ſuperfluum eſſet. Etiam robuſtiſſimi, qui noſocomium Pariſienſe (*hôtel-dieu*) ingrediuntur, morbum perferunt, donec infecti eius aeris conſuetudinem contraxerint, et operationes quaedam chirurgicae, etiam ab exercitatiſſimis ibi ſuſceptae, bene numquam cedunt. Sunt vero, quae aerem inficiunt, in nauibus quidem eſculentorum corruptorum, hominum tranſpirantium et ſudore diffluentium exhalationes *cet.* in noſocomiis vapores, ab aegrotis, ut ante diximus, exeuntes, item, qui ab emplaſtris et medicamentis proficiſcuntur. Haec omnia conſtat aere leuiora eſſe, ſicque in ſublime tendere; nam ſi in noſocomio mediocriter infectus aer in locis inferioribus ſentitur, ſcalae vero ope ad ſummam altitudinem adſcendas, ibi non amplius, ferendum ſenties. Igitur poſſet utcumque renouari aer feneſtris lacunari vicinis effectis, quae aperiri poſſent, ut aer infectus exeat, praecipue, ſi ignis in noſocomio accendi queat, elatere aucto, illum fortius expulſurus:

* Lectum d. 27 Mart. 1748.

rus: Perperam plerumque feneſtrae in noſocomiis prope fundum ipſum, fere lectis aegrotorum inferiores ponuntur, tum, quia ſic nubes illa vaporum in ſublimi degens non educitur, tum, quia frigidus aer, qui intrat, ſic directe aegrotos ferit. Noſter p. 4. vero iubet, ut in noſocomiis hoc modo conſtructis, quae nempe carent feneſtris ſublimibus, fiat in lacunari foramen, aut duo etiam, ſi magnitudo loci id poſtulet, fiant foramina, a quo hoc foramine in ſublime vergat ductus gracileſcens, quo magis attollitur, ſupra tectum aedium adſcendens, fumariis ſimilis, niſi quod tribus aut quatuor vicibus amplior ſit. Intelligitur inde vaporum aliquem egreſſum per hoc cauum futurum. Huius rei experimentum iam cepit auctor, non quidem in noſocomio, ſed in domo quadam, ubi fimi odor ob plurimos equos, ibi ſtabulantes, maxime incommodus erat. Parte ſtabuli quadam a reliquo ſeparata, in hac parte velut eius modi fumarium efformatum eſt, ſupra tectum domus adſcendens, ſicque ne equorum quidem odor, proxime ad ſtabulum habitantibus ſentitur. Illi fumi ductui, de quo diximus, ſi ignis tantillus ingeratur, quod fieri utique facile poteſt, ſuſtentacula ferrea ipſi inſerendo, quibus incumbant materiae conflagrantes, hoc augebitur fluxus aeris, omniaque melius ſuccedent. Multum igitur prodeſt, tectum eius modi locorum, *cupolae*, quam architecti vocant, forma conſtrui, quo modo aer figura tecti ipſius purgatur; tale eſt Lugduni in noſocomio, ibique in medio aegrotorum vix male olet, ſed in ſumma cupola teterrimus odor ſentitur. Duo ſaltim hic incommoda ſunt, quod minus potenter eius modi tecta aerem purgent, et quod frigidiora ſint loca, quibus imminent, calore omni in aerem adſcendente, utrique autem medetur fumi ductus Auctoris, qui valuula, utcunque libet, anguſtior reddi, immo penitus claudi poteſt. Ignis accenſus refrigerabit aerem,

non calidiorem reddet, expellit enim infectum, cuius loco nouus frigidus intrat, qui, ne noceat aegris, facile praecaueri poteſt. Folles non damnat Auctor, ſed hos ſuos fumi ductus illis praefert, quoniam ut agant, robuſtis hominibus non indigent, et facile a debili quouis ſene, valuulae ope regi poſſint, neque ſonitu ſuo aegrotis moleſti ſint. Similis conſtructio ad naues transferri poteſt, et eodem fere modo impediri, ne loca, quibus excrementa recipiuntur, tetrum odorem ſpargant. Haec Auctor illuſtrat figura, quo modo in naui ductus hi applicandi ſint, monſtrante. Poſtquam praelegerat ſcriptum academiae, prodiit liber Auctoris angli SVTTON gallice verſus. In eo ſimilis vero conſtructio aeri nauigiorum purgando idonea exponitur, ſed anglicis apta, ut noſtri gallicis.

P. 35. 3) *Commentarius ſecundus de arſenico*, Auctore Cl. MACQVER *. Phaenomena, quae arſenicum in experimentis cum nitro et baſi eius alcalina exhibuerat, in primo commentario propoſuerat Cl. Auctor **, nunc ad reliqua ſalia progreditur. Octo uncias ſalis communis cum ſimili quantitate arſenici triturando combinauit, ex retorta deſtillauit, et ita tantum acidi ſalis communis obtinuit, quantum obtinemus, ſi ſal commune per ſe deſtillatur, igne auCto, arſenicum ſublimatum fuit, et poſt ea vehementiſſimo quoque igne adhibito, nihil amplius prodiit. Vaſis deinde refrigeratis, ſal commune, in fundo retortae reperiundum, parum arſenici admiſtum habebat, quod igne libero expelli poterat. Arſenicum itaque acidum ſalis, non ut acidum nitri expellere, ſeque cum baſi alcalina ſalis communis combinare potuit. Idem experimentum addito mercurio repetitum fuit, quo mercurius, acido ſalis iunctus, arſenico

* D. 31 Mai. 1748.

** Vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. II. p. 288.

ſenico coniunctionem cum baſi ſalis communis permitteret, ſed idem fuit ſucceſſus experimenti, ut in praecedenti caſu. Tandem alcali fixum, cum ſale communi commiſtum, et ſali huic, ſicco facto, arſenicum additum fuit, quo appareret, an baſis alcalina, an acidum ſalis communis coniunctionem reſpueret, ſed euentus erat, ut in praecedentibus experimentis. Acidum ſalis vero inſignem cum arſenico affinitatem habere cognouit Cl. Auctor, quam tamen alibi, ubi de acidis, arſenico iunctis, aget, diſquirendam ſibi ſumet, nunc tantum oſtendit, arſenicum compoſitionem ſalis communis nullo modo deſtruere poſſe. Sal ſodae porro cum arſenico combinare tentauit; p. 39. hoc itaque, in lixiuio ſalis ſodae ſoluto, liquor ſoluens colorem brunum ſuſcepit, odorem ingratum diſperſit, glutinis inſtar inſpiſſatus et tandem prorſus in ſolidam maſſam coactus fuit; quae quidem phaenomena ſolutio arſenici in lixiuio nitri fixi quoque exhibuerat. Et reliqua experimenta ſimili ferme modo ſucceſſerunt, obſeruata tamen fuit in praeſenti aliqua criſtalliſatio, quae in experimentis, cum nitro fixo inſtitutis, nulla erat. Coniunctio arſenici cum ſale ſodae in via ſicca, in collo retortae arſenicum ſublimatum, in fundo autem maſſam ſalinam exhibebat, quae eiuſdem indolis erat, ut nitrum, per arſenicum igne libero fixatum. Cum vero Cl. Auctor et his aliisque laboribus ſal p. 40. arſenicale neutrum obtinere haud poſſet, baſin alcalinam ſalis communis cum nitri acido coniunxit, et nitrum quadrangulum effecit, a quo acidum mediante arſenico ſeparauit. Primo tentamine, poſtquam plurimi flores arſenicales apparuerant, ignem non auxit, ne ſal neutrum quaeſitum, ſi forte formatum eſſet, iterum deſtrueret, cum vero ea ratione nihil obtineret, in altero tentamine ignem auxit, uſque dum nec flores arſenicales, nec ulli vapores aſcenderent, quo facto reſiduum hemiſphaerium, vitro

transparenti simile, sistebat, quod tamen paulo post in lacteum colorem mutabatur et humiditatem attrahebat. Pars vero, dum sicca erat, contusa et in aqua soluta, vehementer incalescebat, et euaporatione facta cristalli prismaticae quadrangulares rectangulae, in apicibus pyramide quadrangulari rectangula terminatae, in conspectum prodibant, quae ideo figuram salis neutri arsenicalis optime referebant.

p. 43. Ex his omnibus concluditur, arsenicum in sal commune ideo non agere, ut in nitrum, quoniam acidum impedimento est, basis enim alcalina actionem admitteret. Salis huius medii arsenicalis examen, et comparatio cum simili, ex decompositione nitri parato, post modum suscipitur, quo appareat, in quibus conditionibus haec conueniant vel discrepent.

p. 45. Ad experimenta, cum sale ammoniaco et sale ammoniaco nitroso suscepta, enarranda Cl. Auctor progreditur. Octo itaque uncias arsenici cum simili copia salis ammoniaci combinauit et ex retorta igne sensim aucto destillauit, parum alcali volatilis primum, post ea flores arsenici, tandem retorta, ab igne aucto incandescente, massa e fundo eleuata in duas laminas secessit, quarum superior arsenicalis, inferior sali ammoniaco simillima, inueniebatur. Arsenicum itaque in sal commune non agere cognoscitur. Alia tamen ratio est salis ammoniaci nitrosi, cuius octo unciae, cum simili quantitate pulueris arsenici commistae et ex retorta destillatae, rubros nitri spiritus primum, et massa, igne fortiore fluida reddita, sub ebullitione mistos vapores rubros et albos emisit, qui partim vas recipiens obscurarunt, partim per rimas luti transierunt, magna tamen liquoris quantitas inter ea temporis in vas recipiens transiit. Hoc mutato magna ignis vis applicanda erat, ante quam guttulae ascenderent, quae alcali volatilis signa praebebant, tandem massa in fundo relicta fusa, flores pauci arsenicales in collo apparebant, residuum autem

tem vitro ſimile erat, humiditatem attrahebat, et in aqua ſolutum lacteum colorem producebat. Cum itaque hac ratione ſal arſenico-ammoniacale inueniri non poſſet, experimento repetito cautius verſatus eſt Noſter, ſed et hoc non ſuccedente, tertia demum vice, igne lentius auctо, reſiduum obtinuit, criſtallos ſalis quaeſiti poſt ſolutionem et euaporationem exhibens. Harum affectiones breuiter enarrat, nos tantum monemus, plurimas cum phaenomenis reliquorum ſalium neutrorum arſenicalium conuenire. Alcali fixum et calx viua, expellendo alcali volatile et cum arſenico ſe combinando, ſal arſenico-ammoniacale diſturbant. Ignis fortior idem praeſtat, acida tamen mineralia applicata ſimilem effectum non producunt. Omnia vero ſalia arſenicalia neutra contactu phlogiſti facile diſturbantur; hoc enim partem arſenicalem in regulum mutat, et baſin ſalis quamcunque liberam relinquit. De ſale, quod ex arſenico-ammoniacali ſale, cum calce viua tractato, exſurgit, et cuius cauſa obſeruationem Cl. HELLOT p. 50. de terra abſorbente, arſenicum figente, huic commentario ſubnectit, in alio commentario Cl. Auctor fuſius dicturus eſt.

5) *De cauſis ebullitionis liquorum* Cl. NOLLETVS diſſerit *. p. 57. Vulgo ebullire dicuntur liquores ob aerem, quem continent, igne dilatatum. Sed cum omnes ad ſiccitatem uſque ebulliant, tantam aeris copiam, quae omnibus his bullis formandis ſufficiat, ineſſe vix credi poteſt: aer etiam diuerſa valde copia in variis fluidis continetur, quae tamen aequaliter ferme ebulliunt. Cogitauit igitur de colligendo eo, quod ex liquoribus bullientibus exit, vitrique, quo ad thermometra utuntur, mercurio ſemipleni, orificio veſicam cyprini alligauit, ſic vt recipere poſſet, quicquid emitteret mercurius, nihilque in auras abire

* Menſ. Iun. 1748.

ire pateretur. Vitro autem carbonibus impoſito, inſigniter ebulliit mercurius, veſica vero vix volumine tantillum aucta eſt, et remotis omnibus ab igne, rurſus flaccida euaſit, cum tamen, ſi aereae fuiſſent bullulae omnes, debuiſſet inde a primis ebullitionis momentis rumpi. Exiguum illud voluminis augmentum, a calore ſupra mercurium conſtituto, calore expanſo natum. Ita ſaepius, dum barometra confecit, poſtquam certum caloris gradum nactus erat mercurius, aerque parietibus vaſis internis adhaerens, eos dereliquerat, ſuprema, ut exiret, petens, obſervauit Noſter alias bullas, eo loco natas, ubi ignis actio vehementiſſima erat, quas per aliquod tempus aereis ſimiles credidit, ſed correxit errorem, dum vidit in hoc ab aereis differre, quod ſubito naſcantur, ſine fine in eodem loco perpetuo multiplicentur, et cum ad eum locum delatae ſint, ubi mediocris ſaltem eſt mercurii calor, euaneſcant; unde colligit, non ab aere naſci, ſed ab alio quodam fluido, quod vel per poros tubi tranſeat, vel fontem in mercurio ipſo habeat. Etiam quae aeolipilae contingunt, non probant, vel expanſum aerem eſſe ventum, illum, qui dum incaleſcit, ex machina ſpirat, vel magnas eſſe aeris,
p. 60. intra aquam concluſi, in euaporatione partes. NOLLETVS tubulum anguſtum, in quem exit aeolipila, recuruum, vaſi aqua frigida pleno indidit, viditque deſcendente fluido ex aeolipila in frigidam, non bullas aereas, ſed continuum liquoris fluxum. In vitro tenui cylindrico, cuius duas tertias aqua ex ſequana hauſta repleuit, cum illud filorum ope ſuper carbones ſuſpenderet, vidit 1) bullulas ad fundum et latera vaſis, item circa thermometrum ei inditum natas, 2) vaporem ſubtilem, qui augeſcente calore ad gradum 70 thermometri Reaumuriani, a fundo vaſis ſurgebat, ei ſimilis, qui circa fumi ductus fornacum, ubi valde incaluerunt, ſpectatur, ille vapor per ſaltus adſcendebat, et aquam ita turbabat, ac ſi ſpiritus

tus vini cum ea miſceri inciperet, 3) cum calor 75 gradus attingeret, fila veluti fluidi magis diſtincta, rapidioremque in motum concitata, fundum vaſis, ubi oriebantur, velut infinitis exiguis canalibus pervium oſtenderunt, per quos continuo et promtiſſime velut linguas exiguas tranſparentes, exſilire vidit, a baſi ad apicem duas circiter lineas altas, et in inſtanti omnem maſſam aqueam fluido peregrino replentes, cuius particulae ſub granulorum aut particularum imperceptibilium forma velociter adſcendebant, liquorem vero minus tranſparentem efficiebant. Hae linguae exiguae, colore excepto, ſimillimae erant flammae, quae viam ſibi per corpus aliquod aperit, quae ſimilitudo, ubi magis et ad 80 gradus incaluerat fluidum, maior adhuc euadebat. Vaporem hunc ſubtilem pro ignis materia habet, poros vitri permeante, et ſubtiliſſimis forte alimenti ſui partibus mixta. Nam copioſiſſime apparet in locis vaſis, igni maxime expoſitis, et in fluido maxime feruente. Quae accuratius examinaturus, fundo cucurbitae gut- p. 70.
tulas aquae impoſuit, eaſque ſpiritu terebinthinae ad digiti altitudinem texit, viditque, dum igni omnia admoueret, lingulas illas adſcendere, poſt rotundiores fieri velut veſiculas, ſpiritu terebinthinae circumdatas, quem fortiter agitabant, donec aqua in vapores abiiſſet. Similiter butyrum aliaque pinguia, aquae praefato modo ſuperinducta, effecerunt, ut a calore multo minore ebullirent, quam qui alias ebullitioni illorum neceſſarius erat, ſi ſola deberent ebullire. His experimentis nixus aſſumit, a vaſe, quod, quantum caloris habere poteſt, concepit, ubi magis adhuc incaleſcit, tranſmitti hunc calorem in ſtratum aquae ſibi proximum, ſicque hoc ſtratum in vapores mutari, modo quem ante deſcripſimus, per reliquam fluidi partem, tranſeuntes, dumque tranſeunt, motum illum ebullitionis efficientes. Hinc, quae difficilius in vapores abeunt, et in minutiſſimis particulis,

lis, ut metalla vera, non ebulliunt, mercurius vero, etsi metallis omnibus uno excepto denſior, tamen ebullit, quia facile in vapores abit. Vaſculum vitreum alii maiori indidit, utrumque aqua repleuit, et cuncta ſuper carbones ſuſpendit, velut *balneum maris* aliquod efficiens. Ebulliit aqua in maiori vaſe, non in minore, licet vix dimidio gradu ea, quam vas maius continebat, minus calida. Scilicet non poterat vitrum, ex quo vas minus conſtabat, plus caloris habere, quam aqua ipſa ebulliens, ei circumfuſa; hinc quam ipſum continebat, aquam ad ebullitionem perducere non poterat, quoniam non poterat nanciſci gradum caloris maiorem gradu caloris in aqua ebulliente. Sed ſi vaſculo minori aquae loco inditur fluidum facilius, quam aqua in vapores abiens, ſpiritus vini puta, ebullit. Hanc ſuam theoriam vlterius experimentis pneumaticis probat, quae figu-
p. 95. ris deſtituti deſcribere hic non poſſumus. Colligit ergo ebullitionem oriri a fluido tenuiſſimo vaſa permeante; an id ignis ſit, an pars ſubtiliſſima aeris, cui peruium vitrum eſſe MAIRANVS in tractatu de aurora boreali oſtendit, in dubio relinquens. Si campanae, qua in experimentis cum antlia inſtituendis utuntur, interna ſuperficies vaporibus obducta eſt, abeunt illi vapores poſt paucas emboli agitationes. Neque dici poteſt, eſſe inter hos vapores et vitrum aeris elaſtici portionem, qui eos ſecum ferat; nam ſi, poſt quam eductus aer eſt, rurſus immittatur, denuo vapores internam campanae ſuperficiem obducunt, et rurſus poſt exantlationes aliquot abeunt, ubi dici non poteſt, aerem, dum intrabat, exacte ſe ſuperficiei campanae internae applicuiſſe, ut inter illam et vapores poſt adhaerentes conſtiterit. Auferuntur ergo vapores a fluido quodam, vitri poros permeante, illosque ſecum abripiente, quod uberius Noſter explicat. Deinde oſtendit veſicas, quibus vaſa liquores continentia clauduntur, aquae peruias eſſe,

non

non item ſpiritui vini. Spiritum vini ab aere purgatum vaſculo indidit, experturus, num denuo ebulliturus eſſet; vaſculum ſpiritu vini plenum, veſica clauſit, et, ne intraret aer, in maiore vaſe intra aquam ita collocauit, ut aqua tegeretur. Poſt aliquot horas, tumentem veſicam vidit, non quod a maiore aquae, quam ſpiritus calore expanſa huius maſſa fuiſſet: nam experimentum repetiit, utroque liquore eumdem caloris gradum habente; ſed quia aqua intrauerat. Nam inuerſum experimentum inſtituens, et vaſculum aqua plenum, ſimiliter clauſum, intra ſpiritum vini collocans, cauam veſicae ſuperficiem reperit, ut aquam exiiſſe neceſſe ſit, immo vacuum in vaſculo conſpicuum idem teſtabatur. Oportet vero, ut veſica a ſpiritu vini humectetur; nam vaſculum ad partem dimidiam plenum ſpiritu, intra aquam ponens, nullam mutationem vidit, ubi erectum ſtabat, ſed, cum inuerteretur, ut humectaret ſpiritus veſicam, intrauit aqua. Conſtat igitur, per veſicam ſpiritu vini humectatam intrare aquam, ut per ſpongiam intrat; et alio adhuc experimento oſtendit, ſpiritum vini attrahere velut aquam in vaſculum, ita vero deinde mutare, ut redire per poros veſicae nequeat.

7) *Hiſtoria de fortu in urbe Campaniae*, Joigny, p. 108. *qui per triginta et unum annum in utero materno reſtiterat, cum adnotationibus*, auctore MORANDO. Praeter conſuetum homini deſtinatum terminum in utero reſtitaſſe embryones mortuos, ſine eo, ut periculum putredinis ingrederentur, non unico innotuit exemplo, et hoc etiam, cuius deſcriptionem academiae tradiderunt, BOVRDOIS et CHOMEREAV, Medici Joignenſes, uberius confirmatur. Vxor, operarii hominis, ad parturiendi tempus feliciter accedens, dolores etiam partus per duos experiebatur dies, qui poſt ea euaneſcentes, uterum denuo contractum,

ctum, notante obſtetrice, relinquebant, licet motum in abdomine infantis ſe percipere adhuc affirmaret mater. Quo facto de ſectione caeſarea conſilium capiebant mediei, quod vero reſpuebat mater. Hinc aliquoties aegra reddita per triginta tamen annos vixit. Sed catamenia non experiebatur, et lac in mammis alebat ſemper. Ea tandem catarrho extincta, in abdomine conſpiciendam dedit maſſam oualem, ſcirrhoſam, capitis humani magnitudine, epiploo, peritonaeo, meſenterio et uteri fundo adfixam, ex tuba uteri dextra quaſi procedentem. Pondus maſſae octo aequabat libras, apertis dein, quae illud obvoluebant, inuolucris, infans maſculus protrahebatur, craſſa cute veſtitus, crinibus dentibusque inſtructus inciſoriis, rite formatus, nullo tamen fluido circumdatus. Inuolucra partim oſſea erant, partim cartilaginea, duarum linearum craſſitie, ſecundinae fere his ſimiles, quoad externam ſui ſuperficiem etiam aſperae, tuberculatae, interius cum embryone hinc inde firmius coniunctae. Vterus reliquaque matris viſcera rite ſe habebant. Huic igitur relationi ſuas nunc ſubiungit meditationes Cl. MORAND et de variis, cum hoc conuenientibus alibique notatis, exemplis diſſerit, ex quibus, cum de Muſſipontano, Dolano et Londinenſi adhuc dubia res ſit, Se-
p. 113. nonenſem foetum, a de THOV deſcriptum, Toluſanum, a BAYLE adumbratum, aliumque ex Sueuiae urbe, Leinzell dictum, adducit, conuenientia aeque ac diſcrepantia phaenomena inter ſe comparans. Nihil autem in matribus obſeruatum fuit, quod de eius modi euentu potuiſſet ſuſpicionem mouere, tempore vero, quo partus fieri debuiſſet, praeterlapſo cum doloris, non nunquam molis quoque abdominalis imminutione, vita in aliis languidior, in aliis paullo vegetior, aſt pondere in abdomine ſtipata, reſtitit ſemper. Illa demum, quae extra uterum gerebat foetum, Sueuica mater, inter ea temporis duos viuos

enixa

enixa eſt infantes. Verum, quod ſi corrumpatur infans, intra matrem adhuc detentus, non obſcura eius ſunt indicia, ut ea propter in eo tantum diſpiciendo operam ponat Cl. Auctor, quo probet, qua ratione potuerint hi embryones ſine omni corruptionis phaenomeno vel in tubis, utero adnexis, vel in ipſo utero, vel extra eum conſeruari. In hoc itaque argumento illuſtrando ad mutationes uteri, foetus inuolucrorum, ipſiusque foetus primo reſpicit, deinde, quid matri inde eueniat, perpendit, indicia, quibus eius modi grauiditas cognoſcatur, colligit et remedia, quibus matri in tali ſuccurrendum ſit caſu, recenſet. Matrix vero caſdem, ac reliqui cy- p. 116.
ſtici tumores experitur mutationes; incraſſeſcit nimirum, durior et haud raro cartilaginea vel oſſea euadit, inuolucra porro foetus, utpote membranacea longe citius faciliusque indurantur, id, quod notata iam docent exempla, foetus tandem ipſe vix in lapidem, ut non nullis viſum eſt, conuertitur, id, quod naturali foetus conformationi aduerſum eſſe putat Cl. Auctor, cruſta tamen oſſea obduci poſſe concedens. Membranacea namque, cui inhaeret embryo, cyſtis indurata premit eundem, ipſa ab ambientibus compreſſa partibus, ita quidem, ut, ſi ab omni latere aequalis contigerit preſſio, ſphaericam etiam contrahat formam. Compreſſio porro fluida expellit, quae circa ſuperficiem foetus nunc haerentia et inſpiſſantur et a calore accedente duritiem contrahunt, lapidi ſimilem. Neque ea quidem ſemper ad hunc uſque p. 119.
procedit gradum, aliquando exſiccatio tantum fit in foetu, quod brutorum animantium exemplis demonſtrauit ROMMELIVS in libello, *de foetibus leporinis extra uterum repertis.* Quicquid autem eorum contigerit, ob introductam ſiccitatem aerisque acceſſum impeditum, a putredine liberi ſeruantur foetus. Sed mater etiam haud grauia inde perſentiſcit incommoda, quod, ſi in utero haeret embryo, huius viſceris

ſitus ea auertit, ſi in tuba, illa cum propinquis, ut in relato etiam caſu factum eſt, plerumque concreſcit partibus, ſi extra uterum ponitur, nec tunc, cohaeſionem cum aliis partibus faciendo, iniurius in re-
p. 121. liquâ viſcera eſſe poteſt. Signa deinde eius modi euentus collecturo medico ad omnes attendendum eſt conditiones, ad grauiditatis verae terminum feliciter accedentem matrem, ad ſymptomatum, quae partui competunt, ceſſationem, ad pondus remanens, ad ſignorum ſcirrhi vel abſceſſus abſentiam, ad membrorum non nunquam per tactum exteriorem factam perceptionem, tandemque, quo de parte, in qua latet foetus, certior fiat, ad tumoris ſitum. Quibus ſi in vitae periculum incurrere matrem videat medicus, nullum praeſtantius erit ſectione caeſarea, remedium, quod ocius ſi adhibeatur, ſine metu ulterioris damni proficuum extitiſſe, in hoc etiam caſu enucleando doctiſſime euincit Cl. MORAND.

p. 133. 9) *Ephemeris obſeruationum de ortu, progreſſu atque exitu morbi iſtius contagioſi, qui in urbe ducatus Burgundiae,* Iſſurtille *nominata, graſſatus fuit.* Auctore Dno DE COURTIVRON. Eam in primis ob cauſam eae obſeruationes traduntur eſſe utiles, cum in nullo fere alio loco tam accurate inſtitui potuerint. Totus enim armentorum grex a primo inuaſionis tempore per omnem morbi durationem in urbe detentus fuit: in pluribus vero aliis locis iuniores potiſſimum vaccae, quam primum fieri potuit, in alia loca deductae fuerunt, numero inde incerto facto. Sub finem anni 1747 initiumque alterius proxime ſubſequentis iſta peſtis, quae in magna Europae parte huc uſque inter boues ſaeuiit, in modo dictam quoque urbem irrepſerat, dum bouem emerat incurius lanio labe iſta infectum, eumque in ſtabulum duxerat, in quo iam aderat vacca ſana, quae inde omnium prima morbum experiebatur. In tranſitu

monet

monet Cl. Auctor, aegrotantem istum bouem cum aliis quoque infectis per varia quidem loca coactum fuisse, haec vero nullum inde damnum percepisse. Describit deinde *morbi* ipsius *symptomata*, quorum primaria fuerunt: lippitudo, tenuis seri per nares effluxus, caput propendens, respiratio impedita, appetitus prostratus, alui fluxus ab initio morbi ad eius usque finem semper praesens, excrementa viridia, flaua et pessime olentia, insigne celeritatis pulsus augmentum, ita, ut tangentem digitum intra unius minuti horae tempus quinquaginta ictibus feriret arteria, cum in statu naturali atque sano vix ad octo et triginta ictus ascendere soleat; porro vehemens tussis, tunicae oculi coniunctiuae inflammatio, et vix non perpetuus tremor, quae vero ultima tria symptomata non in omnibus obuenere. Vrinae quoque incontinentia in iis obseruata fuit animalibus, quibus aluus non crebro fluxit; et contra in iis, quae copiosam ventris fluxionem expertae sunt, urina parcior fuit. In *dissectis* mortuorum cadaueribus in genere caro musculorum liuida, intestina crassa flaccida et gangraena atque sphacelo tacta, et vesicula fellea valde distenta atque copiosa bile aquosa repleta, sine conspicuo hepatis vitio, apparuerunt *. Quo p. 136.

 diutius

* Huius inter contagiosi boum morbi a Dno DE COURTIVRON descriptam historiam, aliumque de hoc argumento, a Wratislauiensi medico, Cl. IO. ERNESTO STIEF exaratum, commentarium, quem inuenire licet in *Promptuarii Hamburgensis* tomo sexto pag. 390, insignem inuenimus conuenientiam. Ex eo hic loci in primis notari meretur, quod is ipse Vir Cl. vesiculam quoque felleam prae aliis corporis partibus in cadaueribus incisis deprehenderit immutatam, copiosa nimirum et tenui ad modum bile refertam. Quam ob causam multa eaque varia cum illa instituit experimenta, ex quibus patet, primarium illius vitium in abundantia aquosae, salinae vero et oleosae partis defectu, positum fuisse. Totus ille commentarius lectu omnino

diutius animal tenuerat morbus, eo maior quoque bilis fuit abundantia. Inciſionibus in cute illius factis, parum effluxit ſanguinis, eiuſdemque etiam in ipſo cadauere ſolito minor copia reperta fuit. Is etiam ſemper aquoſam indolem oſtendit, linteaque parum tinxit. In iis, quae circa nonum morbi diem exſpirauerant, inteſtina etiam quaſi macerata vel minima vi diſſolui potuerunt. Porro ipſius morbi
p. 138. *progreſſum* et *ſtragem*, quam ſingulis diebus effecit, Cl. Auctor enarrat; quem in finem tabulam adiecit tribus ordinibus interſtinctam, quorum primus omnem ſingulis diebus interitorum animalium numerum, alter eorum tantum, quae ultra duos annos, tertius eorum denique, quae adhuc iuniora et infra hunc vitae terminum nata erant, indicem continent. Apparet ex hac tabula, ſub ingreſſum luis 192 armenta adfuiſſe in ſupra dicta urbe, nempe 77 iuniora et 115 aetate magis prouecta; ex illis 75 et ex his 101, intra 47 dierum ſpatium, a morbo enecata fuiſſe, ſi exceperis duo, aliis morbis oppreſſa viſa. Itaque plures decem undecimis numero partibus ex toto grege perierunt. Alia ſequitur illam tabula, in qua thermometri atque barometri altitudo ſingulis illis diebus, per quos lues ſaeuiit, annotata conſpicitur.

Iis, quas adduximus, *alias* inſuper annexit Cl. Auctor *obſeruationes* de animalibus, lue quidem correptis, ab ea tamen quoque liberatis, porro de aliis ab ea prorſus liberis ſeruatis, tandemque de variis ad aegrotantium curam adhibitis remediis, ex quibus
p. 143. notatu reliquis digniores extracturi ſumus. Omnes fordae abortum patiebantur, nullae autem ante diem quintum interibant. Ex toto grege 16 tantum remanebant, quarum 7 luem expertae, ſanitati reſtituebantur,

omnino dignus eſt, et qui etiam, ſi quis utilem eum laborem vellet in ſe ſuſcipere, quo minora illa ſcripta de hoc contagioſo boum morbo paſſim edita, in unum volumen colligeret, prae aliis in eo locum mereatur.

bantur, nouem autem reliquae haud interrupta corporis integritate fruebantur. In pluribus quidem aliis locis obſeruatum fuit, animalia haud adeo difficulter euaſiſſe, puſtulis in tota cute ortis, aut ſimili metaſtaſi ad oculos vel aures facta: in illo autem oppido *Iſſurtille* dicto, in duobus tantum animalibus eius modi exanthemata obſeruabantur, et quorum inſimul etiam unum concidebat; alterum vero reliquis tardius vires ſuas recuperabat. In reliquis morbi vim eluctantibus diarrhoea accedebat, quae quaſi erat critica, ſexto die ut plurimum aucta et ad undecimum uſque perdurans. Septimo igitur die aliquis aegrotanti boui redibat appetitus praeſertim hauriendi potus; ſymptomata magis magisque imminuebantur, dieque decimo quinto aut ſexto prorſus euaneſcebant, relicta tantum ſumma macie atque infirmitate. Ex iis nouem brutis, quae remanebant p. 145.
intacta, licet cum infectis haberent commercium, plurima aetate grandia erant ideoque macilenta; qua in re ſalutis cauſam Cl. Auctor quaerit.

Plurima in uſum vocata remedia nullius ferme p. 146.
uſus erant. Multis bouibus ferrum candens applicabatur, cute antea ſcalpello inciſa, quam operationem tamen exoptatus euentus non ſemper ſequebatur. In quibusdam ex iis in regionem colli circa primas eius vertebras intrudebatur ferrum, tumque ſubiectus aliquis muſculus biceps, erigendo capiti dicatus, facile laedebatur. Quo facto, ſi dextra eius pars affecta fuerat, in ſiniſtrum, ſin vero ſiniſtra, in dextrum latus torquebatur caput; propendens vero manebat, ſi muſculus ante ſui ipſius diuaricationem, aut in utroque iam dicto faſciculo laeſionem acceperat. Homines quidam ruſtici radicem hellebori immittebant ſub cutem, *herbir* operationem vocant, cum nullo autem inſigniore fructu. Alius etiam vir, absque ſperato ſucceſſu, mercurium per ſuffitionis viam applicuerat. Quod vero remedium omnium

optimum fuisse videtur, boumque aegrotantium palato solum fere gratum, oligophorum fuit vinum, acescens vel facile in acetum mutabile, uti et fructus austeri atque acidi, alias huic animalium generi non ad modum accepti, quos vero nunc vehementer appetierunt.

p. 164. II) *De electricitatis in corpora organica effectibus*, quartum nunc commentatur * Cl. NOLLET. *Primum* huc pertinens phaenomenon est effluxus aquae ex vasis per tubos angustiores. Electricitate vero acceleratur aqua per tubos capillares guttatim effluens. Vasculum quatuor uncias aquae continens, et per siphonem capillarem, hora 1 minutis 13 euacuandum, accedente electricitate, hora 1 minutis 8 vacuum redditur. Quo angustior est canalis, eo maior acceleratio, amplo vero canali adhibito, puta diametri lineae 1 aut 2, per quem continuo fluet aqua, nec acceleratio, nec retardatio obseruatur, contra pro certa quadam canalis diametro, quam circiter dimidiae lineae aut minorem statuit, electricitatem, praecipue si fortior sit, non accelerare, sed retardare. Haec ex sua hypothesi explicat. *Secundo* experimentis ostendit, vegetationem plantarum electricitate accelerari. Addit, visum sibi, sed non satis euidenter, ac si plantulae electricitate, ut citius progerminarent, adactae, tenuiores et debiliores caules haberent. *Tertio* electricitate imminui pondera animalium, expertus est. Subiecit vero examini feles, columbas et minores auiculas. Leges huius decrementi obscuriores sunt, videntur tamen animalia minora, habita ponderis ratione plus perdere; nam auiculae circiter ponderis sui partem quinquagesimam septimam perdidit, columba centesimam et quadragesimam BOSIVS nihil in pondere corporum electricitate mutari scripserat. In hominibus experimenta accurata non-

* Vid. Comment. nostr. Vol. II Part. II p. 207.

nondum cepit, ob plura in illis obſeruanda, quae ut obtinéret, tempus non ſuffecit. Monet vero in decremento ponderis hic aeſtimando, animaduerti debere, materiae tranſpiratione e corpore exeuntis magnam partem in veſtitu hominis haerere, ut haec fere ſimul ponderanda ſit. Cum aliquibus tamen obiter tentamina inſtituit et decrementa ponderis obſeruauit. Nemo horum calorem augeri ſenſit, neque thermometrum apparatui electrico iunctum, caloris incrementa indicauit. Non autem opus eſt, ut animalia ipſa electrica reddantur, ſed ſufficit, ut in vicinia corporum electricorum collocentur, quod cum ſententia auctoris *de adfluente materia circa corpus electricum* conuenit. Ita ſi vaſculum infra canaliculis apertis praeditum, fluido plenum, in vicinia apparatus electrici collocetur, non aliter acceleratur efflu-xus liquoris, ac ſi ipſum electricum fieret; homo vero quinque horis in vicinia corporis electrici poſitus, uncias quatuor, drachmam unam dimidiamque perdidit, quum veſpere antecedente, aequali tempore electrificatus, uncias tres, drachmas quinque perdidiſſet. Similiter animalia plurima, in vicinia corporis electrici poſita, ſemper plus ponderis perdiderunt, quam remota ab eodem. Spongiam in duas partes ſecat Noſter, utramque humectat, ad aequilibrium reducit cum altera, coniungit rurſus partes, unamque obuertit per aliquod tempus corpori electrico: tunc conſtanter haec pars altera leuior reperitur. Igitur videtur effici poſſe, ut pars aliqua corporis animalis, brachium puta, pes etc. fortius reliquo corpore tranſpiret, ſicque vaſorum in ea obſtructiones et ſimilia tollantur.

13) *Liquorem ſeminalem in viuiparis femellis detectum* ſiſtit Cl. BVFFON *et de eius receptaculo* agit. Equidem experimenta haec, et plura adhuc, in Tomo II Libri *hiſtoire naturelle* p. 187 et ſqq. leguntur; p. 211.

ſed tamen, cum iis nouum prorſus ſyſtema generationis Noſter ſuperſtruat; de hiſtoria vero naturali in commentariis noſtris dictum non ſit, illa breuiter recenſebimus. Praemittit, in feminis, cum viri potentes fiunt, ſuperficiem *ouariorum* aut teſticulorum femineorum una aut pluribus exiguis protuberantiis diſtingui, quae paullatim augeſcant, ſatisque grandes euadant, MALPIGHIO et VALISNIERIO corpora *lutea* vel *glanduloſa* vocata. Haec ſunt, quae liquorem ſeminalem et animatum maſculino ſimilem continere, probatum it. Primo quidem deſcribit, quo modo viderit animalia ſpermatica, quae vocant, in ſemine canium maſculorum, illaque depingit; notum eſt, hoc nomine deſignari corpuſcula rotunda, caudata, varie ſe mouentia, microſcopio in ſemine maſcu-
p. 214. lino ſpectanda. *Quintum* demum experimentum, in cane femina captum eſt, dum inde aut quatuor aut quinque diebus venere agitaretur, maris vero uſum nondum habuerat, viua diſſecta. Faciles repertu erant teſticuli, ad extrema cornuum uteri, nucis auellanae magnitudine; in uno teſticulorum corpus glanduloſum rubeum prominens piſi magnitudine: papillae ſimillimum, in ſuperficie exteriore diſtincte rimam oſtendens, a duobus labiis formatam, quorum unum paullulum magis altero prominere inuenit Cl. Auctor. Cum rimam hanc ſtilo aperuiſſet, liquor guttatim effluxit, microſcopio ſubiectus; teſticuli vero in corpus animalis viuentis adhuc repoſiti ſunt, ut calidi manerent. Primo autem intuitu per microſcopium, vidit BVFFONIVS corpuſcula ſe mouentia, caudata, iis, quae paullo ante in canis ſemine viderat, perfecte ſimilia. Quae ſimilitudo alios duos, qui adſiſtebant obſeruationi, ita percelluit, ut haec animalcula ex canis ſemine, vel in diſco illo, cui obiecta imponebantur, vel ex inſtrumento, quo ſumebantur liquoris guttulae, reſidua ſuſpicarentur. Igitur aliam liquoris ex corpore glanduloſo ſtillantis gut-

guttulam, alio inſtrumento captam, alii diſco impoſuerunt, omniaque ipſi primi eadem rurſus viderunt; iam de praeſentia animalculorum horum in liquore femineo perfectaque cum iis, quae in ſemine marium cernuntur, ſimilitudine conuicti. Hoc ſaepius repetitum eſt, eodem ſemper euentu. Alter eiusdem canis teſticulus (*exp. VI*) corpus glanduloſum in creſcendi ſtatu oſtendit, immaturum, rima carens, exiguum, minus rubens priore, cum ſcalpello aperiretur, liquoris nihil oſtendens, ſed plicam in interiori, quam habet Noſter pro origine caui, liquorem contenturi. Habebat alter hic teſticulus veſiculas lymphaticas, et exterius conſpicuas, unam lanceola pertudit, exſiliitque liquor clarus, limpidus, cum microſcopio ſpectaretur, ex globulis exiguis, motu carentibus, compoſitus, repetitisque experimentis vidit Noſter, liquorem hunc veſiculis contentum lympham eſſe, nihil animati ſecum ferentem, a ſemine femineo, quod in corpore glanduloſo formatur, penitus diuerſam.

Eadem (*exp. VII*) in alia cane animaduertit, inde a ſeptem aut octo diebus oeſtro percita, marem nondum experta, in quouis teſticulo corpus glanduloſum maturum exhibente. Preſſum ex illis liquorem collegit, quod obſeruationibus per quatuor aut quinque horas continuandis ſufficeret, conſecutus. Hic ſedimentum aliquod vidit, aut ſpiſſitudinem ſaltem liquoris ad fundum creſcentem. Huius liquoris ſpiſſioris guttulam microſcopio ſubiecit, viditque mucilaginoſam ſeminis partem condenſatam, et velut contextum aliquem continuum efficientem, ad cuius marginem exteriorem, et in parte circumferentiae ſat magna, veluti torrens aliquis videbatur, ex globulis rapidiſſime fluentibus compoſitus. Gaudebant hi globuli motibus propriis, viuaces, actiui, et ut videbatur, a tunica, quae illos ante inueſtiebat, mucilaginoſa caudisque liberi, plane, ut ſanguis per venulas

p. 216.

transparentes fluere spectatur; sed seminis globulorum fluxus rapidior erat, propriisque ii praeter ea motibus ciebantur, ita tamen, ut vi communi velut impulsi, gregatim deferrentur. Intulit hinc, dum coagulari et inspissari incipit fluidum siue euaporatione, siue causas ob alias, globulos hos actiuos inuolucra sua mucilaginosa perrumpere, et ad partes abire, ubi fluidior adhuc est liquor. Corpuscula haec nihil filorum vel caudarum adiunctum habebant, figura erant plerumque ouali, in parte inferiori paullulum compressa videbantur, neque enim, ad sensum saltem vacillabant.

p. 218. In cornubus uteri (*exp. VIIII*) molliusculis, secundum longitudinem apertis, exiguum liquoris inuenit, globulos, ut ille ex glandulis expressus, continentis; posita enim sunt corpora illa glanduloſa sic, ut facile liquorem in uteri cornua, ea amplexa, effundant, creditque Auctor, quam diu canes feminae mares appetant, perpetuo stillare liquorem ex glandulis in uteri cornua, donec exhaustae sint vesiculae testiculi, quibus respondeat corpus glanduloſum, illudque paullatim flaccidum euadat, euanescat, solamque cicatricem rubicundam in parte testiculi exteriore relinquat.

Hoc femineum semen masculino canis emisso commiscuit (*exp. X*) sed nihil noui vidit, motum saltem indicauit globulorum paullulum lentiorem factum.

Aliam canem feminam (*exp. XI*) dissecuit iuniorem, quae nunquam grauida fuerat, veneremque non senserat, in uno saltem testiculorum eminentiam vidit exiguam, solidam, quam facile agnouit originem esse corporis glanduloſi nascentis, quod successu temporis creuisset: in altero testiculo glanduloſi corporis indicium vidit nullum; superficies testiculorum glabra erat et uniformis, difficulterque in parte exteriori conspiciebantur vesiculae lymphaticae, quae

tamen

tamen, ſeparatis tunicis, teſticulos inueſtientibus, facile reperiebat; ſed veſiculae hae exiguae erant; paruamque quantitatem liquoris, quae cogi poterat ex his teſticulis, contemplatus, aliquot globulos paruos vidit, motu carentes, alios vero maiores et magis compreſſos, quos facile agnouit ſanguinis eſſe, liquori intermixtos.

In alia cane iuniore adhuc, trium ſaltem aut quatuor menſium, nullum veſtigium corporis glanduloſi in parte teſticulorum exteriore vidit (*exp. XII*) quorum vel interior ſubſtantia carnea videbatur, vixque reperiri poterant veſiculae.

Vaccae uterum adferri ſibi iuſſit (*exp. XIII*), qui, p. 119.
ne, dum adportabatur, refrigeſceret, linteis inuoluebatur, imponebatur cuniculo viuenti, ſic omni vero calore ſeruatum accepit, et facile reperit, teſticulos ouorum paruorum gallinaceorum magnitudine, aut ouorum columbinorum magnorum; uni erat corpus glanduloſum, mole piſi maioris, rima vero vel apertura verſus exteriora carens; durum, nihil emittens, dum digitis premebatur, neque microſcopio debiliori luſtratum, ullibi aperturam oſtendens, profundas vero radices in interiora teſticuli egerat. Alia duo corpora glanduloſa aderant, quorum unum maturitati proximum iudicans Auctor aperuit, et cauum exiguum in fundo reperit, liquorem omnino nullum, remotum igitur a maturitate perfecta iudicauit.

Alter teſticulus (*exp. XIIII*) eminens corpus glanduloſum oſtendit, quod communem teſticuli membranam perruperat, duoque alia naſcentia ſub membrana. Nihil in liquore illorum, quod ad ante viſa accederet, obſeruauit.

Alios duos vaccarum uteros accepit (*exp. XV*). Vnus, ut referebatur, virgineus erat, alter grauidus fuerat ſaepius, vaccae tamen non multorum annorum. In huius teſticulorum uno glanduloſum corpus ceraſi magnitudine, rubicundum, ad papillae extremum

tremum molliuſculum, tria foramina, quorum ſingula pilus intrare poſſit, oſtendens, leuiter preſſum, liquorem emittens, in quo conſpicui erant globuli, in motu conſtituti, ſed ab illis, quos in aliis ſeminibus viderat Noſter, diuerſi, parui, obſcuri, motu progreſſiuo gaudentes ſatis diſtincto, lento tamen; non exhauſtus erat liquor, caudis carebant globuli, multumque aberat, ut omnes mouerentur, plurimi enim, reliquis per omnia ſimiles quieſcebant; ſecunda vice preſſum corpus glanduloſum, liquoris adhuc minus, ſanguini mixtum emiſit, globuli moti in hoc liquore, ſanguineis comparati, diametrum habere viſi ſunt quatuor vicibus ſanguineorum diametro minorem.

Neque in aliis corporibus glanduloſis eiusdem teſticuli, neque in iis aliorum, globulos in motu conſtitutos vidit; (*exp. XVI*) in altero vero teſticulo cicatrices quatuor numerauit.

p. 223. Poſt ea virgineum uterum examinauit (*exp. XVII*) in nullo teſticulorum cicatrices vidit, in unico glanduloſorum corporum naſcentium veſtigia, ſed e quibus nil, niſi ſanguis exiit.

In alius vaccae, quae, ut coniicit, ſaepius venere incaluerat, teſticulo liquorem corporis glanduloſi, globulis mobilibus refertum vidit (*exp. XVIII*), ſed nec hic, nec alibi in vaccis, caudas vel filamenta globulis adhaerentia. In ouibus etiam maribus et feminis particulas ſpermaticas, per omnia ſibi ſimiles mobilesque vidit (*exp. XX*). Figuras earum, quas vidit, adiecit; uberius de his ait in alio libro ſe eſſe locuturum, illa nempe, quam citauimus, naturae hiſtoria.

p. 227. Subiicit microſcopiorum Leuwenhoeckianorum cum iis, quibus ipſe uſus eſt, comparationem, ex qua intelligitur, auctiora Noſtrum obiecta vidiſſe, etſi LEVWENHOECKIVS figuras det maiores iis, quas Noſter exhibet. Nuda hic experimenta recenſet Noſter, nihil conſectariorum pro explicando generationis negotio

negotio inde deducit, quod abunde in naturali hiſtoria fecit. In his vero experimentis non poſſumus non addere, quae monet Ill. DE HALLER in praefatione Tomi III *hiſtor. natur.* verſioni germanicae praemiſſa, quae praefatio gallice etiam proſtat: glanduloſa illa corpora non eſſe in feminis, quae non conceperunt. Sequi conceptionem, non praecedere, non ergo poſſe liquorem effundere, in ipſo conceptionis negotio neceſſarium; fraudi fuiſſe BVFFONIO, quod animalia diſſecuerit, quae cito et exiguis interuallis concipiunt; poſt partum diſparere paullatim haec corpora, neque alia in locum illorum ſuccedere, niſi noua fiat conceptio. In tanto numero feminarum, omnis aetatis, absque praeiudicio ſcopoque particulari a ſe diſſectarum, vix plus decem vicibus corpora glanduloſa reperiſſe ſe teſtatur, et ſemper vel in grauidis, vel breui tempore poſt partum.

15) *De ſtructura cartilaginum coſtarum hominis et equi, ad illuſtrandam mechanicam motuum thoracis explicationem*, Auctore Cl. HERISSANT *. Cartilaginum coſtarum ſubſtantia adeo denſa et compacta eſt, ut conformationis earum rationem huc uſque nemo ſatis, nec Cl. Auctor quidem, niſi fortuito caſu accedente adiutus, detexerit. Diſquirendo nimirum partes, macerationi in aqua commiſſas, inueniebat fluctuantes laminas albas, quas cartilaginoſas eſſe cognoſcebat, quasque ex appendice coſtae cartilaginea reſoluras fuiſſe iudicabat, quod earum aliquam circularibus fiſſuris inſtructam obſeruaret. Frigidae hinc aquae, ex recenti cadauere deſumtas, eius modi cartilagines indidit, omnique ſeptimana nouam affudit, poſt ſex tamen menſes praeterlapſos nulla mutatio in iis percipiebatur. Mutato itaque conſilio, aquam adhibuit, ſalibus alcalinis refertam, putridiſſimam, qua p. 241.

* Lecta d. 6 Iul. 1748.

qua, octo praeterlapsis mensibus, inuenit, cartilagines in laminas circulares findi, sed ita cohaerentes adhuc, ut spiralem fere efforment lineam, per omnem longitudinem multis subtilibus cartilagineisque ligulis interruptam. Poterant autem tensione hae cartilagines a se inuicem remoueri et elongari, compressione iterum abbreuiari. Diu tamen, in aqua pura continuata et repetita maceratio eas in uniuersum a suo nexu soluit. Quae via, cum longa nimis esset, breuiorem excogitauit Cl. Auctor, macerando scilicet cartilagines per duos tantum tresue menses in aqua putrida, post admouendo igni, sed ita, ut humiditas earum dissiparetur, quo facto crepitationem et inde cartilaginearum lamellarum separationem obseruauit feliciter. Melius autem huic scopo satisfaciunt cartilagines mediae aetatis, ac nimis iunioris, vel decrepitae.

p. 246. Aliter in quadrupedibus, ex quibus equorum sibi elegit cartilagines Noster, comparatae sunt, quae exteriorem habent cartilagineam laminam, intus spongioso et cellulosо reticulo repletam. Extractae autem ex aqua putrida, lacustri, in qua continebantur, comprimi se patiebantur, et succos exprimi, maceratae diutius in pura etiam aqua nulla mutabantur ratione, tandem dissectae eius modi ostendebant intus dispositam telam cellulosam, qualem ossibus inesse constat, nisi quod omnis substantia, si distenditur, cedat. Perichondrium earum ex duplici lamina constat, fibris nimirum externis longitudinalibus, internisque circularibus. Vltimo tandem loco de actione illarum agit Cl. Auctor. Hominis cartilagines in pectoris dilatatione distenduntur, eo magis, quo inferius illae positae sunt; hinc sextae, septimae et octauae etiam costae cartilagines longiores sunt, in equo autem compressionem magis experiuntur. Tabula aenea decima, huic commentario addita, sternum humanum cum cartilaginibus earumque lamellis, undecima

cima autem cartilaginem equinam, perichondrii eius ſtrata et internam celluloſam telam ſiſtit.

19) *De plantis, quae in aqua creſcunt*, Cl. DV HAMEL diſſerit. In hoc commentario non agitur de plantis aquaticis, quae per naturam ſuam in aqua creſcunt, ſed de iis, quae radicibus ſuis terrae inhaerent, attamen et in aqua pura tantum incrementa capiunt. HELMONTIVS ſalicem, in ſabulo creſcentem oſtendit, et Berolinenſium experimenta, a Cl. BONNETO repetita *, plantas in muſco creſcere oſtenderunt. Quoniam tamen quis opinari poſſet, quod plantae, in ſabulo et muſco creſcentes, ex his corporibus aliquid nutrimenti attrahant: in aqua pura experimenta inſtituenda erant. Haec quidem iam olim inſtituta ** et quotannis, a noſtris florum amatoribus hyeme potiſſimum, repetita, a Cl. Auctore maiori cum attentione conſideranda erant. Mirandum enim eſt, aquam in organis plantae fluiditatem amittere et ſolidum corpus formare. Diuerſa quidem terrae fertilitas, et ſtercorationis neceſſitas, ex terra ipſa aliquid nutrimento plantarum accedere, confirmare, nec plantae ipſae, in aqua creſcentes, contrarium probare videntur, cum folia hyacinthi exſiccata multum perdant, bulboſae radices ſaepius in aere ſine adminiculo terrae et aquae flores et folia emittant, ſedum ſiue ſemperuiuum maximum noua quidem folia producat, non tamen, niſi prioribus exſiccatis. Quibus dubiis permotus Cl. Auctor, noua hac in re tentamina ſuſcepit, et varias plantas, in muſco et ſpongia progerminantes, ita diſpoſuit, ut poſt ea vitris aqua plenis impoſitae, ex aqua ſola nutrimentum ſuum reciperent; in ipſo vero creſcendi modo omnes muta- p. 272.

* Vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. I. p. 33.

** Experimenta a Cl. TRIEWALD in Suecia anni 1730 inſtituta et in Anglia a MILLERO repetita vid. Philoſoph. Tranſact. Vol. XXXVII. num. 418. Obſ. V et VI.

mutationes attente conſiderauit, ita, ut in variis etiam figuram diuerſorum vitrorum annotaret. Nos, qui omnem experimentorum ſeriem accurate tradere vix poſſumus, paſſim tantum ſelectas obſeruationes indicabimus.

p. 276. Quercum, per octo iam annos in ſola aqua creſcentem, aſſeruat, quae omni vere gemmas euoluit. Haec primis annis laetius excreuit, quam ſi in terra optima plantata eſſet, et tertio quartoque anno incrementum non minus conſpicuum erat, ab eo autem tempore vigor vegetationis multum imminutus fuit, non, ut ipſe Auctor affirmat, a defectu nutrimenti, ſed a peculiari radicum indole. Radices enim arborum, ad aquas pertingentes, tenues et quaſi piloſae fiunt, hinc in aquaeductibus, quos ſaepius obturant, ab iis, qui eorum curam habent, *cauda vulpis* appellantur. Similes itaque radices habet quercus nunc deſcripta, et eminentias praeter ea, tanquam expanſiones telae celluloſae, quae ulceroſam quaſi indolem radici inducunt.

p. 277. Experimenta chemica, cum plantis in aqua creſcentibus inſtituta, easdem partes exhibuerunt, quas ex plantis, in terra natis, Cl. Auctor deſtillatione obtinuit. Has itaque introduxit aqua puriſſima, quae haberi potuit, quae quidem elementaris non erat, quoniam tamen ex aqua puriſſima, nec oleum, nec ſal, nec aliae plantarum partes conſtitutiuae educi poſſunt, nemo facile aſſeruerit, aquam, plantis his applicatam, relictis ſalinis, oleoſis et terreſtribus particulis, phlegma ſolum perſpiratione transmittere. Sed contrariis etiam experimentis Cl. Auctor hoc confirmare ſtuduit. Aqua, nitro, ſale communi, lixiuio cinerum ſaturata, nec non ſolutiones aquoſae humi et fimi, incremento plantarum bulboſarum deſtinatae, parum iuuabant: eae enim in aqua pura laetius creſcebant.

Radices

Radices bulboſarum plantarum, in apice ad unam circiter lineam praeciſae, ulterius in longitudinem excreuerunt, quae vero altius praeſcindebantur, non amplius creſcebant, ſed potius aliae nouae ex bulbo oriebantur. Folia hyacinthi, apice truncato, ulterius in longitudinem excreuerunt, experimento tamen conſtitit, partes bulbo vicinas magis extendi, quam ſuperiorem folii partem. Folia arborum vero in omni parte extenduntur, cum fibrae lignoſae ſiue nerui eorundem ex nodo exeant et varie in retia extendantur, unde et nerui ipſi, creſcente folio, a ſe inuicem recedunt et amplius ab omni parte folium reddunt. Caules tandem in omni quidem parte extenduntur, magis tamen in parte inferiori bulbo vicina. Surculi arborum licet ex omni parte extendantur, magis tamen in parte ſuperiori, quam infetiori: inferior enim citius indureſcit. In eo tamen cum foliis hyacinthi caules et ſurculi conuenire videntur, quod in utrisque pars primum formata citius creſcere deſinat, ſcilicet in foliis hyacinthi apex, in ſurculis arborum pars inferior. p. 279.

Pini, mori, aliarumque arborum ſemina in muſco optime progerminant, et plantae capillares in eodem laete creſcunt, in primis ſi largius humectantur. Omittimus nunc ea, quae in vegetatione bulborum hyacinthi, per aquam puram praeſtita, Cl. Auctor ſtudioſe obſeruauit, quo pauca de arboribus, in aqua creſcentibus, ſubnectere queamus. p. 283.

Amygdali nucleus, in ſpongiam humidam menſe ianuario diſpoſitus, radices emiſit, quas cum ſpongia vaſis, aqua plenis, impoſuit. Surculi poſt ea progerminantes autumno proximo ad quatuordecim pollicum longitudinem excreuerunt. Hi anno proximo frondes undique emittebant, ſequentibus vero annis minus laete virebant. Hippocaſtani ſemen ſimili modo diſpoſitum plantam, ad octodecim pollices excreſcentem, primo anno exhibebat, quae anno p. 292.

proximo in terram transplantata optime virebat. Glans quercina, simili modo disposita, surculum, sex foliis ornatum exhibuit, ipse ad sex pollicum longitudinem extendebatur, folia vero inter ea parum crescebant, postquam vero surculus non amplius in longitudinem extendebatur, foliorum incrementum maius obseruabatur.

p. 323. 24) *Tentamina de quibusdam morbum armentorum contagiosum communicandi modis.* Auctore Dno. DE COURTIVRON. Insignem omnino utilitatem eius modi praestant obseruationes, in primis eam, ut intelligamus, quaenam ad auertendum morbum cautiones necessariae, quaenam vero superfluae sint. Nimia enim cura atque circumspectio aeque damnosa esse potest, ac commissa negligentia. Saepius autem repetitae obseruationes crebriusque facta experimenta nos docent, certosque faciunt, quid timere aut sperare, omittere aut facere debeamus? Haec dicta maxime quoque valent de morbo boum, quippe de quo moueri potest difficilis ista quaestio, num veri pestilentis, an alius morbi exanthematici minus periculosi, genus sit, anque illa omnia, quae vel ipsum animal aegrotans aut mortuum tetigerunt, vel ea etiam, quae de ipso sumta in usus hominum adhuc adhiberi possunt, v. c. corium, inficiendi contagiumque retinendi ac propagandi vim habeant? De corio iam alio tempore experimenta cepisse atque enarrasse, idque cum sanis ac integris animalibus contagium haud communicare, se obseruasse dicit Cl. Auctor. Nunc alia, quae de nouo instituit, experimenta re-
p. 326. censet, ad quae facilius intelligenda monet, plurima animantia hoc morbo detenta, conualuisse absessuum auxilio, in exterioribus corporis partibus ortorum, vel magna aliarum pustularum copia in illius superficie erumpentium. Tria experimentorum Cl. Auctoris sunt genera, quorum unum per *digestionis*, alterum

terum per *respirationis*, tertium vero per *inoculationis* viam factum appellat. Mense octobri anno 1747 sub aeris tempestate valde calida, varia iam tentauerat. Pustulis enim ab agrotantium boum corporibus desumtis, per duos dies infuderat vinum album, quod boui cuidam vitulo propinauerat. Eodem die pustulas siccas factas et in puluerem redactas cum auena humectata vaccae dederat. Porro in vitula annicula, cum purulenta pustulae recentissime apertae materia, insitionis operatio facta fuerat, inoculationem vocant, eodem modo, uti in Anglia variolae infantibus inseri solent. Tandem alia vitula infra annum nata, illam aquam bibere coacta fuerat, quae super aliquam eius indolis recenter detractae cutis partem constiterat. Haec omnia vero tentamina, etsi quoque post sextum diem iterum repetita fuerant, ne ullus quidem singularis effectus secutus fuerat. Quam ob rem sub initium proxime insequentis anni ea denuo instituebat Cl. Auctor. Bouem igitur vitulum, vitulam anniculam, duasque alias, quarum una iam delactata fuerat, altera vero adhuc sugebat ubera, a reliquo grege separabat, atque in villa, in qua multa separatim posita erant aedificia, et quae a fossa, per quam viua fluebat aqua, cingebatur, includebat. Iis, qui horum animantium curam gerebant, nullum reliquorum adire, nec eorum singulis singula quoque ea loca, in quibus haec separata animalia asseruabantur, intrare licitum erat. Differentia inter haec et illa praecedenti anno facta experimenta in eo erant posita, quod illa cum pustulis tantum, aegrotantium quidem, attamen iam conualescentium, boum; haec vero cum variis iisque vel de mortuis, vel certe de aegris adhuc animalibus desumtis rebus, instituerentur; hae ipsae etiam breuiore via, per duo nimirum duntaxat, illae vero per octodecim milliaria, apportarentur; tandemque tempestas tum calida, nunc autem frigida esset. En, quae obseruabantur!

p. 327.

p. 329.

tur! Duabus illis iunioribus vitulis praebebatur lac ex uberibus diuerſarum vaccarum, quae morbo infectae erant, expreſſum. In bobe vitulo inſitionis operatio inſtituebatur cum iſta ſanie, quam puſtulae animalis iam iam interiti in ſe continebant. Vitulae unius anni dabatur auena, cui ſanguis ex animalis iam exſpirantis vena ante ſex horas extractus, erat admiſtus. Omnis ſimul obſeruabatur cautio; vixque ſeptem horarum ſpatium effluebat, ex quo omnis ea materies, experimentis deſtinata, de infectis animalibus deſumta, ſanis iterum applicabantur. Victu ſolito veſci pergebant haec animantia, ex quibus delactatae ſolum vitulae a ſecundo experimenti die aluus per tres dies fluebat; in reliquis vero nihil praeP. 331. ternaturalis obſeruabatur. Poſt octauum igitur diem alia capiebantur experimenta. Bouis bubuli caput inuoluebatur inuolucro lineo, ſub quo infectum animal ſpiritum duxerat, atque exſpirauerat. In annicula vitula ſetacei in modum cum loro, ex recenti cute ſecto, tentabatur inoculatio. Vitula delactata bilem, quae in omnibus infectis deprehendebatur vitiata, cum lacte bibere cogebatur. Vltima vero adhuc ſugens vitula ſuum accipiebat nutrimentum mediante infundibulo, cuius apici particula recentis P. 332. iſtius cutis papillae in formam applicata fuerat. Inſuper in alia adhuc vacca ulcus, mediante ſetaceo, conſueto modo excitabatur, ad differentiam cum iſto ulcere, per inſitionem facto, melius inueſtigandam. Quibus factis ſecundo die poſt delactata vitula, quae ſub priori experimento experta fuerat diarrhoeam, eodem nunc iterum correpta ſymptomate, reliqua deinde cuncta luis ſymptomata paſſa, poſt quinque dies interibat, cuius apertum cadauer eadem quoque oſtendebat, quae ſupra retulimus. In reliquis autem, experimenta ſubeuntibus, bobus nihil alieni huc uſque obſeruabatur. Qua de cauſa iterum bubuli bouis caput alio inuolucro, ex lana nimirum parato,

rato, vitula vero annicula alio linteo, tertia denique lactens alio, ex ſerico texto, inuoluebantur, quibus inuolucris omnibus antea per duas horas obtecti fuerant tres alii boues iam exſpirantes. His etiam experimentis irritis manentibus, alia reiterabantur. Vni bouis bubuli ſcapulae, facta cutis antea inciſione, guttulae aliquot ſanguinis ex paulo ante dicta vitula moribunda extracti, loco ſaniei purulentae alias adhibitae, qualis iam vero ad manus non erat, mediante reſticula ex goſſypio facta, applicabantur: reliquas autem vitulas bilem ex ipſius etiam dictae vitulae cadauere depromtam cum lacte bibere oportebat. Bouis ulcus nihil inconſueti monſtrabat, eo ipſo etiam caeteroquin a lue prorſus intacto manente: reliquae autem binae vitulae alui nariumque fluxu prehendebantur, quarum una, annicula, poſt quatuor dies ſponte ſanabatur, alba tantum farina cum aqua tepida ipſi data; alteri vero, remedii in locum, tribus per diem vicibus aliquot ſpiritus nitri guttulae cum aqua tepida ingerebantur, pro alimento autem, loco lactis, oua. Altero die poſt imminuebatur alui fluxio, poſtque duos inſecutos dies vitula priſtinam integritatem recuperabat. p. 334.

Quibus nunc enarratis experimentis, alias adhuc refert Cl. Auctor obſeruationes. Notari omnino meretur, quod contagium iſtud certum aliquod tempus requirere videatur ante, quam ſeſe euoluat. In oppido enim, *Iſſurtille* dicto, boues, quibus cum illud contagium adductum fuerat, decem dies iam aderant, ante quam lues ullam aliam inuaderet. Patet inde, quam attenti eſſe debeant magiſtratus, ne ſuſpecta animalia introducantur. Alia porro obſeruatio notatu ſatis digna. Celeritas, qua lues ſaeuiit, atque ſtrages, quam effecit, eo maior fuit, quo numeroſiorem gregem in aliquo loco inuenit, habita nimirum in ſingulis locis diuerſi numeri ratione. Quo etiam factum fuit, ut magna boum copia in uno ſtabulo p. 336. p. 337.

ſimul aſſeruata magnam ſtragem patefieret, id quod vero haud ita fieri obſeruabatur, quando ab ingreſſu luis ſingula animalia a ſe inuicem ſeparabantur. Fuerunt, qui exiſtimarent, animalia morbum hunc ſemel perpeſſa, ab eo nunc eſſe tuta: ſed contrarium docuit experientia. Bis enim terue quaedam infecta ſunt iſto morbo, eoque una alteraque vice ſuperato, ſaepius ultima perierunt. Hanc quoque potiſſimum ob cauſam, cui accedit et haec, quod inſitionis in modum communicari non potuit lues, contra eos diſputat Cl. Auctor, qui morbum habere velint variolosum, variolis nimirum illis ſimilem, quibus homines obnoxii ſunt; quin potius ad peſtis genus eum
p. 339. malit eſſe referendum. Quamquam exanthemata multis aegrotantibus ſalutem attulerunt, in oppido tamen *Iſſurtille* talia non obſeruata fuerunt, cuius rei cauſam in frigida, quae tum temporis fuit, tempeſtate Cl. Auctor quaerit, quem in finem Cl. DU HAMEL ab eo conſultus illud dedit conſilium, ut aer atmoſphaericus in illis locis, in quibus eſſent boues, calidus redderetur vaporibus, ab aqua excitatis bulliente, talique mediantibus metallis candentibus immiſſis ſeruata. Conſilium autem, multum ſpei permittens, nimis ſero ad Auctorem noſtrum deuenit, quo minus ipſemet effectum tentare potuerit.

p. 345. 27) *Obſeruationes anatomicae, in motus roſtri auium inſtitutae*, a Cl. HERISSANT. Communis eſt opinio, roſtra auium eundem tantum exercere ac reliqua animalia motum, mouendo ſcilicet inferiorem roſtri partem, quae in aliis maxilla eſt inferior animalibus. Nunc autem, cum rara, quae exceptionem faciant, exempla eſſe putentur, in pſittaco praecipue viſa, omne volatilium genus ſingularem hunc mechaniſmum obtinere, demonſtrat Cl. HERISSANT, docens, utramque iis datam eſſe mobilem maxillam. Poſſunt autem illa tum inferiorem ſolum, tum cum ſuperiori

ſuperiori parte coniunctam ſimul mouere. In ſuperiori autem denuo duplex eſt conformatio: alia in ſimplici unius vel plurium laminarum oſſearum cum cranio connexione conſiſtit; alia vera eſt articulatio, ginglymum vocant, eaque vel ſimplex vel accedentibus oſſiculis elongatis firmata. Nominat itaque Auctor, diuerſa illa, quae ad has claſſes pertinere expertus eſt, genera, de quacunque dein claſſe ſeparatim acturus. Vtitur autem ad partium naturam ac- p. 349.
curatius demonſtrandam capite anatis, quod facile haberi poteſt illudque mollioribus partibus deſtitutum, in duas diuidit partes, ſuperiorem nempe et inferiorem. Superior cranium, inferior mandibula inferior vocatur, ſuperior tamen anterius iterum in ſuperiorem mandibulam abit, quae membrana nunc tenuiori, nunc craſſiori et fere cornea ex parte, ſenſili tamen, tegitur. Sequitur deinde ſtudioſa cranii diuiſio, ſollicita omnium oſſium mandibulas conſtituentium deſcriptio, quae ſine figuris, ab Auctore etiam adiectis, rite intelligi nequit. Ex his notamus, occipitale os cum prima vertebra ſic articulo iungi, p. 353.
ut inferiori margini foraminis magni oſſis occipitis tuberculum adhaereat unicum, rotundum, quod cum prima vertebra diarthroſin conſtituat orbicularem, hinc facillimum capitis in volatilibus motum efficiat, plenariaeque eius contorſioni ſatisfaciat. Superioris p. 355.
mandibulae oſſa quaedam etiam per diarthroſin, alia per ſynarthroſin aut immobilem articulationem ſibi iunguntur; priorum duo ſunt paria, utrinque unum, alterum a figura ſua a Cl. Auctore *quadratum*, alterum vero a conuenientia qualicunque cum ſcapula cuniculi, *omoides* vocatur: poſteriora numero variant et *rami*, a ſitu *medius*, *laterales interni et externi*, dicuntur. Horum nexus, apophyſes, modus, quo poſſit mandibula ſuperior a cranio ſeparari commode, poſt ea recenſentur, et inferioris mandibulae deſcriptio, quae non ex ſimplici, ut in homine aut qua-

drupedibus, ſed ex triplici oſſe conſtat, pariter accurate additur. Haec autem oſſium compoſitio, licet ad modum faueat producendis motibus, ſine muſcu-
p. 369. lorum tamen acceſſu nunquam mouetur. Et horum muſculorum varia ſtrata adnotantur; primum ab oſſe occipitis deſcendit ad maxillam inferiorem, ſunt *pyramidales magni*, et attollendo poſteriorem eius partem, anteriorem deprimunt; his accedunt alia, et in anate quidem quinque eorum paria, quibus ſimul eius modi ſitus datur oſſibus nominatis, ut ſuperior etiam leuetur mandibula, quorum omnium deſcriptionem, ne mera eorum adumbratione, quae iconibus illuſtranda eſt, taedioſi euadamus lectoribus, addere non libet. Huic itaque ſatisfacturus officio Cl. Auctor, in nouem tabulis aeneis, quae in ordine decimo quinto, ad viceſimum tertium, loco huic voluмini adduntur, tum diuerſorum volatilium capita oſſea, tum omnia eorum oſſa ſeparatim, nec non muſculos nitide ſiſti curauit, et hoc etiam ſpecimine mechanicam, a ſapienti naturae auctore affabre compoſitam, motus harum partium rationem, ex anatomicis momentis intelligi poſſe, erudite oſtendit.

p. 391. 30) *Ill.* DE MONTALEMBERT, *aedificia deſcribit, quae Durkheimii in Palatinatu adhibentur*, ad ſalem in aqua ſalſa ibi diſperſum in minus aquae volumen, euaporationis in aere libero ope, concentrandum, *Gradir-Haeuſer* germanice appellamus, gallice *hangars d'evaporation* vocat. Quae in illorum conſtructione emendari poſſint, calculo euaporationis ex dato ſpatio in ſubſidium vocato, oſtendit.

p. 441. 33) *Commentarius quartus de glandulis plantarum, et tertius de uſu harum partium, in definiendis generibus plantarum.* Auctore Cl. GUETTARD. Quod in praecedenti volumine * inceperat examen filamento-

* Vid. Commentarios noſtros. Vol. II. Part. II. p. 217 et 226.

mentorum et glandularum, in ſuperficie plantarum deprehendendarum, hoc in praeſenti tradere pergit. Examinantur primo plantae, a LINNAEO ſub *rhamni* genere coniunctae; omnes filamenta conica, ſimplicia, et folia dentata, glandulasque acetabuliformes intra denticulos, obtinent. *Rhamnus*, *paliurus* et *ziziphus* in eo quoque conueniunt, quod ad nodos ramorum una alteraque ſpina inſtructae ſint; *frangula* vero et *alaternus* easdem non oſtendant, quae differentia generi ſtabiliendo vix ſufficit; in *rhamno* tamen paruae glandulae veſiculares, in *alaterno* punctula alba conſpiciuntur, a minima tali glandula forte oriunda. Ex fundamentis igitur Cl. Auctoris exigua plantarum huius generis differentia deprehenditur. *Laurum*, *cinnamomum*, *camphoram*, *benzoinum*, *ſaſſafras* et *perſeam*, plantas omnes, odore aromatico praeditas, ſub *lauri* genere coniunxit LINNAEVS, ob aliquam, quam in flore inuenire ſibi viſus eſt, conuenientiam, et Auctor noſter in omnibus glandulas veſiculares inuenit, excepta *perſea*, quae breuia filamenta conica habet. *Plantaginem*, *pſyllium* et *coronopum* TOVRNEFORTIVS ob ſolam figuram foliorum diſtinxit, LINNAEVS vero omnes ſub unum genus reduxit. *Pſyllium* a reliquis diſtingui poſſe monet Noſter, quoniam praeter filamenta, quae in reliquis tantum conſpiciuntur, glandulas cupulatas quoque oſtendit; haec filamenta, quae primum conica ipſi viſa ſunt, nunc articulata potius inuenit. p. 446.

Plantae monopetalae irregulares, labiatae, quae labio ſuperiori deſtituuntur, vel illud non adeo productum habent, ab aliis auctoribus in plurima diſtinguuntur, ab aliis in pauca coguntur genera. Obſeruationes Cl Auctoris, circa haec genera hactenus collectae, ſequentes ſunt: *Polium* nimirum eſſe genus plantae, filamentis ramoſis inſtructum, ſpecies vero, quae filamenta articulata habent, aut peculiare genus conſtituere, aut ad alia genera referri debere. p. 447.

et *chamaedryos* et *teucrii* ſpecies, foliis diſſectis praeditas, filamenta conica articulata glandulasque cupulatas obtinere, reliquas, quae glandulis globularibus inſtruuntur, ſpecies, ſub *chamaedryos* genere tradi poſſe, *teucrii* autem genus conicis filamentis conſpicuum eſſe. *Bugulam*, a LINNAEO olim ad *chamaedryos* genus relatam, nunc ad *aiugam* reductam, filamenta conica articulata et glandulas globulares ha-
p.456. bere. Numerum ſpecierum *tithymali* auxit LINNAEVS, *euphorbium* et *tithymaloidem* ſimul ad genus nouum *euphorbiae* transferendo. Ex noſtri Auctoris ſententia ex iis ſpeciebus, quae glandulas veſiculares habet, in aliis non obſeruatas, diuerſum genus conſtitui poſſet, et quidem eo magis, cum praeter ea ſtipulas ex aliis foliorum emittunt. Reliquae *tithymali* ſpecies vel filamenta habent magis cylindrica, quam conica, vel filamentis prorſus deſtituuntur,
p.461. *euphorbii* autem ſpecies omnes ſpinis armantur. *Polygalam*, *chamaebuxum* et *pocneam* coniunxit LINNAEVS, idque ſummo iure, cum floris ſit conuenientia ſumma; Noſter vero quasdam ſpecies recenſet, quae praeter filamenta alba, breuia, *polygalae* pro-
p.462. pria, magnas glandulas veſiculares obtinent. Ad difficilem *chenopodii atriplicis* et confinium generum definitionem progreditur Cl. Auctor, in quibus per conſiderationem partium, ſaepius allegatarum, ſequentem diſpoſitionem inuenit. Primum *chenopodii* genus ex iis conſtituitur ſpeciebus, quae glandulas veſiculares et cupulatas ferunt, quorſum odoratas ſpecies refert, quae vulgo *ambroſioides* dicuntur, in his tamen ſimul filamenta, in maſſam vermiculatam (*vermicelli*) diſpoſita, deſcribit, quae, ſi planta aliquantiſper in ore detinetur, ſoluuntur, guſtu ſalino relicto. Alterum *chenopodii* genus veſiculas cumulatas habet, quorſum ſpecies vulgares, ubique occurrentes, nec non eae, quae, quoniam ſemina in ſucco rubicundo deliteſcunt, *morocarpi* nomine veniunt,

tandem

tandem et plurimae atriplicis ſpecies reducuntur. *Halini* nomen illis adſcribendum eſſe ſpeciebus aſſumit Noſter, quae ſquamulas ſiue laminas irregulares, in radio tamen non nihil extenſas, exhibent, quas ſtudioſe deſcribit et tandem, ut filamenta faſciculata (*houppes*) ſemiperfecta conſiderat. *Atraphaxin* tamen, nouum genus LINNAEI, illas ſpecies comprehendere poſſe monet Noſter, quae filamenta breuia, ſiue papillas elongatas, oſtendunt. *Lapathi* ſpecies ſimiles papillas, ſed et praeter ea plures glandulas veſiculares conſiderandas offerunt. *Acetoſas* quoque, quas ſub *rumicis* genere cum *lapatho* coniunxit LINNAEVS, ſimiles obtinere partes, concedit Noſter. *Melianthus* minor americanus, filamenta faſci- p. 473.
culata oſtendit, maior vero, africanus dictus, glandulas cupulatas, in ſummitate ramorum, pedunculorum et calicum habet, planta tota vero glabra eſt et album quendam ſuccum exſudat. Hac occaſione etiam ad *epimedium*, *fumarias* aliasque plantas excurrit, nec non ad *filices* aliasque plantas capillares progreditur, et non nulla de generibus, a LINNAEO ad *cactum* reductis, monet; cum tamen haec breuiter indicari nequeant, harum rerum ſtudioſos ad ipſum commentarium perluſtrandum ablegamus. Ex iis vero, quae in *teucrii*, *tithymali* et *chenopodii* difficilioribus generibus ex obſeruatis Cl. Auctoris oſtendimus, nec ſpeciebus, nullo minus generibus definiendis partes, ab eo aſſumtas, conuenire, quilibet colligere poterit. Concedimus omnino et obſeruatione propria conuicti ſumus, et in his minimis ſimilem ſibi ſemper eſſe naturam, difficultas autem obſeruationis et mutatio in vegetatione continuata obſtacula vix ſuperanda obiicit. In phyſica plantarum conſideratione, et praecipue in ſuccorum elaboratione declaranda, hanc doctrinam valere poſſe arbitramur.

p. 500. 34) *Obſeruationes botanico-meteorologicae in caſtello* Denainvilliers *dicto, in regione ad urbem, cui* Pluviers en Gatinois *nomen eſt, per annum* 1747 a Cl. DV HAMEL eadem ratione, quam aliis iam occaſionibus indicauimus *, conſcriptae, et ad modum quidem ſuo loco utiles, epitome autem conficiendae minus aptae ſunt. Interim ex diariis de morbis, eodem anno *Aureliae* et *Pluuierii* frequentioribus, quaedam dabimus, quorum illud Cl. ARNAULT DE NOBLEVILLE, hoc vero Cl. DE MULCAILLE, uterque conſtitutus regis medicus, cum Cl. DU HAMEL com-
p. 523. municarunt. Poſt tempeſtatem vehementer inconſtantem atque potiſſimum humidam, ea dein ad modum frigida facta, fortes et letiferae apoplexiae, per menſes ianuarium et februarium, multos homines, et inter eos, id quod in primis notatu dignum videtur, infantes octo tantum, ad ſedecim uſque, annos
p. 524. natos corripuerunt. Menſe aprili angina horrendo modo ſaeuiit, aegrosque intra quatuor et viginti horarum ſpatium e medio ſuſtulit. In binis eo morbo demortuis infantibus inciſis, quorum unus ſextum, alter undecimum annum attigerat, interior aſperae arteriae tunica ad trium quatuorue digitorum longitudinem, cylindri in formam, a reliquis ſeparata, alba et, uti charta pergamena, craſſa, ſaccum, qui pus continebat, referens, inueniebatur. Pus ex abſceſſu rupto in bronchia defluens illum poſt primum; hunc vero poſt quartum morbi diem, ſuffocationem efficiens, interemerat. Violenta febris, tuſſis rauca, et horrendus auditu rhonchus, primaria erant ſymptomata, quae nec ſaepe repetita venae ſectione, ne-
p. 526. que dato emetico, leuari potuerant. Menſibus maio, iunio et iulio, variolae mali moris graſſabantur; quae epidemia in regione urbis tantum verſus ſeptentrionem ſita oriebatur, reliquis eius partibus tum liberis

* Vid. Comm. noſtr. Vol. I. P. II. pag. 272 et Vol. II. P. II. p. 214.

liberis manentibus, ad quas deinde ſucceſſiue tranſibat, priore iterum ab iis liberata. Iis fieri ſolebant letales, quibus accedebat diarrhoea. Plurimos etiam ex iis aggrediebantur, qui ad fugiendum contagium ruri ſe continebant. Gangraenam, brachium atque pedem cuiusdam aegri occupantem, dato cortice chinae chinae feliciter coercuit Cl. de MULCAILLE. Menſe auguſto variolae iis infantibus, quibus ſan- p. 527.
guis detrahebatur, haud erant funeſtae, uti iis fieri ſolebant, qui eam permittere nolebant operationem, inſuperque remediorum cardiacorum uſui pertinaciter inſiſtebant. Iis enim fere omnibus ſuperueniebat purpura. Alios comatoſi ſimul inuadebant affectus, quibus medebantur applicata veſicatoria.

In loco aliquo, *Sologne* dicto, poſt abſolutam meſ- p. 528.
ſem, diriſſimus ſaeuiebat morbus, *ergot* incolis dictus propter figurae ſimilitudinem, quam grana iſta, morbum efficientia, cum volatilium habent calcaribus. Ea quidem vera frumentorum grana non ſunt, ſed grana ſecalia, a nociuis nebulis in tota ſua ſubſtantia corrupta et in dictum modum excreſcentia, aliis ſecalia cornuta dicta: in ſecalibus enim tantum reperiri dicuntur. Panis ex farina, cui alia ex iſtis granis molitis ſuſcepta admiſcetur, coctus peſſimum eſt venenum, quod tarde tantum et ex improuiſo operatur, totique ſanguinis maſſae putridam et gangraenoſam indolem conciliat, quae ab initio dolorifica pedum atque crurum ſe prodit laſſitudine; quae membra dein liuida fiunt gangraenaque corripiuntur, ſicca magis quam humida dicenda. Vermes in his ulceribus ſaepe generantur, tandemque digiti pedis ex articulis ſuis excidunt cum metatarſo; porro pes ipſe, immo ipſa femora ex acetabulis decidunt. Idem quoque ſuperioribus extremitatibus accidit, ita ut in noſocomio regio tales aegros, quibus ſaltem truncus ſupererat, per aliquot adhuc ſeptimanas vixiſſe, obſeruatum ſit. Membrorum enim caſum

ſum ſanguinis haud ſequitur profluuium, iis nimirum ſphacelo corruptis, et circulo ſanguinis iam ante per aliquot dies in iis ſublato, quam ex articulis excidant. Quo modo talibus miſeris aegris mederi poſſint, adhuc ſe ignorare fatentur medici noſocomii, in quo ſexaginta plures aegri miſere iam perierunt. Ex iſto quidem loco, *Sologne* dicto, relatum fuit, venae ſectione ſub dolorum ingreſſum bis inſtituta, et infuſionibus vulnerariis, ac omnium maxime bono pane caeteroque victu conueniente, atque remediis datis cardiacis iuuari tales aegros. Grana inſuper talia recentia ſaltem molita, non vero ita, ſi ſudauerint, nocere, alii aſſerere volunt, qua de re Cl. SALERNE, academiae correſpondens, experimenta capturus, ad eam referet *.

35) *Hi-*

* Eam ignoraſſe vel certe non in memoriam reuocaſſe videtur Cl. Auctor relationem, quam de hoc argumento commentariis ſuis iam olim ad annum huius ſaeculi decimum pag. 80. edit. Amſtelod. inſeruit academia ſcientiarum Pariſienſis, quo in loco ſimiles huius ſecalis cornuti effectus legere meminimus. Omni caeteroquin attentione digniſſimum eſt, ſimili modo corruptum frumentum in multis quoque Germaniae noſtrae prouinciis diriſſimos, ſed alius ac in Gallia naturae atque indolis, olim excitaſſe morbos, grauiſſimas ſcilicet et prorſus inſolitas ſaepiusque funeſtas neruorum diſtentiones. Horrendus iſte morbus ſub nomine *die Kriebel-Kranckheit*, vel *die Korn-Staupe* tum temporis in Germania innotuit. Tantam iſta grana continere acrimoniam in non nullis locis obſeruatum fuit, ut vel maſticata oris atque faucium eroſionem efficerent, in puluerem vero redacta et cum lacte miſta muſcas extinguerent. Neque animantia bruta ab eorum veneno tuta fuerunt. Quamuis enim ab eorum eſu ſua ſponte abſtinerent, quaedam tamen, experimenti cauſa, eo adacta fuerunt fame, ut talia comederent, quae deinde in varios morbos, cachexiam, atrophiam artuumque contracturas inciderunt, uti legere licet in IO. GODOFR. ANDREAE diſſertatione *de morbo ſpaſmodico populari hactenus*

35) *Historia morborum epidemicorum una cum aeris vicissitudinibus per annum 1748 Parisiis observatorum*, Auctore Cl. MALOUIN. Eandem, qua aliis iam vicibus in simili describenda morborum historia usus fuit, methodum et nunc quoque retinuit Cl. Auctor, cuius igitur recensione, olim quippe a nobis data *, iam supersedemus, notatu saltem reliquis digniora inde extracturi. Morbi epidemici, inquit Cl. Auctor, in omnibus terris causam quandam habent communem, iis in rebus quaerendam, quarum usus quoque communis est, in aere nimirum aut assumtis alimentis: inde, cur aeris simul cum morbis attendenda sit constitutio, patet. Certi quidem morbi populares occulto aliquo veneno, aut aeris quadam singulari mutatione, ab ipsius varia temperie diuersa, oriri videntur. Ea quoque mutatio singulis annis, in quibus accidit, variare, ideoque natura eius semper esse incognita, iudiciaque igitur de causis etiam pestis, cuius species sunt morbi epidemici, incerta manere solent. Το θειον Hippocratis occulta talis esse causa videtur. Nihilo tamen minus certum etiam est, epidemicos morbos aeque frequenter excitari posse ab immutata solum diuersa aeris temperie, eius nempe siccitate, humiditate, calore vel etiam frigore; quales nunc describit Cl. Auctor. Mense ianuarii, glacie soluta et frigore imminuto, cum tempestate humida, catarrhi frequentes erant, qui, si feminas, instante mensium fluxu, corripiebant, eum ipsis

p. 531.

p. 534.

hactenus in patria (Silesia) *grassante*, sub b. CHRISTIANI VATERI praesidio Wittenbergae anno huius saeculi vicesimo tertio defensa. Succincta istius morbi, qualis in Germania saeuiit, relatio legi potest in actis naturae Wratislauiae editis. Tentam. I p. 87, (*Sammlung von Natur und Medicin, wie auch hierzu gehoerigen Kunst und Literatur Geschichten*, Breslau 1718), ubi etiam auctorum, qui de hoc morbo scripserunt, copia allegata inuenitur.

* Vid. Comm. nostr. Vol. I. P. II. pag. 280.

ipſis admodum turbabant, ita ut multae ſanguinem ſpuerent; id quod etiam iis accidebat, quae alias ut plurimum quaedam excretionis eius patiebantur incommoda: iſtud tamen ſputum haud funeſti ſequebantur effectus. Idem etiam felix euentus in aliis ſubiectis, vehementem haemoptyſin eo regelationis tempore perpeſſis, obſeruatus fuit. Quanquam autem is morbus adeo tum temporis frequens erat; multi tamen, quos vera pleuritis inuadebat, ex obſeruatione Cl. MACQUER, nullum experiebantur ſputum cruentum, eorumque plurimi ante quintum diem moriebantur. In genere ea confirmata fuit HIPPOCRATIS obſeruatio, eas pleuritides, in quibus nihil ſanguinis extuſſitur, non ſemper eſſe minus periculoſas, uti e contrario eas, in quibus eius multum extunditur, non ſemper eſſe curatu difficillimas.

p. 538. Menſe februario in morbis pectoris inflammatoriis, Auctori certe noſtro talibus viſis, illud erat ſingulare, quod aegri per decurſum morbi nec horrorem, neque horripilationem, neque lateris dolores ſentiebant. Septimo die de dolore in abdominis latere verſus regionem pubis querebantur, quem illico abdominis excipiebat tenſio; altero die poſt caput feriebatur, verſus ſingulam veſperam accedebat febris augmentum, et aegri ad undecimum diem ſuccumbebant.

Menſe martio aeris temperiem, etſi ea haud inconſtans, ipſaque regelatio lenta ſatis erat, catarrhales tamen febres malignae indolis ſequebantur, quae cum doloribus utrarumque extremitatum incipiebant, pectus deinde, ventriculum, interdumque ventrem, cum oppreſſa reſpiratione occupantibus. Aegri, in quibus, nec iuſto tempore, neque ſufficiens euacuatio facta fuerat, intra paucos dies peribant. Sanguinis miſſio ex talo in primis erat utilis. Eodem tempore binis hominibus magna ſeri vel pituitae copia ſubito tantaque vi e naribus prorumpebat, ut ſuffocationis

cationis periculum ſibi imminere crederent. Valde deinde copioſum et per multos dies continuans ſaliuae profluuium poſt iſtam excretionem remanebat. Alii, quos eadem tenebat febris catarrhalis, ſingulis diebus, iisque praeſertim prioribus, duplex experiebantur febris augmentum cum frigore incipiens. Corticis vero peruuiani cum ſeminibus frigidis decoctum, addito ſale GLAVBERI et quodam ſyrupo laxante, hos aegros iuuabat. Inter alios Cl. BOYER curam habebat adoleſcentis ſedecim annorum, qui violentam peripneumoniam feliciter euadens, confluentes deinde ſuperabat variolas, quarum tantus ad partes genitales fiebat decubitus, ut gangraena metueretur. Et hoc graui morbo victo, ſpermatocele tandem miſero huic aegro accidebat. Eodem etiam menſe Cl. MACQUER vidit aegros, dyſenterico alui fluxu laborantes. Menſis aprilis ſolito erat longe p. 543. frigidior, licet ventus ex meridionali plaga ortus reliquis eſſet ffrequentior. Ex morbis potiſſimum vagabatur febris epidemica putrida cum ſingulari lateris praeſertim dextri dolore, in primis in regione heparis, ad axillas interdum atque ſcapulas, crebrius autem adhuc ſecundum abdominis longitudinem ad inguina uſque ſeſe extendente; interdum vero ad coſtas ſpurias conuerſo cum difficili et oppreſſa reſpiratione. Ab initio ſaepe leuis viſa febris, et per duodecim, immo non nunquam per quatuor et viginti horas euaneſcens, mox aucta vi redintegrabat, uti iam HIPPOCRATE monente, in febribus epidemicis fieri ſolet. Vagos interdum caloris in abdomine ſentiti inſultus, interdum capitis et faucium dolores, querebantur aegri, qui vero a ſanguine miſſo paruo, a remediis tamen aluum ducentibus, aut ab emetico ſub initium morbi dato, inſigni fruebantur auxilio. Cl. MACQUER aegrum quadraginta anno- p. 545. rum, catarrho, ad pectus inclinato, laborantem intra duos quidem dies curaſſe videbatur: illius vero dein-

ceps ſubito et absque lateris dolore, ſumma reſpirandi difficultate correpti totum corpus, in primis vero abdomen atque pectus intumeſcebant, cum aquae in abdomine fluctuantis perceptione, quae in pectoris etiam cauitatem effuſa, mortis omnino periculum inducebat. Medicina vero purgante terpropinata, cum ptiſanae aperitiuae uſu morbus, uti in hoc, ſic quoque paulo poſt in alio aegro, priori ſimil-
p. 549. limo, penitus fugabatur. Menſe maio, qui caeteroquin pauciores ac aliis annis morbos ſecum duxit, Cl. MOLIN tamen multos vidit aegros hepatitide laborantes, cum exitu morbi in icterum; id, quod eam ob cauſam a Cl. Auctore annotatur, quod plurimae febres catarrhales tum temporis pectus obſidentes cum dextri lateris hepatisque regionis dolore coniunctae, et bilioſae magis quam ſanguineae indolis fuerint, purgantibusque remediis omnium optime obedierint. Menſis iunius, quoad aeris temperiem ſatis quidem moderatus, morbos tamen producebat, quorum frequentiſſima criſis in exanthemati-
p. 551. bus ortis obſeruabatur. Angina quoque iſta peſtilentialis, de qua ſaepe narrauimus, in prouincia, *Piccardia* dicta, ad urbem *Ambianum* conſpicua, fuit valde cito funeſta, ita ut intra nouem horas necaret aliquot ex iis infantibus, quos aggreſſus fuerat. Mortes etiam ſubitaneae et infantibus Pariſinis aeque ac Aurelianenſibus, uti ex praecedenti commentario Cl. DU HAMEL annotauimus, letales acciderunt apoplexiae; qui morbus ſequenti quoque menſe iulio obuenit, licet is aegros praegreſſis menſibus longe mi-
p. 555. nus paucos offerret. Auguſtus et ſeptember quoad aeris conſtitutionem temperati et quoad morborum multitudinem ſatis quoque mites erant; ille vero attulit febrim quandam malignam putridam, aliamque continuam ſimplicem, curatu quidem facilem, in qua tamen, teſtante id Cl. BELLETESTE obſeruatum fuiſſe dicitur, quosdam ex iis aegris eodem tempore,

quando

quando iis ſanguis detractus fuerit, extremitates inferiores nactos fuiſſe paralyticas, hancque paralyſin a reiterata venae ſectione auctam fuiſſe. Vomitus etiam cruentus frequens erat hoc menſe, cum multa craſſa atque foetida lympha mixtus, non facile tamen nociuus, quoniam febris aberat. Id, quod hoc vomitu reiecerant aegri, idem Cl. Auctori eſſe videtur, quod alii haemorrhoidum fluxui obnoxii per vias haemorrhoidales excernere ſolent. Menſe octobri p. 561.
quoque denuo *Pariſiis* obſeruata fuit angina iſta gangraenoſa, hoc anno puellis, uti praecedenti pueris, exitioſa. Accedebat hac vice ſanguinis per nares profluuium, quod ſymptoma hactenus nondum obuium fuerat. Id igitur morbum cognitae illi anginae, Neapolitanum regnum praegreſſo ſaeculo deuaſtanti, ſimillimum reddidit. Oſtreae hoc menſe praeſertim ante frigoris aduentum comeſtae, fere omnibus nocuerunt. In genere adhuc annotare li- p. 565.
ceat, hiemem lenem fuiſſe atque ſiccam, ita, ut minima pluuiarum vis hoc anni tempore decideret, demortuorum tamen, haud ita vero aegrotantium, maximum fuiſſe numerum, morbis etiam tum internis cum externis ad putredinem inſigniter procliuibus. Veris tempus ſolito frigidius plurimos quidem aegros, non ita vero mortuos attulit. Aeſtas quidem valde ſicca, nihilo tamen minus illud anni tempus non fuit, in quo minima pluuiae copia delapſa fuerit. Minimus autem eo tempore et aegrorum, et ex vita decedentium fuit numerus. In auctumno pluuiae fuerunt reliquis anni temporibus copioſiores, et longe plures quam aeſtatis tempore aegrotantes, licet funera non multo plura obuenerint. Ex morbis, generatim conſideratis, apoplexia, in primis inter infantes, porro glandularum parotidum inflammatio et ſuppuratio, tum poſt febres malignas, cum etiam ſine praegreſſis aliis morbis orta, inter reliquos fuerunt frequentiſſimi.

p. 569. 36) *De transpiratione insensibili plantarum commentarius*, Auctore Cl. GUETTARD. Post perlustratam staticam vegetabilium, a Cl. HALESIO euulgatam, non tantum repetenda, sed etiam ulterius perficienda ibidem expositа experimenta sibi proposuerat Cl. Auctor, et, licet in laboribus his suscipiendis quodam modo impediretur, paulo post tamen, munificentia Ducis Aurelianensis adiutus, institutum eo melius exigere potuit. HALESIVS inter alia experimenta, ramum plantae in retortam introduxerat, quo materiam perspirantem in ea colligeret, nondum vero copiam, ex diuersis plantis, diuerso tempore, diuersisque causis cooperantibus collectam, accurate definiuerat; hanc igitur mensuram hoc potissimum commentario tradere suscepit Noster.

p. 571. Apparatum vero his experimentis aptum, ita instituit, ut globum vitreum diametri pedis unius, qui chemicis nomine vasis recipientis GLAVBERI notus est, eligeret, per cuius collum siue orificium laterale ramum plantae introduceret, orificium superius et subere et charta glutine affixa muniret, rostro inferiori, ad condensatos vapores recipiendos apto, lagenam applicaret, hancque ita in terram immitteret, ut tantum collum eius emineret, omnem vero hunc apparatum, quem in tabula addita figura illustrat, baculis, utrinque appositis et in terram infixis, ita firmaret, ut omni ventorum agitationi resisteret. In experimentis etiam susceptis thermometra mercurialia ita disposuit, ut vicissitudines caloris et frigoris indicarent. Praeter ea plantas, non in vasis, sed in terra ipsa collocatas, examini subiecit: licet enim in priori casu quantitas aquae humectantis definiri potuisset, in altero tamen plantas in statu naturali ma-

p. 587. gis dispositas esse, cognouit. Summam omnium experimentorum in tabulis, commentario subiunctis, breuiter adumbrauit, ita, ut dies et mensis, thermometri et barometri status et tempestates variantes in una,

una, in altera vero dies, menſis, nomen plantae, pondus rami et liquorum perſpirantium pondera annotaret, quo uno quaſi intuitu cauſae et effectus perſpirationis inter ſe comparari poſſint. Nos, qui nec has tabulas, nec quindecim illa experimenta accurate in noſtros commentarios transferre poſſumus, conſectaria quaedam ex iis educta ſubiungemus. Ex perſpiratione *groſſulariae*, *corni*, *artemiſiae*, *tamariſci et pyrethri canarienſis* cognouit, illam non eſſe in proportione ponderis ramorum, ſed maiorem, excepto *pyrethro* et *tamariſco*. In *corno* maxima illa erat, minor in reliquis, *pyrethrum* etiam minus perſpirabat, quam *tamariſcus*. In *ſambuco* et *periclymeno canadenſi* cognouit perſpirationem nocturnam exiguam vel plane nullam fuiſſe. *Sambuci* ramus, qui $4\frac{1}{2}$ drachmam et 10 grana ponderabat, $7\frac{1}{2}$ drachmam et 10 grana perſpirantis materiae ſpatio diurno exhibuit. *Periclymeni* ramus, qui unius drachmae erat, eodem tempore unam drachmam et 18 grana tranſpirauerat. Ex his experimentis facile concludi poterat, plantas ſoli expoſitas, plus perſpirare, quam in umbra collocatas, nouis tamen experimentis aſſertum declarauit. *Solani ſcandentis* ſiue *dulcamarae* tres ramos diuerſos, in totidem globos vitreos introduxit; primus, qui tectus non erat; pondus 3 drachmarum et 5 granorum habebat et menſe ſeptembri intra ſex dies 2 uncias, 5 drachmas, 45 grana perſpirauit; ſecundus, quem tela quatuor baculis diſtenta e longinquo obtegebat et qui 5 drachmas et 36 grana ponderis habebat, eodem temporis interuallo unciam unam et 4 drachmas perſpirauit; tertius, qui tela immediate ſuperimpoſita tegebatur, pondus 3 drachmarum et 56 granorum habebat et ſimili temporis ſpatio 4 drachmas et 13 grana perſpirauit. Cum vero aer circa globum tectum non minus calidus videbatur, quam circa alterum, radios ſolares ipſos perſpirationem multum augere experimento alio definiuit

p. 573.

p. 574.

p. 576.

niuit, quo *granatum* feneſtris tectam, et aliam, liberiori aeri expoſitam, examinauit. Thermometrum quidem ſub feneſtra maiorem gradum caloris oſtendebat, perſpiratio tamen minor erat. Ex his varia conſectaria deducit Cl. Auctor, e. g. fructus, ſub feneſtris et campanis vitreis collocatos, maiores fieri; arbores fructiferas europaeas, in Americam tranſportatas, fructus, carne ſucculenta praeditos, non habere, in frigidioribus autem prouinciis maturationis terminum attingere non poſſe; folia arborum, ſoli meridiano expoſitarum, magis perſpirare, ideoque citius cadere, quam ea, quae in umbra collocantur.

p. 579. Progreditur poſt ea ad experimenta, quibus definiri poteſt, ſuperior an inferior foliorum ſuperficies magis perſpiret. Quoniam vero radii ſolis ſuperiorem plus tangunt, quam inferiorem, illa, ut magis perſpiret, neceſſe videbatur; hoc tamen per experimenta quoque conſtitit, quibus vernice, vel alio liquore illinito, perſpiratione in una ſuperficie impedita, alterius ſuperficiei perſpiratio definiri poterat.

p. 583. An plantae ſucculentae *cucurbitae*, *tithymali*, plus perſpirent, quam ſicciores, diſquirendum adhuc erat. Ex hactenus inſtitutis experimentis minus perſpirare cognouit Cl Auctor, accuratiora tamen hac in re promittit experimenta, in primis, cum ipſa fabrica

p. 585. plantarum quodam modo examinanda ſit. In diſquirendo liquore, qui ex plantis perſpirauit, et ſpecificam eius grauitatem, aquae purae ſimilem, et ipſum inſipidum et inodorum inuenit Noſter, ita, ut *pyrethri* canarienſis acrimonia, nec vis cauſtica *tithymali*, nec odor *roſmarini*, in perſpirante liquore cognoſci potuerint. Idem ferme aſſeruit HALESIVS *, qui tamen retortam, ſolis radiis expoſitam, liquorem habuiſſe affirmat, ſapore plantam introductam imitantem; et hic praeter ea monet, in vaſis apertis conſeruatum liquorem citius computruiſſe.

II. Re-

* Vid. Vegetable Statick Exp. XVII. p. 50. edit. Lond. 1738. 8.

II.

Recueil ſur l'Electricité médicale, dans lequel on a raſſemblé en deux Volumes les principales piéces publiées par divers Sçavans, ſur les moyens de guérir les maladies en électriſant les malades. A Paris, de l'Imprimerie de P. G. le Mercier MDCCLII, 8, Tom. I. 1 alph. 15 pl. Tom. II. 15 pl.

hoc eſt:

Collectio praecipuorum ſcriptorum de electricitate medicamentoſa etc.

Nouem in his voluminibus continentur opuſcula, a diuerſis quidem auctoribus elaborata, quae omnia tamen hic in lingua gallica prodeunt, conuerſis iis in eam linguam, quae italice vel latine ſcripta erant.

Primum locum tenet PIVATI, ICti Veneti et Academiae Bononienſis ſodalis, *epiſtola ad* ZANOTTVM, quae iam anno quadrageſimo ſeptimo ſeculi currentis italice edita fuit: multa Cl. Auctor narrat partim mirabilia, partim prodigiis ſimilia, veluti, ex qualibet planta elicitas ſcintillas electricas eo plerumque colore praeditas eſſe, quem habituri ſint flores eius plantae; item mineras diuerſis metallis praegnantes ſcintillas dare diuerſis coloribus conſpicuas, e mineris plumbi ſcintillas prodire pallidi luminis, e mineris cupri rubicundas, e mineris argenti albiſſimas; porro fluidum electricum effuſum e cylindro vitreo fricto ſecum rapere per poros vitri ſubtiliſſimas partes eius materiae, qua interior cylindri ſuperficies illita fuerit, easque una cum fluido electrico in corpus humanum penetrare, atque in eo idem efficere, quod illa materia per os ingeſta efficere ſoleat. Refert enim, hominis ope cylindri, intus balſamo

Tom. I. p. 14. p. 16. p. 21. p. 26.

ſamo Peruuiano illiti, et tam bene clauſi, ut nihil odoris exſpiraret, electrificati, capillos, lectum, veſtimenta poſtridie fortiſſimum eius balſami odorem ſpiraſſe, praecedenti nocte in larga ſudatione redditi. Hac experientia inductus PIVATVS cylindros parauit,
p. 28. diureticos, quos vocat, diaphoreticos, antiapoplecticos, antihyſtericos, cordiales etc. quibus diuerſis morbis mederetur; neque omnino contra ſpem hanc no-
p. 31. uam medicinam ſibi, ait, ſucceſſiſſe, in epiſcopo autem quodam, ſene ſeptuaginta quinque annorum, tam dira et inueterata arthritide laborante, ut dudum neque pedibus, neque manibus diſtortiſſimis uti ullo modo poſſet, vim electricitatis medicam maxime conſpicuam fuiſſe, quippe qui cylindro antiapoplecticoreſoluenti per dimidium quadrantem horae electrificatus pedum manuumque uſum ſubito recuperauerit, adeo perfectum, ut terram pedibus percutere, ſolus incedere, per gradus ſcalae deſcendere, et in lembunculum ſuum ingredi, nemine opitulante, poſſet. Eius modi unum adhuc exemplum PIVATVS commemorat. Sed ohe! iam ſatis prodigiorum.

p. 45. Excipiunt hanc epiſtolam IOSEPHI VERATTI *Obſeruationes phyſico-medicae de vi electrica.* Exhibentur eae tales, quales iam prodierant Geneuae anno 1750, cum annexis etiam viri clariſſimi DE SAUVAGES, experimentis. De quo opuſculo quum ſatis iam dictum ſit *, poſſumus illud hic praeterire.

p. 235. Neque de iis, quae ſequuntur, excerptis e Cl. IALLABERTI libro *de Electricitate*, ad effectus electricitatis in corporibus animalium viuorum, eorumque cauſas ſpectantibus, ut hic referamus, opus eſſe arbitramur, quum hic liber harum rerum curioſis dudum innotuerit.

p. 283. Proximum ab his excerptis locum tenet diſſertatio medica de hemiplegia per electricitatem curanda, quam in Vniuerſitate Montis Peſſulani publice venti-

* Vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 111.

ventilandam propoſuerat IOANNES STEPHANVS DESHAIS, Medic. Cand. Impreſſa eſt haec diſputatio in dicta urbe anno 1749, eiusque auctorem eſſe Cl. FRANCISCVM DE SAUVAGES conſtat. Partem eius conſtituunt obſeruationes illae de hemiplecticis, quas una cum VERATTI Obſeruationibus iterum editas eſſe Geneuae diximus; et quae in ea ad theoriam phyſiologicam ſpectant, ea denuo magisque elaborata propoſuit Auctor in ſequenti opuſculo, cui recenſendo nobis paullisper erit inhaerendum.

Eſt illud inſcriptum: *Theſes phyſiologicae*, praeſi- p. 405.
de FRANCISCO DE SAUVAGES, defenſae a IOH. TH. FELIC. DUFAY, Med. Cand. quibus fluidum nerueum ab electrico non differre, probatur. Prodiit hic libellus Monte Peſſulano anno 1750. Auctor, poſtquam exiſtere oſtendit fluidum in neruis, cui ſenſus et motus debeantur, idem eſſe elaſticum e
tonorum ſenſatione colligit, quae requirere videtur, p. 412.
ut fluidum nerueum ad vibrationes incitetur iſochronas iis, quas particulae aeris, toni cuiusdam ſenſationem efficientes, peragunt. Hinc fluidum nerueum negat eſſe lymphaticum, et ipſo aere ſubtilius eſſe, argumentis euincit. Porro fluidum nerueum per p. 421.
neruos fluere velocitate, quae ad minimum quintupla ſit velocitatis ſoni, colligit e vi, quacum cor in ſyſtole ſanguinem propellit. Quare cum, remotis lympha et aere, non aliud in corpore animalis viui fluidum detur, praeter electricum, quod et tam ſubtile ſit, tamque elaſticum, et tanta celeritate moueri queat: pro certo habet, fluidum nerueum non diuerſum eſſe ab electrico: id quod praeter ea et hoc argu- p. 426.
mento confirmet, quod, ſecundum principia Cel. HAMBERGERI, fluidum iſtud cerebro et fibris nerueis, utpote inter ceteras corporis partes minimam grauitatem ſpecificam habentibus, maxime adhaerere atque affluere debeat. Deinde, quo plus lucis huic

theſi affundat, varia phaenomena, ſuppoſita fluidi electrici in neruis exiſtentia, explicare ſtudet. Primo motus muſculorum rationem inde reddi poſſe
p. 435. exiſtimat. Fibras enim muſculi influxu fluidi neruei electrificatas ad ſe inuicem, ait, accedere, et ſeſe circumplicare vaſis ſanguiferis non electricis, quem ad modum duo fila electrificata diuaricantia, digito appropinquante, coeunt. Secundo monet, non nulla ſenſationis phaenomena explicari poſſe, poſito, quod materia electrica e fibris nerueis tranſeat in corpora,
p. 437. earum extremitatibus vicina; extremitas enim altera nerui, qua cerebro iungitur, hoc in caſu mutationem aliquam ſubeat neceſſe eſt, aeque ac tota columna aquea in tubo capillari electrificato ſuſpenſa moueatur verſus digitum non electricum, alteri tubi extremo admotum. Ea autem phaenomena ſunt haec duo, alterum, quod ſentiamus corporis cuiusque viciniam, etiamſi illud noſtra tactus organa nondum contingat, alterum, quod ſenſu percipiatur ceſſatio actionis alicuius corporis in organa noſtra ſenſoria, veluti cum
p. 440. infans expergiſcitur, nutricis cantu ceſſante *. Tertio, poſita materiae electricae in neruis exiſtentia facile intelligi, Auctor affirmat, cur hominis electrici muſculus quicunque ſeſe contrahat, digito non electrico ad eundem muſculum appropinquante; item
p. 442. cur membris paralyticis, et atrophia deformatis, per electrificationem motus, ſenſus, et eutrophia reſtituantur; nec non cur celeritas pulſus arteriarum in homine electrico maior ſit, quam in non electrico. Addit denique, iisdem ſuppoſitis, optime explicari
p. 447. poſſe, cur in puteis profundis, latrinis, aliisue locis, aerem corruptum continentibus, homines ſubitanea morte extinguantur; quoniam fili ferrei, per conclaue

* Optamus, ut vir egregie doctus alia occaſione huius phaenomeni, aeque ac motus muſculorum, explicationem paullo uberiorem tradat. In his enim nobis quidem obſcurus factus eſt, dum breuis eſſe laborauit.

claue foetidis vaporibus infectum ducti, electricitatem extinctam obseruarunt academici Tolosenses.

Sequitur eiusdem Auctoris breuis epistola ad Cl. MORANDVM, in qua hunc certiorem facit, vim electricam iis, qui cuiusque generis rheumatismis crucientur, optimum remedium esse; et esse sibi notos eius modi aegros plus quinquaginta, per electrificationem curatos, vel saltim releuatos, nulli autem, quod sciat, electrificationem nocuisse, uno phthisico excepto; semet ipsum quoque doloribus podagricis per duas electrificationes fuisse liberatum, eosque, cum post mensem rediissent, iterum vi electrica dissipatos esse, morbo per sudorem viscosum, e parte affecta per totam noctem emissum, soluto. p. 449.

Vltimum in hac collectione opusculum in fronte gerit hunc titulum: *Collectio experimentorum medicinae electricae a quibusdam physices amatoribus Venetiis captorum;* dedicata Abbati NOLLETO, et publicata a IOANNE FORTVNATO BIANCHINI, Doctore et Professore medicinae. Huic opusculo, quod primum sub finem anni 1749 italice prodierat, praemissae sunt, praeter dedicationem, praefationes editoris atque Auctoris, e quibus discimus, illud originem debere societati doctorum hominum, quibus Cel. NOLLETVS Romam per Venetias iter faciens, eo quod, suspectam sibi esse vigentem tunc in Italia medicinae electricae famam, non dissimulauerat, cupiditatem iniecerat, ea, quae PIVATVS, VERATTVS, BIANCHVS, BRIGOLVS et WINKLERVS noster de medicina electrica praedicauerant, propriis oculis videndi. Quo consilio pleraque experimenta non in mendicis vel seruis, quod alii non absque fraudis suspicione fecerant, sed in semet ipsis ceperunt. Et quia eorum, qui hoc nouum medicinae genus exercebant, aliqui solebant cylindros vitreos, per quos electricitas excitatur, intus medicamentis illinire, alii, IOANNEM BIANCHVM secuti, medi- T. II. p. 1.

camenta

camenta aegrotis inter electrificandum manibus tenenda praebere, alii denique, auctore BRIGOLO, medicamenta ampullae vitreae, quae ad experimentum Muſſchenbroekianum adhibetur, indere: tres experimentorum claſſes praedicta ſocietas conſtituit, quibus ſingulis ſingulos horum trium per electricitatem medendi modorum tentaret. Non opus eſſe iudicamus, de ſingulis experimentis, ad hunc triplicem ſcopum directis, quae hic a Cl. BIANCHINO accurate enarrantur, referre. Sufficiat euentum eorum experimentorum indicaſſe, quod breuiſſimis fieri poteſt, cum tantum non omnium idem euentus fuerit. Scilicet, quamuis ſolicitam curam docti illi Veneti adhibuiſſent, ut omnia, quae ad ea experimenta pertinerent, ad praeſcriptum auctorum huius nouae artis adminiſtrarentur, tamen neque res fragrantiſſimas quidquam odoris per poros tubi vitrei electrici bene clauſi perſpirare, neque fortiſſima medicamenta purgantia, vel emetica, imo nec velociſſima, ſi in corpus noſtrum per os ingerantur, venena, ullo trium praedictorum modorum ad corpus humanum applicata aliquem in eo effectum habuiſſe obſeruarunt. Semel quidem, cum pueri, in pice ſtantis, pedibus nudis ſcammonii fruſtula ſuppoſuiſſent, aluum eius poſt electrificationem ſolutam fuiſſe intellexerunt: ſed hoc viribus ſcammonii per electricitatem elicitis neutiquam adſcribendum fuiſſe, inde planum factum eſt, quod idem experimentum interiectis aliquot diebus in eodem puero repetitum nulla alui ſolutio eſt ſecuta. Diſcimus ergo ex hoc opuſculo lectu digniſſimo, quantum et ſemet ipſos et alios fefellerint boni iſti viri, qui per electricitatem vitri poros odoribus permeabiles fieri, et medicamentorum virtutes per fluidum electricum, tanquam vehiculum, in corpus humanum transferri poſſe, tanta fiducia, tanto etiam applauſu, tradiderunt. Adeo ardua res eſt, vel experientia conſulta, ſapere.

III. *Die*

III.

Die Kraft und Wirkung der Electricitaet in dem menſchlichen Koerper und deſſen Krankheiten, beſonders bey gelaehmten Gliedern, aus Vernunftgründen erlaeutert und durch Erfahrungen beſtaetiget von IOHANN GOTTLIEB SCHAEFFER, *der Weltweisheit und Arzneykunſt Doctor und Practicus in Regensburg. Regensburg bey Emerich Felix Bader 1752, 8. Bogen 7. Kupfertafel 1.*

h. e.

Vis et actio, quam Electricitas in corpus humanum eiusque morbos, praeſertim paralyſin, exſerit, ex principiis oſtenſa, et per experientiam confirmata.

Mentionem huius libelli facere lubet, ut appareat, neque in Germania deeſſe medicos, qui hoc nouum excolant medicinae genus, quod ab electricitate petitum eſt. Et eſt ſane Cl. SCHAEFFERVS iis medicis annumerandus, qui viribus fluidi electrici non inepte, ſed ſcite ac prudenter in rem ſuam utuntur. Diuiſit hoc opuſculum in duas partes, alteram theoreticam, alteram practicam. In illa poſſibilitatem medicinae electricae e duobus his phaenomenis euincere annititur, primo, quod per electricitatem pulſus arteriarum acceleretur, ſecundo, quod ſcintillae, e corpore hominis electrici elicitae, ſingularem in eo ſenſationem efficiant, et rubicundas in cute maculas poſt ſe relinquant. Ex illo colligit, per electrificationem circulum ſanguinis incitari, hinc calorem corporis naturalem intendi, et omnes ſecretiones atque excretiones in corpore, in primis autem tranſpirationem, adiuuari; unde probabile eſt, electricas vires contra morbos, qui aucta circuli ſanguinis

nis velocitate tolli queant, auxilio esse posse. Secundum autem phaenomenon Auctori persuadet, ab electricitate in medicina similem usum, atque a medicamentis rubefacientibus et vesicatoriis, expectandum esse. In altera parte Auctor primo ab exteris capta experimenta usus electricitatis in medicina enarrat, deinde proprias obseruationes describit, quas in septem hominibus, partim paralyticis, partim arthritide vexatis habuit, quos inter unus duntaxat morbo suo, ob singulares circumstantias, non fuit liberatus. Ostendit hac occasione, se exterorum etiam scripta de electricitate medicamentosa diligenter legisse. Tabula aenea, huic libello adiecta, et machinam, qua Auctor ad electricitatem cum aegrotis communicandam utitur, et modum, quo id solet efficere, repraesentat.

IV.

SAMVEL. THEODOR. QVELMALZ Progr. de viribus electricis medicis, Lipsi. 1753. 4. pl. 2.

In electricitatis experimentis instituendis eiusque in corpus humanum redundantibus viribus medicis considerandis, praeter alios doctissimos hic Lipsiae viros, Auctorem nostrum Cl. occupatum atque sollicitum esse, non solum ex hoc scripto, sed ex alio, olim iam de *homine electrico* * edito, apparet. Hoc opus autem, ut eo felicius exerceret, machinam sibi instruendam curauit, quae vicesies rotata eandem virtutem electricam exhibet, ac illae, quae ducenties rotationem requirunt. Non nullis de machinae huius constructione et actione praemissis, varias obseruatio-

* Programma hoc, in quo indolem vorticis electrici in corpus humanum influentis disquirit et actiones et effectus inde pendentes declarat, prodiit Lipsi. 1744, 4.

uationes enarrat vir experientiſſimus. Non in omnibus cuiuslibet corporis partibus a vi electrica ſenſatio excitatur, id quod a diſtributione neruorum naturae luſu, vario modo a regula deflectente, explicat Cl. Auctor. Iuuenis octodecim annorum phlegmaticae temperiei hemiplexiam totius lateris ſiniſtri una cum aphonia paſſus eſt, nec pedibus inſiſtere, nec incedere, nec brachium affecti lateris manusque mouere poterat. Quae mala in hoc homine, etſi variis auxiliis aliquo modo ſublata erant, tamen redibant. Hunc ergo per duos annos ſic aegrotantem, repetita electricitatis vi applicata, Auctor Cl. eo reduxit, ut primum uniuerſum brachium libere mouere, deinde diſtincte loqui, pedibus incedere et laeſa antea manu, licet non ita agiliter uti olim, fidibus canere valeret. In duorum hominum brachio dextro ex praeuia hemiplexia paralytico facto, ictus electricus primus applicatus ſenſationem ad carpi regionem aliqualem, ictus alter fortiorem ad cubitum uſque, et tertius ictus uſque ad humerum cum commotionis et incaleſcentiae perceptione excitauit, quem ſucceſſiuum inflicti ictus progreſſum in multis aliis ſimilibus ſubiectis ſe obſeruaſſe, teſtatur Auctor. In ſene octogenario dextri humeri rheumatiſmus, qui omnem membri motum impediuerat, electricis pulſibus lenitus, et in viro quadragenario chiragra cum tumore in carpo, ſublata fuit. In homine, qui ob oculi pupillae dilatationem et immobilitatem amauroſi laborare videbatur, viribus electricis ad foramen ſupra orbitale, per quod neruus ophthalmicus WILLISII penetrat, et ad inferiorem temporum partem, angulo oculi propinquam, directis et applicatis, primum iridi mobilitas inducta et reiterata operatione maior viſus acies reſtituta fuit. Iuuenis octodecim annorum ante duodecim annos poſt variolas, viſus acie amiſſa, in ipſam amauroſin incidit, ita, ut dexter oculus tantillum, ſiniſter vero plane nullum viſus ſenſum

ſum exhiberet. Hic ſemel tantum expertus vires electricas leuitatem capitis totiusque corporis et viſus quoddam exercitium, et repetita deinde operatione eius maius augmentum recuperauit. Hoc itaque in affectibus oculorum ſimilibus auxilium felicius adhiberi poſſe putat Auctor, quoniam materia electrica aetherea, ſubtiliſſima mobiliſſimaque per oculi neruos et tunicas celerrime penetrare, motus concuſſorios vehementiſſimos excitare fluidumque nerueum facilius mouere et propellere valeat.

V.

Geſellſchaftliche Erzaehlungen für die Liebhaber der Naturlehre, der Haushaltungs-Wiſſenſchaft, der Arzneykunſt und der Sitten. Erſter und zweyter Theil, Hamburg 1753, 8.

hoc eſt.

Relationes ab amicorum ſocietate collectae et ſcientiae naturalis, oeconomicae, medicae et morum cultoribus dicatae.

Ex tanta copia plagularum iſtarum, quae noſtro hoc ſeculo, germanico idiomate conſcriptae, qualibet hebdomade diuenduntur, diarium hoc commendatione noſtra non indignum ſane iudicauimus. Huius volumen primum et ſecundum, quorum unum quodque plagulis viginti ſex conſtat, iam accepimus, et tertii voluminis partes non nullae lucem quoque nunc adſpexerunt. Relationum autem harum Auctores varii ſunt amici, qui ſocietate quadam coniuncti, variis ſcientiis delectantur; quibus ipſis aliis quoque utiles eſſe cupiunt. Ipſa argumenta, quae lectoribus iam tradunt, et impoſterum exhibituri ſunt, ex ſcientia naturali, arte medica, oeconomia, et ethica, uti ex ipſius tituli inſcriptione apparet, petere conſtitutum habent; quae ita elaborabunt, ut ab

utrius-

utriusque ſexus lectoribus legi intelligique poſſint. Ad hunc itaque ſcopum eo felicius attingendum, varium ſcribendi genus elegerunt, et, quae ſecum meditati ſunt vel ſtilo narratorio, allegorico, poetico, vel in fabulis, literis, aliaque ſub ſpecie, communicabunt. Et licet tractationes ipſae non ita comparatae ſint, ut eruditis viris et in hiſce doctrinis iam verſatis ex aſſe ſatisfacere poſſint, id quod et promittere noluerunt Auctores, tamen partim eas res, quae ad vitam ſocietatemque humanam, varias eius actiones et negotia pertinere videbuntur, partim eas ſcientias eaque principia a doctiſſimis naturae indagatoribus tantum cognita, ita proponere ipſis animus eſt, ut quilibet exinde aliquam utilitatem haurire queat. Ea itaque in hiſce plagulis ſpecimina inueniuntur, quae ad philoſophiae generalis, theologiae naturalis et ethicae, nec non ad hiſtoricam et phyſicam trium naturae regnorum variarumque exinde arte factarum rerum, cognitionem ſpectant. Immixta etiam leguntur argumenti medici ſcripta, quae de ſanitate conſeruanda agunt, et morborum hiſtorias eorumque curam exponunt. Haec omnia nitido puroque linguae patriae ſtilo elaborata grataque viciſſitudine ordinata deprehenduntur. Ea iam quidem omnia, quae in illis ad noſtrum inſtitutum faciunt et impoſterum facere videbuntur, commentariis noſtris inſerere nolumus; ſed nobis lectoribusque noſtris ſufficiat pauca tantum in praeſenti, ſpeciminis loco, adduxiſſe, quoniam multa ex his plane noua non ſunt, ſed in aliis libris uberius iam pertractata et exinde collecta tantum traduntur. In voluminis primi parte decima tertia *conſilia quaedam in dyſenteria obſeruanda* exhibentur. In morbi huius origine declaranda potius ad negligentiam hominum, quam ad alias cauſas reſpiciendum eſſe, putat Cl. Auctor. Illa dyſenteria, quae menſe auguſto et ſeptembri plerumque homines inuadit, non a fructuum p. 193.

horaeorum, uti vulgo creditur, uſu prouenit, ſiquidem obſeruatum eſt, illos, qui eius modi fructus copioſe aſſumſerunt, non adeo grauiter hoc morbo afflictos fuiſſe ac eos, qui ab iſtis plane abſtinuerunt. Aliae igitur eaeque in primis duae ſunt cauſae mali, nempe refrigerium ſub aeſtu nimio admiſſum corpori, et potus copioſus minusque conueniens intemperanter ingurgitatus. A refrigerio perſpirabilis materia, calore nimio acris facta, ad inteſtina retropulſa eadem irritat et hunc alui fluxum producit; a potu vero vario nimioque aſſumto et fermentatione inde in inteſtinis facta, acrimonia generatur, quae pariter inteſtina ſtimulat et ad hanc excretionem praeternaturalem diſponit. Deſcribuntur praeter ea huius morbi ſymptomata, et auxilia prophylactica et curatoria varia, commendantur, ex quibus gummi arabicum in primis in aqua tepida ſolutum pro potu ordinario cum ſucceſſu bibendum ſuadetur.

p. 209. In parte decima quarta, *de bonitate terrae ad agri hortique culturam ſpectante* agitur. Magnas eſſe terrae differentias non ſolum agricolae norunt, ſed etiam diuerſum plantarum incrementum demonſtrat. Has ipſas, poſtquam Cl. Auctor huius tractationis ex BECHERI, LINNAEI ELLERIque ſcriptis aliquo modo indicauit, bonae fertilisque terrae ſigna eruere ſtudet. Haec itaque debet eſſe praedita nigro colore, qui nec ſolis calore, neque pluuia immutatur: Bona terra porro non facile dehiſcat, nec a pluuia nimium diſſoluatur, ſed eam potius in ſe quaſi reſorbeat, arbores proceras graminaque viridia alat, aliarumque plantarum celerius incrementum adiuuet, ſole poſt pluuias ſplendente, gratum odorem ſpargat, et aqua, quam in ſe continet, dulcis ſit ſaporis. Denique illa terra bona habetur, cuius ceſpites pingues ſunt et tenacius cohaerent, quae aquae, in qua diſſoluitur, ſaporem non mutat, ſed ſpumam oſtendit, quaeque mollis, laxior, pinguis et pauco

ſabulo

ſabulo admixto nigra deprehenditur. Acidum uniuerſale, quod in aere eſt, cum alcali et oleo in terra latitante mixtum, ſaponem conſtituit, qui terrae particulas ita diſſoluit et attenuat, ut in plantarum earumque radicum poros intrare poſſint.

In parte decima quinta *huius argumenti* continuatur conſideratio. Mollis laxiorque terra, quae inter bonas relata fuit, ea eſt, quae non adeo compacta et ſicca, aratro facile cedit, per quam plantarum radices libere repunt et aqua citius penetrat. Talis terrae indoles cultura perfici poteſt, cum contra leuis terra cultura nimis ſubtilis reddatur, et quo magis ſabuloſa et calcarea eſt, eo minus ſtercorationis virtutes retinet. Pinguis terra ea eſt, quae ſufficientem ſalis, ſulphuris et olei proportionem habet, et a qua terra ſic mixta plantae ſuum capiunt incrementum. Diuerſus in primis variarum plantarum odor ſaporque ex terrae ſalibus deducendus eſſe videtur Auctori. Nigra terra quidem optima eſt, attamen illa, quae nitroſa et aluminoſa ſimul deprehenditur, ſterilis eſt, ſiquidem ſuum amiſit colorem, ſimul ac humiditas eius ſolis calore diſſipatur. Sed non omnes plantas unam eandemque ferre terram, et culturae differentiam in his omnino attendendam eſſe, monemus.

In volumine ſecundo variae tractationes, e. g. *de cuſtodia arborum contra frigus; de piſcibus hieme ſub glacie conſeruandis* leguntur; *memorabilia de cupro; cautelae oeconomicae in ſeruandis equis obſeruandae; conſilia de uere purgando* aliaque, quae omittimus, proponuntur. In parte quadrageſima ſecunda *remedium quoddam in hernia quadam umbilicali indurata et incarcerata utiliſſimum* repertum commendatur. Haec ipſa hernia ſatis magna, propendens, multis doloribus colicis ſtipata, inflammata adeoque pertinax erat, ut nullo auxilio adhibito reprimi poſſet. Cl. Auctor noſter in auxilium vocatus faſciculum p. 241.

filorum lini non praeparati in lacte coctum, et calidum circum circa hanc herniam circumposuit, quo ipso intra aliquot horas, omnibus symptomatibus cessantibus, hernia retrocessit. Hoc ipsum remedium licet leue, notum et vulgare sit, tamen magno cum successu in similibus casibus sese adhibuisse, asserit Auctor.

Ex his itaque apparet, eum Auctores Cl. sibi proposuisse finem, ut aliquam rerum naturalium cognitionem captu faciliorem magisque communem reddant, quo ii, qui ex ipsis fontibus bibere nesciunt, naturae tamen delicias aliquo modo gustare cupiunt, desiderium suum cum voluptate quadam explere possint.

VI.

Allgemeines Magazin der Natur, Kunst und Wissenschaften. Leipzig in Gleditschens Handlung 1753, erster Theil, 1 Alphab. Zweyter Theil, 1 Alphab. gr. 8. mit Kupfern.

h. e.

Promptuarium uniuersale naturae, artis et scientiarum, Tom. I et II.

Etsi quidem operis huius Collectores doctissimi ea, quae ingenio suo ipsi docte meditati sunt, in lingua patria elaborata et descripta orbi erudito tradere, constitutum non habent; tamen ipsorum industria culpanda non est, qua exterorum scripta varia in linguam nostram germanicam transferunt. Ipse autem hic liber, cuius mentionem faciendam praetermittere noluimus, ex instituti ratione tantum scriptorum utilium, ad naturae artisque cognitionem, ethicam, historiam et literas elegantiores spectantium, et ab exteris eruditis variis linguis traditorum versiones germanicas continet. Quem laborem ideo gratum

gratum acceptumque fore ſperant Noſtri, quoniam illi, qui linguas peregrinas non callent, et illi, qui magnas librorum collectiones ob caritatem pretii coemere nequeunt, in hoc promptuario ea legere et addiſcere poſſunt, quae exteri eruditi de modo dictis ſcientiis cogitarunt atque ſcripſerunt. Tractationes varias ad ſcientiam naturalem in primis pertinentes, ex fontibus optimis, ſcilicet Tranſactionibus anglicanis, Commentariis a Bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto atque academia editis, aliisque variis exterorum diariis ſe petituros eſſe, horum laborum ſocii clariſſimi pollicentur. De morum vero ſcientia libri recenter nunc ſcripti, cum maximam partem iam in linguam noſtram translati habeantur, varia huius doctrinae ſpecimina ex veterum philoſophorum PLATONIS, XENOPHONTIS, PLVTARCHI aliorumque ſcriptis haurire, conuenientiſſimum iudicarunt. In edendo ipſo hoc promptuario eum ſeruabunt ordinem, ut quouis anno eiusdem duo volumina in lucem prodeant.

Primum volumen praeter alias, in primis has continet tractationes: *de florum pulchritudine conſeruanda; de acu in infantis veſica reperta; de longa cibi potusque abſtinentia; de polypis aliisque inſectis aquaticis eorumque miris proprietatibus; de corporum ſolutione in vacuo aereo; de Gandiſapora academia Perſarum medica; de frumenti partibus conſtitutiuis; de inteſtinorum et renum obſeruationibus anatomicis; de noſtalgia; de formatione foetus in hominibus et brutis; de remedio contra morſum canis rabidi; de vegetatione plantarum.* Secundum volumen ſequentes ſiſtit tractationes: *de arborum plantatione; de paſſerum noxa; de arte bombyces in Gallia et aliis terrae plagis, ubi mori creſcunt, alendi; de conditione hominis in aetate infantili; de aceti per calorem aut per frigus geneſi; de memorabilibus in inſectis; de vita* IOANNIS SLOANI *eiusque rerum naturalium theſauro.*

Optamus, ut porro illi Viri doctiſſimi eos ſemper libros easque tractationes eligant, quae ipſorum ſcopo lectorumque utilitati optima et conuenientiſſima eſſe poſſint.

VII.

IOANNIS GEORGII ROEDERER, M. D. eiusdemque Profeſſoris et Societ. Reg. Scient. Gottingenſis Socii extraordinarii, Elementa artis obſtetriciae in uſum praelectionum academicarum, Gottingae, ſumtibus bibliopolii acad. priuileg. 1753. 8. pl. 21. ſine dedic. et praef.

Non ſine aliqua voluptate lectoribus noſtris librum hunc indicamus, cum inter reliquos de arte obſtetricia conſcriptos pauci omnino ſint, quos ei aequiparare, fere nullus autem, quem anteferre velimus. Inter omnes enim conſtat, totam hanc artem recentioribus tantum temporibus non excultam ſolum, ſed inuentam potius vel certe ad verae artis formam atque regulas redactam eſſe. Quid? Quod plurimi etiam, ad eam pertinentes libri obſeruationes fere tantum contineant, ideoque materiam ſaltem ſuppeditent, ex qua rationale aliquod ſyſtema exſtrui poſſit. Quodſi etiam, quod res eſt, fatendum ſit, concedi a nobis debet, vicinas gentes eam prae nobis huc uſque meruiſſe laudem, quod alacriori ſtudio artem hanc non fecerint ſolum, ſed eam alios quoque docuerint. Nunc vero ex aliquo iam tempore in Germania quoque ea felicitatis parte fruimur, ut multis in urbibus atque academiis conſtituti ſint viri, qui publice illam tradant, mulieresque obſtetricantes ſuo tempore iuuent, id quod Gottingae etiam ante aliquod tempus factum fuiſſe, laetamur. Locus enim publicus ibi conceſſus eſt, in quem egenae grauidae recipiantur, ut in eo partum edant, atque per iuſtum puer-

puerperii tempus omnibus, quibus ad ipsarum sustentationem opus esse queat, fruantur; eaque simul occasione et mulieres obstetricantes et viri iuuenes, illius artis studiosi, hanc ipsam eiusque leges, et qua ratione manu tum uti debeant, edoceantur. Ea igitur prouincia Cl. Auctori nostro demandata fuit, qui optimo praeceptore usus, quem ex merito laudat, Cl. FRID, Argentoratensium medico obstetricio celeberrimo, variisque datis speciminibus haud leuem dexteritatis, in hac arte sibi comparatae fiduciam consecutus fuerat, quam vero nunc, editis iis, quae iam indicauimus, elementis magis adhuc confirmauit. Illa enim conuenienti ordine, quo omnia sunt proposita, grataque breuitate, a qua tamen debita non abest perspicuitas, iustoque omnium, quae ad hanc artem referri poterunt, rerum complexu, se commendant. Totus liber sex et viginti continet capita, quorum priora ex anatomicis et physiologicis doctrinis ea repetunt, quae ad explicandum partus negotium, optimasque artis regulas conficiendas, scitu necessaria sunt; reliqua vero propius ad ipsam artem spectant eaque tradunt, quae ipso edendi partus tempore ab obstetricante obseruari debent. Quaedam inde speciminis loco delibabimus.

Primum caput *de pelui ossea* agit, quam accurate p. 1.
emetitum esse Cl. Auctorem, iam e programmate constat, quod ante duos annos de axe eius edidit. Notari vero debet, de pelui tantum feminea sermonem esse, cuius insignes ab illa virili differentiae simul traduntur. Linea per mediam peluis cauitatem transiens, eiusque inferioris aperturae diametro perpendiculariter insistens, axis peluis dicitur, qui cum horizonte angulum acutum septuaginta duo circiter graduum intercipit. Os coccygis uno quasi p. 3.
pollice pedis parisini et ultra longius, quam arcus ossium pubis, ab horizonte distat. Aperturam peluis et superiorem et inferiorem commode transire

poteſt naſcens foetus. Illius enim ſuperioris diameter, ab uno oſſe ilium ad alterum procedens longa eſt quaſi $5\frac{1}{4}$ pollices pariſinos, eiusdemque coniugata, ſeu minor a ſymphyſi oſſium pubis ad os ſacrum exporrecta diſtantia $4\frac{1}{4}$ pollices pariſinos; quas dimenſiones eae, quas foetus caput naturaliter conſtitutum habet, nunquam excedunt. Vnius quoque auris ab altera in foetu diſtantia minor eſſe ſolet $5\frac{1}{4}$ pollicibus pariſinis; hinc ad latera pro recipiendis humeris, quo minus alterutri oſum ilium inhaereant, ſufficiens ſpatium remanet.

p. 5. Nec inferior apertura peluis anguſta nimis eſt, quo minus eam transgredi foetus queat. Eius enim coniugata, ſeu diſtantia ab arcu oſſium pubis ad os coccygis tendens, aequalis eſt illi ſuperiori, diameter autem, ſeu maior diſtantia, quae ab uno oſſe, iſchium ad alterum porrigitur, licet quidem $4\frac{1}{2}$ tantum pollices pariſinos aequet; ſatis tamen adhuc amplam viam tranſituro foetui concedunt, quippe cuius humeri eo tempore ad ſe inuicem preſſi

p. 7. ſunt, ideoque minori ſpatio indigent. Oſſa peluis, cum pubis, tum ilium, a ſe inuicem et ab oſſe ſacro in partu naturali nunquam ſecedunt; id niſi forte rariſſime in eo caſu accidere poſſe exiſtimes, ubi propter cachecticam, veneream aut ſcorbuticam mulieris diſpoſitionem, et cartilagines nectentes, et perioſteum atque ligamenta valde laxa et male affecta ſunt; aut denique, ubi foetus monſtroſus violentam poſcit extractionem. In ſtatu enim ſano tum cartilagines, tum perioſteum et ligamenta, ſatis fortem eorum oſſium nexum praeſtant, quem violenta tantum vis tollere poteſt, quae vero in ipſo partu naturali deeſt, cum laxius inter ſe cohaereant oſſa foetus, nec impellentes dolores tam vehementes eſſe queant, ut, ſi caput eius quoque ſolidiſſimum ſit, articulationes iſtas ſoluere valeant. Porro etiam in omni partu legitimo ſeu naturali nec hiatus inter

oſſa,

ossa, quae semoueri posse creduntur, reperitur in puerpera, neque haec post partum editum impediri obseruatur, quo minus sustinere corpus queat. Og- p. 10.
gerunt quidem contrariae sententiae auctores, mucum, tum temporis copiosissimum, emollire cartilagines fibrasque relaxare, ut impulso capiti cedant: regeri autem iis potest, huic muco, ad uteri orificium et in vagina secreto non dari viam ad ipsas cartilagines; nec, si quoque talis inueniatur, emolliendis earum fibris sufficere; quid? quod in eo casu, ubi praesentia eius quam maxime foret necessaria, partu nimirum difficili, plane desit atque secerni desinat, partibus istis inflammatis et rigidis factis. Sed adhuc alia datur obiectio. Ad uterum enim grauidum maior accedit humorum copia; quidni etiam ad ossa vicina, eorumque cartilagines, inde facilius elongandas? In femina vero sana atque adulta, monet Cl. Auctor, humorum appulsui aequalem esse illarum partium resistentiam, ideoque earum etiam eandem manere mensuram. Quod si vero etiam talis accidat diductio, maior inde tamen ossis pubis a sacro non fit distantia: horum enim ossium inter se coniunctio est lateralis. Nec os coccygis in omni partu, vel p. 12.
certe parum, extrorsum cedit. Cedere quidem potest, quippe mobile a natura factum, sed non est, cur in naturali partu id necessario fieri debeat. Foetus enim, cuius vertex axi peluis respondet, intacto osse coccygis, transire potest inferiorem peluis aperturam. Quod si illud vero tantillum cedat, cedit demum ad perinaeum atque anum facilius reprimendum.

Bina, quae sequuntur, capita, uterum tam *virgineum*, quam *grauidum* exponunt, et prae reliquis continere videntur varia, in quibus alii dissectores, ni fallimur, aliquantum dissentiunt; uterum v. c. medium in pelui habere positum; anterius eum esse leuiter arcuatum; uteri axem eundem esse, quem

peluis habet; et quae ſunt alia; de quibus tamen ita ſaepe iudicari poſſe exiſtimamus, ut frequentis illius inter diſſectores diſſenſus cauſam in ipſa potius diſſectorum corporum varietate, quam unius alteriusue haud ſufficiente attentione atque ſtudio, quaerere debeamus. Nobis interim in neutrius partes abeundum eſt: quam ob cauſam varia adhuc alia tan-
p. 18. tum enarrabimus. Quem ad modum quidem obſeruatio, in virgine atque naturali partu capta, peluis uterique axem eſſe eundem docuit; ita e contrario vaginae axem cum illo peluis minus conuenire, ſed cum eodem angulum verſus corporis anteriora facere, menſura probat, ex qua nimirum conſtat, orificii vaginalis centrum ab arcu oſſium 1° 1′, a centro autem aperturae inferioris 1° 5′ diſtare; quod quidem ultimum cum ani centro coincidit, ita, ut peluis axis per ani centrum tranſeat. Fibrae motrices, praecipuam uteri ſubſtantiam efficientes, inſigni et poſt mortem adhuc ſuperſtite elatere, vique irritabilitatis peculiari praeditae, eo magis compactae ſunt, quo longius ab uteri fundo diſtant, in quo tamen laxiſſime cohaerent, arctius in corpore; ſtipatiſſimae vero et cartilagini fere aemulae in orificio deprehenduntur. Orificii uteri virginei diameter quinque linearum aut ultra; longitudo autem ſeptem vel octo ſolet eſſe linearum. In iis, quibus menſes fluunt, vel frequentior eſt veneris uſus, magis illud deſcendit, liberum quidem intra vaginam pendens, verſus os ſacrum vero, propter vaginam ibidem aſcendentem et altius ceruici uteri adhaerentem, longius eſt, quam
p. 20. verſus os pubis. Rima eius transuerſa, in vaginam hians, *apertura orificii uterini externa*; interior autem eius finis, ipſam uteri cauitatem reſpiciens, *apertura orificii uterini interna* Cl. Auctori dicitur; uti is etiam bina illius *labia* in *anterius*, os pubis reſpiciens, et *poſterius*, oſſi ſacro obuerſum, diuidit, quod utrumque in virgine penitus conniuere, et, niſi externe,

ab

ab extremitate unguis pauxillum ſemoueri poſſe dicit. Poſt conceptum foecundum, ouulum, cum fibrilla ſua nutrimentum ducente, ab ouario abruptum inque uterum deductum, cum eo in omnibus contactus punctis minima vi cohaerere, fibrillam vero, ceu leuiſſimam partem, ſuperiori illius loco, fundo ſcilicet, ſaucia ſua vaſcula applicare, eaque cum illo, uti vulneratae partes ſolent, nectere Cl. Auctor quidem aſſerit: ſed non docet, quo modo una pars ſauciata cum altera adhuc integra aeque connecti queat, ac in binis vulneris recentis labiis fieri obſeruatur; nec in eam incidiſſe videtur dubitationem, num placenta, ex fibrilla iſta ſucceſſu temporis orta, tam facile, ac in naturali partu fieri notum eſt, a fundo iterum ſeparari foetumque ſequi poſſet, ſi nexus antea iam dicto modo factus fuiſſet. Primo poſt conceptionem factam tempore parum aut nihil immutatur orificium uteri, ſed virgineo ſimile manet, niſi forte maior muci copia rimam obducens, differentiam quandam efficiat; uti et ipſa uteri ceruix eadem eſſe deprehenditur. Vteri autem corporis expanſione et grauitate ſenſim aucta, orificium eius ita deſcendit in vaginam, ut tertio menſe, una alteraque digiti phalange in vaginam intromiſſa, attingi queat; cum tamen ante impraegnationem integer digitus eum in finem demitti in eam debuerit. Poſt tertium autem menſem, creſcente utero, eoque ſupra peluis ſuperiorem aperturam locato, illud iterum aſcendit. Ad hunc etiam uſque menſem ſubſtantia eius non immutatur, poſt illum autem primo craſſior, deinde mollior fit; ideoque nunc etiam firma ceruicis uteri compages magis diduci indicatur. Verſus ſextum deinde menſem eo uſque diduci ceruix incipit, ut cum uteri cauitate communi tubus eius confundatur, ideoque orificium fiat breuius, figuraque eius cylindrica deleatur, labiis ad exteriorem aperturam diductis. Vltimis tandem ſeptima-

p. 21.

p. 22.

p. 24.

nis

nis et verſus interiorem aperturam labia dehiſcunt,
p. 26. ut rimae loco nunc tubus appareat. De grauidi uteri craſſitie multum inter medicos diſputari notum eſt, num ea ſcilicet augeatur, an imminuatur? Eam igitur quaeſtionem ita Cl. Auctor dirimit, ut ſubſtantiae craſſitiem minuendam quidem eſſe arbitretur, ſi eadem ſubſtantiae quantitas maneret; hanc vero augeri dicat, cum in eadem ratione humorum copia augeatur, qua capacitas uteri increſcit: ideoque con-
p. 28. cludat, ſic in eadem quoque ratione ſemper uteri craſſitiem manere. Porro ex crebro inſtitutis ſectionibus apparuiſſe monet, maximam, quin et ipſius uteri virginei craſſitie maiorem, eſſe craſſitiem fundi, minorem corporis, minimamque illius partis, ubi olim ceruix fuerat, pro maximo nimirum ſanguinis influxu in fundum, minore in corpus, minimo in ceruicem, indeque fieri, ut, ſi quando uteri fiat ruptio, hoc ultimo in loco ad aperturam peluis ſuperiorem ea contingat, cum ipſa baſis tenui charta ante partum craſſior non ſit. Quae etiam niſi ita ſe haberent, ſed craſſities decreſceret, metum ſemper eſſe inuenit, ne in quocunque partu aut inſtituenda operatione uterus rumpatur. Ab aequali etiam influxu ſanguinis, eadem vi et ouuli et uteri vaſa diſtendentis, prouenire dicit, quod ouulum increſcens expandat uterum, nec ab hoc creſcente comprimatur. Nonne autem vis oui debet eſſe maior utero ſemper elaſtico, ſeu perpetuo ſe contrahendi niſu praedito? Quaenam vero ſit illa vis, et ex quo fonte proſiliat, nos forte ſemper latebit.

p. 39. Praeter amnii atque chorii membranas, foetum inuoluentes ac *ouum*, (cap. IV) efficientem tertiam adhuc nominat Cl. Auctor, *filamentoſam* ipſi dictam, quae eſt extima, floccolenta, celluloſa, craſſa, opaca, albida, verſus placentam craſſior, in hanc ipſam intrans, ſub ipſo partu ſaepiſſime dilacerata, ita, ut aliqua eius filamenta ſaepius in utero remaneant, cum lochiis

lochiis demum excernenda. Ea mediante laxius cum utero cohaeret ouum, praeter eam ipſius filamentoſae membranae partem, quae plura et maiora vaſa in circulum poſita habet, ubi nexus firmior fit; is autem firmiſſimus eſt, quem cum utero habet placenta, et quem magis adhuc inter huius lobos firmant ſulci, eminentiis uteri reſpondentes. Cellulas, quae in funе umbilicali inter vaſorum eius interſti- p. 32.
tia deprehenduntur, gelatina replet, quae, ſi nimis abundat, *funiculum* facit *craſſum*, pinguem vocant obſterricantes, quo fit, ut, licet eius ligatura ſatis arcta facta fuerit, ſanguis tamen, niſi ſumma cura adhibeatur, facile dein effluat, quando funis, exſiccata eius ſubſtantia, contrahitur. Sed gelatinae eius ſufficiens quoque deeſſe poterit copia. Tenuis inde fit ac rubicundus funiculus, filo, niſi latum ſatis fuerit et cautiſſime applicatum, facile ſcindendus, *ſanguineus* igitur dictus. In diuerſam de ſitu embryo- p. 37.
nis in utero ſententiam abire ſolent auctores; Noſter autem eam interim aſſumit hypotheſin, ut omni alia leuioribus difficultatibus obnoxiam, qua aſſeritur, caput illius poſt conceptionem locum petere ſuperiorem, ſenſim verſus anteriora prolabi, tandemque infimum locum occupare. Obſeruatione etiam conſtare ait, plerumque ſexto demum grauiditatis menſe finito caput tactui offerri, tangenti tamen digito libere adhuc cedere; tandem vero, grauitate eius ſpecifica liquorem amnii ſuperante, infimae uteri orae incumbere, reliquo corpore in axe uteri ſuſtentato.

Ipſam inde *partus theoriam* in capite quinto ſic p. 40.
explicat, ut, praeter vim elaſticam, adhuc aliam ſpecialem utero tribuat, qua fibrae ab irritatione quadam externa ad ſui contractionem ſtimulantur. Vel imminuta igitur reſiſtentia, vel irritatione accedente, uteri fibrae orbiculares, fortius ſe contrahendo, ipſius diametrum ſeu axem transuerſalem imminuunt,

nuunt, atque ouum cum ſuis contentis ab omni ambitu verſus axem longitudinalem aequali vi pellunt; longitudinales autem, a fundo uteri ad ipſius orificium decurrentes, ſe contrahendo et axem longitudinalem breuiorem reddendo, contenta verſus orificium deprimunt. Irritatio autem modo dicta accidit, quando ouum pondere ſuo auctum, praeuiumque caput in uteri ſegmentum inferius nititur, idque, fibras eius dilatando et longiores reddendo, in vaginam profundius detrudit, hinc illa varia fibrarum ſtrata comprimit, eaque ipſa compreſſione ad fortiorem illa contractionem irritat. Ad eundem quoque finem fibrae in longitudinem eo uſque expanſae, ut absque elongatione, vel rupturae metu, amplius elongari nequeant: prout quidem ex frequentiore gemellorum partu praematuro, et abortu periodico, coniicere licet. Iis igitur continuis uteri contractionibus repetitis, accedente ſimul diaphragmatis et muſculorum actione, maxima vi in axem peluis ideoque in uterum impenſa, orificium eius penitus aperitur, atque foetus cum ſecundinis expellitur. Nono menſe ſolari abſoluto, partum omnino edi, ſtatuit Cl. Auctor; quaenam vero determinatae huius periodi cauſa ſit, ſe ignorare fatetur.

p. 42.

p. 48. (Cap. VI) Praeſentem cuiusuis examinandae feminae ſtatum, *virgo* ſit, nec ne, et quae aliae eius generis moueri poſſunt quaeſtiones, uterini quidem orificii ſinusque externi habitum declarare poſſe: nihilo tamen minus, quamuis regulam admittere putat exceptiones, licet rariores, ex circumſtantiis diiudicandas; hymenis autem praeſentiam et integritatem praecipuum virginitatis ſignum haberi debere confirmat, licet grauidarum, hymene adhuc munitarum, exempla dari, concedendum eſſe arbitretur. Qua ratione vero orificium urethrae penitus in virginibus clauſum eſſe queat, haud intelligimus. Inter ſigna partus iam editi, in femina diſquirenda, praeter

p. 53.

ter diſruptum fraenulum rugasque abdominis, illud praecipue referendum erit, quod conica orificii uterini figura in cylindricam mutetur et magis craſſam, rimaque eius transuerſa inaequalis fiat, inque ſuis labiis inciſiones quaſi ſeu cicatrices nanciſcatur, quae quidem, ſi copioſae ſint, et ſectionem crucialem prae ſe ferant, indubitatum editi partus ſignum dare dicuntur.

Grauiditatis (cap. VII) factae ſigna ab initio p. 55.
ſaepiſſime fallere, fuſe docet Cl. Auctor, ſimulque tradit regulas, quas medicus obſtetricans, ſi quando, ut de feminae ſtatu iudicium ferat, conſulatur, obſeruare debet. Ex his patet, certum grauiditatis ſignum ante tertium menſem non dari; poſt hunc vero grauidum uterum extra peluim eminere et abdomen diſtendere, hinc ſequenti modo a reliquis abdominis tumoribus tactu diſtinguendum eſſe: *Cu-* p. 64.
randum eſt, inquit Cl. Auctor, *ut femina ieiuna urinam et aluum deponat, ſupina cubet, lumbis depreſſis, capite pedibusque eleuatis, calcibus ad nates retractis, ita ut abdominis regio laxetur. Tunc medicus abdomini palmam imponat transuerſam, auricularem digitum verſus os pubis tendat, pollicem exaduerſum ad umbilicum. Valida reſpiratione femina abdomen concutiat, atque medicus ſub ipſo exſpirationis niſu abdomen leniter imprimat. Quod ſi eo momento duram, atque ſupra os pubis haerentem, reſiſtentiam tangit, de utero tumido certus eſſe poteſt. Sicubi vero alius tumor abdomen eleuat, alio loco is deprehenditur, vel et totam abdominis regionem aequalis atque perpetuus quidam tumor occupat.* Differentiae deinde ſpeciales, inter hydropem atque grauiditatem occurrentes, exponuntur, quae vero mutatio, ſi utraque ſimul adſit, difficillime, nec, niſi orificio uteri explorato, dignoſcuntur. Ea vero, cuius inueſtigationem deſcripſi- p. 67.
mus, uteri mutatione deprehenſa, cum menſtrui fluxus ſuppreſſione continua, ſymptomatum morboſo-

rum,

rum, si adfuerint, remissione, mammis intumescentibus, iisque pressis lympham, lacteis striis distinctam, emittentibus, orificio uteri crassiore, molliore, spongioso inuento, tandemque ipso embryonis motu percepto, de grauiditate amplius dubitari nequit. Pergit post haec Cl. Auctor a capite octauo ad finem usque libri ea cuncta, quae ad partus eiusque diuersorum generum negotium explicandum pertinere videntur, proponere, e quibus vero, ne iustos limites nostra recensio excedat, nihil adducere possumus.

VIII.

Iconum anatomicarum, quibus aliquae partes corporis humani delineatae traduntur. Fasciculus VI. Arteriae pectoris et brachii. Auctore ALBERTO v. HALLER. Gottingae apud viduam Abram. Vandenhoeck, 1753 fol. pl. 20. tab. aen. 5.

Verum est, quod nemo dubitat, corporis humani vasa, tum maiora, tum minora in suis truncis aeque ac ramis mire multisque variare modis; qua de re etsi ubiuis exempla possint haberi, in extremitatum tamen, quae vocant, vasis copiosissima extant, ut ea propter difficillimum sit, constantiam inuenire, et inuentam apte describere. Idem euenisse Ill. Auctori, sufficienter declarant operosae vasorum arteriosorum descriptiones, in quorum tamen saepe repetita disquisitione adeo eum felicem fuisse obseruauimus, ut quaedam in minoribus vasculorum ramificationibus stabiliri possint regulae, quibus natura persaepe utatur. Prius autem ad brachii arterias describendas quam accedit, quicquid ab aliis de iis memoriae fuerit proditum breuiter recenset, immo, cum earum origo paullo altius repetenda sit, ab arcus aortae descriptione incipit, varietates eius exponit,

ponit, reliquorum anatomicorum figuras percenſet, atque, quae in tanta naturae conuenientia minus recte ab iis dicta ſunt, adnotat. Deinde ad *ſubclauiae dextrae* ſeſe conuertit contemplationem, quae ſiniſtra plerumque maior eſt, hinc dextro etiam brachio robur aliquid addit. Ad primam illa coſtam ſuper pleuram effertur, verſus ſcalenum muſculum, et hic ſaepe minorem in pectus ramum dimittit, cum variis iterum anaſtomoſi iunctum. Porro ex hac, magis tamen anterius, *thyroidea arteria inferior* naſcitur, cuius tamen explicationem uberiorem alibi iam Cl. Auctor ſuppeditauit, ut itaque nunc eas tantum, quae ad ſcapulas pertinent, arterias recenſeat: nempe *ſuperficialem ſcapulae*, cuius origo et rami varii ſunt, *dorſalem ſcapulae*, quae et *externa ſcapularis* vocatur, ſeu, quod magis ipſi conuenit nomen, *ſcapularem ſuperiorem*, quae ſuis circa ſcapulae baſeos partem ſuperiorem et muſculos, ibidem ſitos, ramificationibus ludit. Ex maioribus huius *ſuper ſpinalis* ramus eſt, qui ad ſpinam ſcapulae procedit, et nutritias etiam in eam arteriolas dimittit. A thyroidea inferiori quoque, aliquando a ſubclauia, *dorſalis ſuprema* naſcitur, quae ad baſin ſcapulae accedit, et cum prioribus communicat et adhaerentibus muſculis vicinisque partibus ramulos largitur, quos accuratiſſime adnotatos eſſe deprehendimus. Sed minoris p. 6.
haudquaquam momenti alter ramulus eſt, *mammaria interna* arteria, cuius uberiorem et repetitis obſeruationibus confirmatum decurſum hic propoſitum et delineatum legere licet. Primus eius, non tamen perpetuus, ramus a clauicula deſcendit ad quintam vel ſextam coſtam, variis anaſtomoſibus iunctus, ſequuntur deinde alii conſtantiores ad uniuscuiuscunque coſtae interuallum procedentes rami. Adnotat autem Ill. Auctor, mammariam arteriam ad tertiam coſtam introrſum, inde extrorſum dirigi, ad quartae coſtae interuallum ex hac ſaepe *phrenicam*

ſuperiorem oriri, ad ſeptimae *muſculo-phrenicam* abi-
p. 8. re. Truncus porro ad abdomen deſcendit, ſub coſta octaua emergens, ubi ramum, trunco non multo minorem ad muſculos abdominales delegat. Deſcribuntur etiam hic in ramulorum recenſione praeter ea annuli, ex ramulis in coſtarum interuallis efficti, et anaſtomoſes cum epigaſtrica, ſurſum adſcendente, arteria. Monetur ſimul ex eodem mammariae loco proficiſci *intercoſtalem ſuperiorem* arteriam, et non nunquam aliquam *ſpinalem*, quarum vero hiſtoriam amplius non perſequitur Cl. Auctor, ſed ſubclauiae continuationem in *axillari* conſiderat, qua denominatione tunc demum illa ipſi digna eſſe videtur, a media ſi receſſerit clauicula. Ex hac *thoracicae externae* deriuantur, quarum quatuor potiſſimum ſunt, licet non neget Cl. Auctor, magnam in his eſſe varietatem. Seruant autem hunc ordinem, ut exinde proueniat *primo*, *thoracica ſuperior*, cuius rami ad coſtas earumque interualla accedunt, annulos conſtituunt, anaſtomoſes tum cum mammaria, tum cum aliis thoracis arteriis efformant, et in muſculos intercoſtales ſerratumque magnum deducuntur: *ſecundo*, *thoracica altera maior* ſiue *longior*, quae ramos ſpargit ad glandulas ſuperiores axillares, coſtas, per quarum interualla etiam progreditur, anaſtomoſes, ut prior, varias format, ſed ad quintam uſque coſtam deſcendit: *tertio*, *thoracica humeraria* ſeu *acromialis*, cuius rami accedunt ad ſerratum maiorem ſuperiorem, aliosque pectoris muſculos, porrigit quoque illa *nutritiam clauiculae*, *circumflexam*, quibus et articulationibus ſcapulae et clauiculae proſpicit et vicinis arteriis inoſculatur: *quarto*, *alaris*, glandulis alae deſtinata, ex qua etiam ramuli muſculis pectoris communicantur, alii ad ſeptimam coſtam deſcendentes
p. 14. tandem in cutem terminantur. Deſcendens quidem, a ſupra dicto loco axillaris arteria, minores adhuc ramulos exhibet, tunc autem, ubi ad oram inferiorem muſcu-

muſculi infraſcapularis deuenerit, maiorem edit arteriam, *ſcapularem* ſcilicet *inferiorem* aut *infraſcapularem*. Huius autem ramuli ad utramque ſcapulae ſuperficiem diſſeminantur, muſculis ſcapulae, latiſſimo dorſi, perioſteo ipſique oſſi, *nutritii*, inſeruntur, ita quidem, ut in his quoque viis cum aliis variae ſint inoſculationes. Ramus eius eſt illa arteria, quae *thoracica inferior* WINSLOVIO vocatur, *interna ſcapulae* ſeu *ſcapularis interna* WINSLOVII, et *ramus circumflexus* ad ſcapulae dorſum, unde *nutritia dorſalis* quaedam originem ſumit. Ad eundem locum p. 16.
duae aliae arteriae ex axillari proueniunt, *circumflexa anterior*, parua, et *poſterior* maior. *Poſterior*, quam *humeralem* WINSLOVIVS nominat, omnem humeri poſteriorem partem ambit, ramos adiacentibus praebet muſculis, nec non humeri epiphyſi; *anterior*, aliquando prioris propago, perexigua eſt; eius tamen ſubtiliores diuiſiones ſedulo deſcriptae, et anaſtomoſis cum profunda brachii arteria adnotata fuit.

Nunc demum, ex hoc loco ſecedens, axillaris arteria, *humerariae* nomen ab Ill. Auctore recipit, quod humero vicina fit. Praeter exiguos quosdam ramulos illa ad muſculi maioris teretis oram, ubi cum latiſſimo coniungitur dorſi, exhibet *profundam humeri*; ſed, huius truncus cum quandoque duplex eſſe ſoleat, de utroque ſigillatim differit Cl. Auctor, in primis, cum huius arteriae neceſſaria admodum ſit conſideratio, eo in caſu, ubi brachialis reſecanda eſt. Ex eius ramis unus praecipuus et maior eſt, qui varias cum vicinis anaſtomoſes alit, alii deinde minores, qui ad muſculos variisque in locis ad perioſteum deferuntur.

Profunda haec arteria aliquando mox ab initio p. 19.
diuiſa eſſe deprehenditur, plerumque ad muſculi brachialis externi et interni concurſum, et externi quidem poſteriorem oram. Ex hac diuiſione ramus

prouenit *radialis, communicans*, ex quo ad muſculos, ibi poſitos, rami deueniunt. Sed cum per lineam humeri aſperam deſcendat, in condylo anaſtomoſin cum coraco-brachiali facit et *poſteriorem arcum humeri* conſtituit, ex quo ad cauitatem articuli ramuli abeunt, alii vero, ulterius pergentes, ad cubitum nouas anaſtomoſes formant. Ramus alter et *inferior, ulnaris*, breuior eſt et in externo muſculo conſtitutus, muſculoſis exhibitis ramis, etiam anaſtomoſin cum inferioribus arteriis producit. Verum praeter has etiam plures adhuc ſunt anaſtomoſes, quarum ſat multas diſtincte deſcripſit Ill. Auctor, varietatesque, a ſe obſeruatas, ſtudioſe indicauit. Proficiſcitur autem ad finem coracobrachialis muſculi ex ipſo trunco arteriae humerariae, nunc humeri *nutritia*, quae aliquando duplici etiam ramulo humerum ingreſſa eſt, et *anaſtomatica* perpetua, quae pone articulum in medio fere brachiali interno muſculo ſub priore exit, mox ulterius diuidenda, copioſioribus anaſtomoſibus aliis et profundae etiam iungenda, ſimulque *arcum dorſalem humeri poſticum* conſtituens.

Ipſa nunc *humeraria* in ramos abit, quorum alter plerumque minor, ab oſſe, cui inſidet, *radialis*, alter ex eadem ratione *vlnaris* dicitur, qui *interoſſeam* arteriam ſuppeditat. De poſteriori primo diſſeritur, eiusque ſubtiliores diuiſiones et termini indicantur.

p. 23. *Vlnaris* ſeu *cubitalis*, aliquando radiali minor viſa, plerumque maior eſt, minores primo ramulos ad muſculos, perioſteum, cum ſuperioribus quoque communicantes ſpargit. Deinde *recurrens ulnaris* ramus notatu dignus occurrit, perpetuus, licet originis locus variet. Communicat ille multis modis, rete etiam ad condylos facit cum arteria brachialium muſculorum, prouenit ſub eo *radialis nutritia* et interoſſea quaedam, non tamen ſemper. Sed cum hic loci arteriae venaeque ſibi admodum ſint vicinae, hae autem in ſanguinis miſſione ſecari ſoleant, earum

iter

iter ſimul perpendit Cl. Auctor, docens, ſi bicipitis tendo in ſectione laeſus fuerit, nec neruus, tunc facile mala non metuenda eſſe. Deſcribit porro progredientem ulnarem eiusque ramos, inter quos praecipuus fere eſt: *dorſalis manus*, ex qua perioſteo ulnae rami dantur, et anaſtomoſes cum interoſſeis fiunt, ad minimum ille digitum ſi progreſſus fuerit, *dorſalis ulnaris minimi digiti* exiſtit, tandemque cum arcu carpi coniunctio. Ipſe *ulnaris* arteriae truncus p. 26. ad volam nunc properat, ſub ligamento, armillari dicto, in cuius diuiſione, licet nunc varietates ſint, ſolent tamen rami quidam ſub cute mox decurrere; alius, qui profundius deſcendit, dat *cubitalem profundam*, ex qua etiam ad cutem ramuli abeunt, alii dorſum manus perforant, alii ad minimum digitum deriuantur. Flectens autem ſeſe ad radium truncus, *digitalem arteriam* porrigit, quae *volarem radialem minimi digiti* et *ulnarem quarti digiti* de ſe ſpargit. Sed, dum cum radiali arteria anaſtomoſi iungitur, inde fit *arcus ſuperficialis volae*, cuius ea eſt utilitas, ut laeſa etiam radiali arteria, per hanc reſtitui ſanguinis iter queat. Huius arcus rami plures ad muſculos abeunt, et alii in digitis abſumuntur, quarum huc deueniendi ratio exemplo medii digiti illuſtratur.

Huius ulnaris arteriae ramus porro conſideratur p. 39. alter, magnus, *interoſſea* ſcilicet *arteria*, quae, ad ſuperiorem originem flexoris pollicis nata, flexuoſa procedens, dat *nutritiam radii* et *ulnae*, nec non in decurſu per ligamentum interoſſeum, *perforantes* plures, ad octo ſaepe. Notandus etiam eſt ex his ramis *recurrens*, qui cum humeraria anaſtomoſin efficit. Truncus deinde deſcendens *interoſſeam* facit *externam* dictam, ad pronatorem quadratum vero ſi acceſſerit, in duos diſpeſcitur ramos, quorum *poſterior* ad dorſum venit radii, perioſteo ramis proſpicit et cum aliis iungitur, et in *ulnarem medium* atque

radialem ramum aliquando denuo diuiditur, *anterior* in locis ſibi vicinis itidem hoc modo progreditur.

p. 33. Humerariae tandem finis, *arteria* ſcilicet *radialis*, poſt ortum plures etiam, et conſtantiores, ramos praebet. Oritur illa ad finem brachialis interni muſculi, atque ulnari plerumque minor eſt. Studioſe interim locus eius progreſſus, qui aliquando longe et remotius ab humeri articulo fieri ſolet, deſcribitur. Praeter minores muſculorum ramulos, mox ex ſe di-

p. 34. mittit *radialem recurrentem*, quae cum brachialis arteriae ramis communicat, deinde ad radium deſcendens non magnos, varios tamen, muſculis ramos largitur. Circa finem huius oſſis *ſuperficialis volae* inde procedit et alius minus perpetuus, cum ulnari communicans, *anaſtomoticus*, nec non paulo profundius alius, ad conſtituendum *arcum ſuperficialem volae* datus. Truncus radialis arteriae porro ad dorſum manus accedit. Praeterimus hic omnes minores ramulos, qui partim muſculoſi, partim cutanei fiunt; ex reliquis magis notandus eſt, *dorſalis manus*, qui eodem loco ac *dorſalis pollicis radialis* naſcitur, nec non e regione eius *dorſalis carpi*, qui cum interoſſeis iungitur, non nullisque ramis per carpum vagatur, metacarpi oſſibus ramos ſuppeditat, *perforantes ſuperiores* conſtituit et cum cubitali nectitur. Cum autem in vola quiuis fere digitus inde ſuos recipiat ramos, illi ſecundum eos, ad quos accedunt digitos, nomina habent, immo rami ad volam prope pollicem deueniunt, et eſt arteria *pollicis radialis volaris*, quarum omnium hiſtoriam accurate, additis etiam, quae hic ſaepe occurrunt varietatibus, proponit Ill. Auctor. Ex hac radiali, ad finem oſſis metacarpi indicis, cum

p. 41. cubitali profunda coeunte *arcus profundus volae* enaſcitur, cuius progreſſum et varietates ex ſex diuerſis cadaueribus ſuppeditat Noſter. Commune huic eſt dare arterias *interoſſeas medias*, quae cum aliis, mox dicendis, interoſſeis variis in locis iunguntur, et ad dorſum

dorſum manus etiam deducuntur, *interoſſeas* deinde *volares*, varias numero, ad ſex uſque, quae interoſſeorum lumbricaliumque muſculorum viam ſequuntur, pariterque cum aliis conſpirant, *perforantes* porro varias, *ſuperiores* et *inferiores*, quae cum interoſſeis dorſalibus tandem communicant, *retrogradas* tandem aliquas, quae ex conuexa arcus parte ad carpum eiusque ligamenta redeunt, nec non quibusdam dimiſſis ramulis, ut praecedentes, anaſtomoſes cum aliis perficiunt. Ex quibus id clarum eſt, inter omnes manus arterias tam ſapientem a natura nexum inſtitutum fuiſſe, ut ex uno in alterum locum, ex uno in alterum canalem admodum libera, atque ſanitati et circuitui humorum conueniens, via ſuperſit. Notamus autem hancce vaſorum recenſionem, quae ſpecimen ſubtilioris diſquiſitionis eorum exhibet, ita ab Ill. Auctore nunc fuiſſe propoſitam, ut, quem in antecedentibus ſecutus erat, ordinem immutarit: non enim ipſis figurarum explicationibus, ſingulae ſubiungitur arteriae dilucidatio, ſed continuo, qui legentes non moratur, ſermone omnis vaſorum exponitur hiſtoria, ad finem demum iconum adiecit illuſtrationes, de quibus pauca adhuc nobis monenda eſſe intelligimus. Continentur vero in quinque tabulis figurae nitidae ſeptem, quarum ſiſtit: *prima* pectus et abdomen infantis, cui in ſiniſtro latere cutis, in dextro omnes ad pleuram muſculi ademti. Eleganter hic vaſa intercoſtalia arterioſa, mammaria et epigaſtrica praecipue pinguntur. *Secunda* et *tertia* utramque ſcapulae faciem proponit, in qua decurrentes maiores arterias, earumque ex truncis ſuis origines, aeque ac minores, per omnem ſcapulam diſperſos, ramulos contemplamur. *Quarta* brachii dextri anteriorem partem cum arteriis, venis, neruis, muſculisque oſtendit, ſimulque, quem in venae ſectione vitare debeant chirurgi locum, demonſtrat. *Quinta* ablatis quibusdam muſculis ſuppoſitum arte-

riarum iter docet, in eo etiam arcus volae profundus et interoſſeae atque retrogradae arteriae, indeque prouenientes rami ſuis in ſedibus conſpiciuntur. *Sexta* eiusdem brachii dextri arterias exhibet eas, quae per dorſum manus procedunt, quasque variis anaſtomoſibus inter ſe iungi ſupra dictum eſt. Sed, cum tanta ſit arteriarum, in vola decurrentium eorumque ramorum copia, omnes illi ſeparatim adhuc in *ſeptima* proponuntur. Totius corporis tabulas, paſſim iam citatas, expectare nos iubet Ill. Auctor, quas, vaſorum cohaerens iter cum oſtendant, ut ſumme utiles, auide praeſtolamur.

IX.

De cortice dentium differit et anatomen publicam indicit CHRISTIANVS GOTTLIEB LVDWIG, Phyſiol. Prof. Publ. Ord. et Coll. B. M. Virg. h. t. praepoſitus, Lipſiae 1753. 4. 1½ pl.

Quo ſingularis magis eſt dentium, iam formatorum, exterior, in corona obſeruandus, cortex, eo maiorem etiam, cum quo varia, ad declarandam eius indolem pertinentia, inſtituit Cl. Auctor experimenta, ille meretur obſeruationem. Tenerrima namque eius ſtamina et illo etiam tempore, quo dens adhuc eſt folliculus, armato oculo iam minuta granula ſiſtunt. Haec ſenſim aucta, denſam deinde et albam, ſplendentemue eius conſtituunt ſuperficiem, in qua niſi morborum, aliisque deſtruendi vi praeditis, cauſis accedentibus, fibroſa eius compages non detegitur. Incipit autem illa ad radicis, ex alueolis eminentis, limites diuerſae in diuerſis dentibus eorundemque locis, craſſitiei. Oleum vitrioli concentratum, cum tribus partibus aquae miſtum, oſſa, illi immiſſa, diſſoluendo in friabilem conuertere materiam notum eſt, idem tamen dentibus applicatum, radi-

radicem facile, corticem coronae non ſoluit, niſi diu continuata, in ſpiritu hoc acido digeſtione; licet ea, quae ſub cortice eſt, oſſea materies, hoc vel arte, vel ſponte corrupto, facillime deſtruatur. Ipſa autem haec momenta geneſin corticis haud parum illuſtrant; ſi enim formata radice, ex alueolis erumpere conatur corona, in ipſis eorum limitibus illa comprimitur et denſatur, calcareae ſcilicet vel terreſtres particulae fibris eius ſe interponunt, denſiorique ſua facta compage albo renitent colore, quippe qui etiam, a variis externis labefactatus iniuriis, fiſſuras agit. Sed quo hae inter ſe contineantur particulae, facit gluten ex aquoſis, oleoſis, ſalinisque moleculis mixtum. Illam tamen coronam perpetua conſeruari nutritione integram, ex eo ſimul conſtat, quod aetas praeter magnitudinem, alias quoque eius conditiones mutat. Aeri forte, poſtquam dentis corona ex alueoli clauſtris dimiſſa eſt, in comprimendo et denſando eo aliquid tribui poſſet, niſi in hominis adulti maxilla ſuperiori et in palatina eius apophyſi tertii ordinis dentem, polita duriſſimaque marmorea obductum ſubſtantia, inueniſſet Cl. Auctor; et illam, indicato ſupra modo conformatam fuiſſe intellexiſſet, aeque ac comprobaſſet.

X.

Eſſays in natural Hiſtory and Philoſophy, containing a Series of Diſcoveries, by the Aſſiſtance of Microſcopes. By IOHN HILL, M. D. Acad. Reg. Scient. Burdig. etc. Soc. London. printed for J. Whiſton and B. White etc. 1752. 8. Alph. 1. pl. 3½.

hoc eſt.

Tentamina in hiſtoria et philoſophia naturali, quae per microſcopia inuentorum ſeriem continent. Auctore IOANNE HILL.

Minimorum naturae ſtudium quam utile ſit et ad augendam hominum erga Deum optimum maximum venerationem, et ad philoſophiam naturalem perficiendam, dudum monuerunt viri, ſupra vulgus eruditorum ſapientes. Qua de ſententia, ſi quis dubitet, poterit certe eum ipſi huius libri perſuadere lectio, in quo uterque ille obſeruationum microſcopicarum uſus maxime luculentis ſpeciminibus demonſtratur. Collegit in hunc librum Cl. Auctor varias obſeruationes, quas per plures annos microſcopiorum ope inſtituit, quaeque ipſi nouae viſae ſunt, quippe ab aliis nondum deſcriptae. Eas autem obſeruationes ſic recenſet, ut perpetuo digitum vel ad illuſtrandos locos philoſophiae naturalis, quos alii adhuc obſcuros reliquerunt, vel ad hiſtoriae naturalis incrementa, errorumque ab aliis auctoribus commiſſorum emendationem, vel ad infinitam Dei ſapientiam ac beneficentiam commonſtrandam intendat. Multas etiam enarrationis telae intexit admonitiones, de modo microſcopia rite tractandi, quas non ſolum perutiles tironibus huius artis, ſed et adeo prouectioribus neceſſarias iudicamus, ad repetendum non nullas obſeruationes, quae omnem certe eorum fidem ſuper-

ſuperabunt, quibus microſcopiorum, qualia hodie parantur, vis, atque obſeruationes per ea recte adminiſtrandi ratio, longo uſu nondum eſt perſpecta. Quae cum ita ſint, non poſſumus non cunctis hiſtoriae naturalis amatoribus hunc librum commendare, qui ita eſt conſcriptus, ut et utilitatem et voluptatem legentibus poſſit afferre.

Sed agedum, paullo propius eum inſpiciamus. Diuiſit eum Cl. Auctor in XIX capita, quibus ſingulis *tentaminum* titulum fecit. Primi capitis exordium eſt praefationis loco, in qua Auctor veteres naturae indagatores cum iunioribus contendit, illisque primas tribuere videtur, propter ea quod, etſi iuniores longe maiorem rerum naturalium multitudinem deſcripſerint, veteres contra earum rerum, quas nouerunt, vires et utilitatem probe habuerint perſpectas. In hoc enim hodie peccari indicat, quod eruendis rebus nondum cognitis, iisque exacte deſcribendis, omnis impendatur opera, uſus autem negligatur, quem res naturales in medicina, aliisue artibus vitae utilibus, habere poſſunt. Quam ob rem optat, ut utrumque indagationis genus a phyſicis coniunctim colatur; ſic tamen, ut alii rebus ipſis inueniendis et deſcribendis, alii rerum iam notarum uſui detegendo operam nauent, prout ſua quemque voluptas ad hoc vel illud ſtudium trahat. p. 3.

Argumentum autem huius primi capitis eſt hiſtoria inſecti, cuius quaedam ſimilitudines ſunt cum cimice aurantiorum, ab HIRIO et SEDILAVIO deſcripto *, quanquam cetera multum inter ſe differunt. Reperiit illud Cl. Auctor in tulipiferis, quarum cortici absque omni vitae indicio adhaeret, ſquamam referens. Superficies eius eſt triangularis figurae, et oculo tanquam rugoſa cuticula apparet; microſcopium autem illam oſtendit, e ſquamulis compoſitam, p. 7.

* In Comment. Acad. Sc. Par. 1692. p. 11. et 1704. p. 60. Edit. Amſtel.

positam, quae sibi inuicem, ut tegulae in tecto domus, impositae sunt. Haec superficies autem non est nisi tegmen animalculi, medio ipsius dorso adnatum.
p. 12. Totus eius margo arcte adhaeret cortici per innumera filamenta, quae tamen non, nisi diuulso a cortice insecto, conspicua fiunt. Quo facto etiam apparet, sub tegmine illo latere animalculum, compositum ex capite, thorace, et ventre. Caput est duobus ocellis instructum, et proboscide, cuius acuminata extremitas corticem perforat, ad exsugendos eius succos, et duabus antennis, quarum quaeque tredecim ouatos articulos continet. In thorace laeui conspiciuntur sex pedes, ungulis bifurcis terminati. Venter, ex annulis circiter septem compositus, apertus est prope extremitatem, ubi animal ouula sua excludit, quae
p. 14. viscoso quodam vinculo inter se coniunguntur, et sub tegmine matris apto ordine dispositа manent, donec foetus ex iis prodeant, quod fit mense septembri. Horum foetuum immensa multitudo mox viam sibi parat, qua erumpat in lucem, corrodendo filamenta, quibus tegmen matris, inter haec mortuae, cortici iungitur; quo facto tegmen illud sponte sua de cortice decidit, et noua illa progenies per autumnum et hiemem tota arbore palatur. Sub veris autem initium maxima horum animalculorum pars,
p. 18. 19. matrum more, sese in cortice arboris figunt, pars in chrysalides mutantur, e quibus mox exiguae muscae prodeunt, quae mares sunt, et inter feminas suas, cortici arboris iam adhaerentes, ambulando generationis negotio funguntur, dum corporis sui extremitatem aperturae exiguae, qua cuiusque feminae tegmen patet, immittunt. Hae muscae, ab Auctore curatius descriptae, carent organis pastus, et non nisi feminarum foecundandarum gratia per breue ad modum tempus aura vitali fruuntur. Praeter eas muscas conspiciuntur etiam inter haec insecta vermiculi, qui tamen ipsa non laedunt; orti illi sunt a musca ichneumone,

mone, quae oua ſua in corpus inſecti huius, dum arbori affixum eſt, immittit, quod tamen ſine incommodo inſecti fieri Auctor perhibet.

In ſecundo capite reperimus elegantem et accuratam deſcriptionem plantae marinae, cuius imperfectam ad modum notitiam adhuc habuerunt hiſtoriae naturalis ſcriptores, et quam ipſe Cl. HILLIVS in Voll. II. hiſtoriae naturalis *, ubi eius ſub titulo corallinae latae denticulatae mentionem fecit, indicauit magis quam deſcripſit. Creſcit haec corallina in p. 24. fundo maris. Baſis eius eſt paruus et tenuis in ſuperficie ſilicis vel teſtae oſtrei diſcus, ſubſtantiae fuſcae et aliquanto pellucidae, a cuius centro ſurgit truncus ſingularis, nouem cum dimidio pollices altus, cacumen habens in duas partes fiſſum; hic truncus e medio ſui, et ſuperioribus partibus, emittit ramos ſingulatim, quorum longiſſimus quatuor pollices non excedit, parallelos fere ad truncum, et ab eo haud ultra digitum diſtantes, atque apices habentes obtuſos. Totius plantae ſubſtantia eſt uniformis, laeuis, perfecte pellucida, coloris e badio et flauo miſti. Sed haec ſingula ita ſe tantum habent, quam diu planta ſub aquis maris viget; quod ſi enim e loco ſuo natali in aerem translata eſt, rami ſitum horizontalem affectant, et ſubſtantia fit alba et prorſus opaca. Ceterum truncus et rami lati ſunt et complanati, ita ut eorum latitudo ſaltim triplum craſſitiei adaequet; profunde ſunt inciſi, dentibus alternatim poſitis ex utroque latere; intus autem omnes caui ſunt, haud quidem continua exiſtente cauitate, ſed tota planta in valde multas cellulas per diaphragmata ſeu membranas tranſuerſas diuiſa. Accuratior per microſcopia contemplatio docuit Auctorem, id, quod hactenus deſcripſit, veram eſſe plantam, eosque in graui errore verſari, qui, BERNARDI IVSSIEVII p. 27. V. C. auctoritate inducti, omnes corallinas pro operibus

* Hiſtory of plants p. 16. Londini 1751. fol.

ribus inſectorum habent, in illis commorantium. Quam praeiudicatam opinionem, quae per ſe ipſa parum probabilis eſt, nunc omnino eliminari ex hiſtoria naturali oportet, poſtquam Cl. HILLII ſolertia tam ſecundam experta eſt fortunam, ut fructificationis in hac corallina modum detegere ipſi licuerit. Namque in ouatis illis corpuſculis cauis, quae in alis ramorum dentiumque ſuorum corallinae nonnunquam gerunt, et quae non nullis viſa ſunt veſicarum aeris plenarum vice fungi, ad ramos plantae in mediis aquis erectos ſuſtentandos, in his nimirum veſiculis vidit Auctor incluſa organa fructificationis tam
p. 30. maſculina quam feminina. Illa, quae ſunt nuda ſtamina ſine inuolucro, ex ipſa veſiculae membrana enata, quorum unumquodque tribus antheris ornatum eſt, per internam ſuperficiem veſiculae diſpoſita ſunt in linea ſpirali, quae in ſummitate veſiculae incipit, et in plano ab hac ſummitate, duas tertias totius veſiculae altitudinis diſtante, deſinit; ſub hoc plano, et in aliqua ab eo diſtantia, ſunt feminini flores, per circulos diſpoſiti, qui omnibus florum ornamentis carent, et non ſunt niſi rudimenta fructuum ſeu ouaria, in ſcrobiculis ſuperficiei internae veſicularum impreſſis deliteſcentia ſub tribus corpuſculis pyramidalibus, quae ex margine cuiusque ſcrobiculi verſus centrum eius extenduntur, coeuntibus ibi eorum apicibus. Sed hae pyramides eriguntur, et fructum, quem antea contexerant, retegunt, quam primum puluis ex antheris eiicitur. Fructus autem illi, qualium unus in unoquoque ſcrobiculo haeret, ſunt capſulae, quae multitudinem minutiſſimorum ſeminum continent; et poſtquam maturuerunt, veſiculis diſruptis, ſcrobiculos ſuos relinquunt, fundum maris petentes, ubi ſi in arenam inciderint, pereunt, ſed in ſilicem vel aliud corpus ſolidum delapſi creſcunt.

p. 39. In cellulis huius corallinae habitat genus inſectorum admirabilis ſtructurae, ſed a nemine adhuc deſcri-

descriptae *. Haec insecta, ut sunt voracissima, saepe magnam partem corporis sui exserunt istis cellulis, quarum quaeuis unam in medio aperturam habet, ad venandum minutissima animalcula, quibus aqua maris abundat. Quam venationem pariter ac structuram corporis horum insectorum Cl. HILLIVS in tertio capite accurate describit.

In quarto capite agit de arena, quae in littore maris circa minorem Balearidum reperitur, et gemmarum ad instar resplendet. Constat ex particulis irregularis figurae, quarum aliae albae sunt, aliae viridis, aliae rubellae, et quae ortum debere videntur pulcherrimo lapidi, in illis littoribus latenti, qui aeri expositus dissoluatur. p. 63.

Caput quintum versatur in descriptione muscae cuiusdam ichneumonis, quae ouula sua in alicuius erucae corpus inserit, ubi excluſi ouulis vermiculi per aliquot dies viuunt et crescunt, quibus elapsis, cutem erucae corrodendo erumpunt, et in chrysalides euadunt. p. 72.

Sexti capitis argumentum est minutorum animantium genus in seminum stramonii infusione viuens, nondum descriptum. Pertinet ad classem maiorum animalculorum microscopicorum, corpus habet pellucidum ac planum, figurae ouatae, spinis quasi consitum, et margo corporis totus cinctus est fibrillis ad instar pilorum. Membra, facultates, et viuendi modum huius animalculi Cl. Auctor fusius exponit. Ceterum varias memoratu dignas obseruationes adiicit. p. 98.

Negat experientiae conformem esse opinionem, quod singularum plantarum infusiones pecu- p. 93.

* Differunt haec insecta ab incolis corallii rubri, a VITALIANO DONATI in Saggio della storia naturale marina dell' adriatico, in Venezia 1750. 4. pag. 43. numero praesertim radiorum seu brachiorum, quorum quatuor tantum habent huius corallinae incolae, sed corallii octo. vid. quoque Comment. nostr. Vol. I. Part. III. p. 481.

peculiaribus animalculis ſcateant. In infuſionibus amplius triginta diuerſarum plantarum, quae in eadem feneſtra collocatae et ſingulae animalculorum plenae erant, octo duntaxat genera animalculorum deprehenſa ſunt; et animalculum, in hoc capite deſcriptum, in infuſionibus etiam ſeminum nicotianae,
p. 96. nec non lycoperſici, eſt repertum. Attamen obſeruauit Auctor, earum plantarum, quae ad idem genus pertineant, vel in ſapore aliisue qualitatibus conueniant, infuſiones eadem animalcula producere, diſſimilium autem plantarum diuerſa. Eandem infuſionem in duobus fictilibus vaſis, quorum alterum veſica uda erat clauſum, alterum libero aeri patebat, eadem animalcula tuliſſe vidit. Sed in anemones infuſionibus aeque ac in aliis fruſtra quaeſiuit animalculum, in cuius dorſo faciem ſatyri expreſſam
p. 94. eſſe perhibuit Auctor aliquis Gallus, in quem Noſter ſeuerius animaduertit, quoniam idem et in aliis infuſionibus finxit magis phantaſia, quam oculis uſurpauit animalcula, a ſe deſcripta; cui vitio, cum magno phyſices detrimento coniuncto, et alios plerosque illius nationis ſcriptores indulgere dicit, et propter ea ſuae nationis auctores non veretur Gallis longe an-
p. 61. teponere, de quibus et alibi hoc paullo aſperius habet iudicium, nihil eos magni momenti multis ſuis molimentis ad ſcientiam naturae contuliſſe, REAUMURIO excepto, quem indefatigabilem et immortalem auctorem merito appellat.

Septimum caput ſubtilem continet deſcriptionem mucoris, quem una praedictarum infuſionum, quae per aliquot dies in vaſo clauſo ſteterat, in ſuperficie contraxerat. Compoſitus erat ille mucor ex
p. 116. plantis valde minutis, quas Cl. HILLIVS ad genus fungorum refert. Baſis, in qua hae plantulae creſcunt, eſt cruſta rotunda, cuius ſuperior quidem ſuperficies aſpera eſt et granulata, inferior autem, aquae innatans, laeuis, ad inſtar pergamenae. Haec

ex

ex punctis parum a se inuicem distantibus emittit radiculas, ex unoquoque tres, quae sunt albae, pellucidae, subtiles, breuesque fibrae, et extremitates suas in vaginis habent reconditas. Hae radiculae non ad perpendiculum descendunt, sed a centro versus circumferentiam diuergunt. Inter granula superioris p. 118. superficiei exsurgunt petioli, qui sunt cylindri caui, pellucidi, politi, et tenui muco infecti. Eorum petiolorum unusquisque sub maturitatem capitellum sustinet vel pileolum, compositum e fibrillis, radiorum instar, e centro diuaricantium, positis, ut speciem globi efficiant. In hoc statu plantulam simillimam Auctor refert esse denti leonis semina ferenti, praeter quam quod huius caput papposum magis compactum sit, eiusque radii apices minus a se mutuo distantes habeant. In illius autem plantulae pileolo sunt tantum radii circiter viginti sex, qui constant ex aliquot globulis aequalibus, subcoeruleis, muco praedicto tectis iunctisque. Circa bases ho- p. 120. rum radiorum, in summitate petioli, sunt pediculi adhuc breuiores et subtiliores, cetera petiolo similes, quorum quisque etiam suum capitellum habet, sed siccum et subflaui coloris, quod antherae nomen sibi postulat. Ex his capitellis eiectus puluis, quem Auctor sub fumi specie vidit, adhaeret globulis radiorum; ipsa autem illa capitella, suo puluere dimisso, in stellulas octogonas explicantur. Globuli porro, p. 126. simul ac puluerem antherarum exceperunt, colore subflauo incipiunt tingi; et in eorum superficie hinc inde in conspectum prodeunt tubercula, figurae triangularis inordinatae, parum eleuata, in quorum cuiusque medio comparet corpusculum, figura segmenti sphaerae praeditum, et innumeris in punctis pertusum. Hoc pro stigmate habet Auctor, et obseruauit in eius modi semper stigmate magis quam alibi accumulatum antherarum puluerem, quem ipsum per maximae virtutis microscopium vidit constare

ex granulis figurae ordinatae ouatae, inter ſe aequalibus et ſimilibus, et multo maioribus, quam ut per
p. 129. aperturas ſtigmatum poſſent tranſire. Hinc coniicit, haec granula, dum in ſtigmatis haereant, rumpi, et ſubtiliſſimam quandam materiam proiicere, quae per ſtigmata ad ſemina penetrat, foecundationi matura; eundemque hunc foecundandi ſemina modum naturam ſemper in maioribus etiam plantis ſequi, non temere ſibi habet perſuaſum. Stigmata in quouis globulo ſeu capſula ſeminali numerauit quatuor et viginti. Paullo poſt foecundationem peractam (tota enim plantulae huius vita ſeptem horas vix
p. 133. excedit) globuli decidunt de radiis petioli, et mox diſrupti ſemina, quae continent, diſpergunt per aquae
p. 135. ſuperficiem innumerabilia, alba, rotunda. Haec poſt paucas horas dehiſcunt ad unum latus, et ad libellam aquae, eoque loco protrudunt oblongum corpuſculum, quod, poſt quam ſeſe ad longitudinem diametri ſeminis triplam, haud mutata figura, extendit, explicatur, et in circuli aream expanditur, adeo, ut mox ipſum ſemen inuoluat, et oculo ſubducat. Qua ratione formatur ea cruſta, in qua tanquam baſi haſce plantulas creſcere, ab initio diximus.

In capite octauo habentur Cl. HILLII obſeruationes de quodam arborum fructiferarum morbo, quem Angli *the Blight* appellant, latine uredinem dici poſſe putamus. Arboris, hoc morbo laborantis, folia flacceſcunt, criſpantur et contorquentur, cortex fit rugoſus, et hinc inde finditur, atque ingens multitudo inſectorum exiguorum alatorum, viridiſſimo colore, in foliis et cortice ſimul conſpicitur. Quibus inſectis cauſam mali vulgus quidem attribuit; ſed ea
p. 144. huius criminis abſoluit Auctor, demonſtrans originem vitii in circulo ſucci, vel per totam arborem, vel per aliquot eius ramos impedito, quod variis de cauſis, maxime tamen ob verna frigora, accidere ſolet. Stagnante autem et putreſcente ſucco inſecta illa

illa allici arbitratur, quippe idoneum ipſis nutrimentum praebituro. His ſolide demonſtratis, genus quoddam inſectorum, uredinem concomitatium, exacte deſcribit.

Nono capiti materiam praebuit planta marina, ad alcyoniorum genus referenda, quam IMPERATVS et alii ſub nomine aurantii marini, vel mali marini, vel burſae marinae memorarunt quidem, ſed neutiquam, prout Auctor noſter iudicat, ſatis deſcripſerunt. Quam ipſe tradit, huius plantae deſcriptio, breuiter ſic ſe habet. Planta haec ſiſtit figuram p. 162. ſphaerae vel aurantii minoris, ex quo paruum ſegmentum demtum eſt. Superficiei externae color naturalis eſt obſcure flauus, plerumque tamen obducta eſt lentore viridis coloris, ſicut alia corpora, in littore maris ſub aquis nata. Scopulis, quos aeſtuans mare alluit, adhaeret baſis planae margine, qui multas fibras tam introrſum quam extrorſum emittit in rimas lapidum; medium autem baſis planae apertum eſt, cruſta, ſeu membrana, quae reliquam plantae ſuperficiem format, eo uſque non extenſa. Altitudo plantae eſt circiter unius pollicis cum quarta parte, et diametro per mediam plantam extenſae aequalis, cruſtae autem craſſities circiter quartam pollicis partem aequat. Haec compoſita eſt ex ingenti multitudine cauliculorum, e margine baſis aſſurgentium, et per ramulos ſuos plexum denſiſſimum, ſeu quaſi reticulatam membranam effingentium. Horum ramulorum extremitates intro flexae in cauitate globi abſconduntur, ut externa membranae ſuperficies ſatis laeuis appareat. Iam in huius cauitatis ſuperiori p. 168. parte, quae per duas tertias partes altitudinis plantae extenditur, e diuiſuris ramulorum enaſcuntur ſtaminei flores, ſingularis ſtructurae. Quilibet nimirum horum florum oritur cum petiolo lato, complanato, qui ex ſe producit duos ramos, qui ambo in multos alios ramulos diuiduntur; omnes ramorum ho-

rum ordines ornantur foliolis trigonis valde exiguis, ex quorum basibus proueniunt stamina singula profunde sulcata, quorum quodque paullo pone exortum in decem fila finditur, aeque sulcata, et horum singulorum extremitates in tres antheras desinunt. Quibus antheris, Auctor annotat, perfectam similitudinem esse cum fructibus Hurae, non quoad figuram solum, sed etiam quoad modum dissiliendi in decem partes Denique in ima parte superficiei internae et cauae aurantii huius marini sunt semina seu potius rudimenta fructuum, quae etiam ex diuisuris ramulorum instar tuberculorum enascuntur. Sunt ea sphaerulae cauae, duabus terminatae membranis, inter quas pulposa materia interiecta est, et superficiei cauae plantae adhaerent margine plano, haud
p. 173. secus ac tota planta scopulis adhaeret. Superficiem habent rugosam, et multis foraminulis compunctam, quae materiam foecundantem pulueris antherarum excipere videntur. Crescunt post foecundationem in ipsa plantae cauitate, donec haec (annua enim est) emoriatur et marcescat, quo facto planta motu undarum a basi sua diuellitur et dissoluitur, ut fructibus nunc e ventre quasi matris in lucem exitus permittatur. Liberi tunc fructus magno agmine sub autumnum in superficie maris natant, et in scopulos undis deuecti crescere, illis adhaerentes, pergunt.

In superficie externa non nullorum aurantiorum marinorum nidificat familia insectorum carniuorum, seu quae alia insecta deuorant, quibus in his
p. 180. suis nidulis insidiantur. Quo in statu plantae talem formam et faciem conciliant, ut inexercitatus obseruator facile induci posset ad credendum, plantam hanc inter octandria hexagynia LINNAEI esse referendam *. Horum insectorum, seu polyporum, quatuor-

* Hac occasione Cl. HILLIVS affirmat, inter plantas, quas Cel. LINNAEVS ex aliorum fide recensuerit, dari

quatuordecim brachiis armatorum, pleniorem descriptionem, qui desiderauerint, eam in capite decimo reperient.

Caput undecimum est historia muscae, quae ex ouo in flore plantae cuiusdam deposito progignitur. De planta hac ipsa Auctor nihil dicit praeter hoc, esse eam exoticam, et ob odorem florum appellari cadaueroſam (Anglice *the Carrion Plant* *): muscae p. 197. autem in flores huius plantae ouula sua inserentis, quae alias, quando istorum florum compos fieri nequit, carni morticinae committit, amplissimam tradit descriptionem.

Caput duodecimum de generatione et fructificatione singularis speciei muſci inscribitur. Huic musco, qui in via sabulo strata repertus est, Auctor eo consilio peculiare caput libri sui destinauit, ut palam faceret, res etiam admodum viles et despectas habere suam pulchritudinem, nostro studio et indagine dignissimam. Et est sane non leuidensis accessio, quam historia naturalis ex hoc Cl. HILLII consilio impetrauit. Primo in hac muſci specie detexit, hoc p. 235. genus plantae esse compages inextricabiles minutarum plantarum, mirifice sibi inuicem implicitarum. Deinde, postquam arte singulari unam harum plantularum a reliquis separauit, eiusque incrementum obseruauit, radiculas eius exire vidit ex uno puncto p. 236. seu capite, et per aream circuli dispergi quaqua versus, super his autem extendi aliquot strata fibrarum subtilissimarum, discum quasi quendam efformantium; porro ex centro huius disci surgere quatuor p. 239. vel quinque penicillos, qui aliquam diu erecti quidem maneant, sed certam longitudinem nacti concidant, et fibrillas suas super disco illo dispergant, sic

 ut

dari non unum genus, sed plura, quibus similis deceptio locum fecerit. Num, recte iudicet confirmabunt aliorum obseruationes.

* Forte Stapelia.

ut nunc ſuperficies plantulae oſtendat plures quaſi conos fibrillarum, quorum vertices iuxta ſe inuicem poſiti in centro, baſes autem in peripheria circuli diſpoſitae ſunt; denique extremitatem cuiusque horum conorum vidit diuidi in duas partes, quarum unaquaeque, poſtquam aliquo uſque producta eſſet, ramos ex ſe emittebat verſus utrumque latus, qui ſimiliter alios ramos producebant, omnes praeditos figura coni truncati, ſeu penicilli ex pilis diuergentibus compoſiti. Poſtquam plantula hoc ſingulari creſcendi modo limites magnitudinis ſuae attigerat, Auctor in diuaricationibus illorum ramorum anim-
p. 243. aduertebat tubas conicas cauas, quarum aliquas cum dilaceraſſet (quod ob earum paruitatem ſaepius fruſtra a ſe tentatum fuiſſe dicit), in fundo earum tria
p. 246. corpuſcula rotunda reperiebat, quorum ſingula in medio erant annulo quodam cincta, et ſuperficiem habebant politam quidem, ſed multis punctis pertuſam. Haec corpuſcula intellexit poſt ea eſſe capſulas ſemina continentes, eaque matura vidit ſic diſſili-
p. 247. re, ut annulus cingens capſulam rumperetur in medio ſui, ſimulque ambo capſulae hemiſphaeria vi elaſtica inuerterentur ita, ut ſuperficies eorum internae, antea concauae, fierent conuexae; quo violento motu minutiſſima, quae in iis continentur, ſemina ad magnam diſtantiam in aerem proiiciantur neceſſe
p. 244. eſt. In filamentis denique ramificationum, quae proxime ſuper qualibet praedictarum tubarum ſitae erant, viſae ſunt antherae, quae ſe manifeſtarunt, quae preſſae pollinem eiecerunt ſubtiliſſimum, conſtantem e globulis ſimilibus et aequalibus, quorum ſuperficies ſpinis conſita apparebat, ſed volumen multum excedebat aperturas ſeu puncta capſularum ſeminalium (quod et in aliis plantis Auctor ſaepius animaduertit). En itaque muſcos perfectarum plan-
p. 249. tarum claſſi aſſertos. Semina huius muſci, quem Auctor examini ſubiecit, erant vehementer minuta corpu-

corpuſcula obſcurae materiei, in centro pappi cuiusdam ſubtiliſſimi ſuſpenſa; unde fieri poſſe cenſet, ut ſemina muſcorum per medium aerem in valde diſſita loca vehantur, et in earum atomorum numero ſint, quae in radio lucis in cameram obſcuratam immiſſo ſaltantia deprehendantur.

Tria, quae ſequuntur capita mirabilium inſectorum deſcriptioni ſunt dicata.

In decimo tertio Cl. Auctor deſcribit quinque, ut ita dicamus, nationes inſectorum, in aqua pluuia, quae per aliquot dies ſteterat, et iam putreſcere coeperat, reperiundas. Hae nationes mole corporum p. 258. valde differunt, licet maximae molis animalcula tam exigua ſint, ut ſi vel centies maiora eſſent, tamen oculo nudo vix conſpicienda forent. Vniuscuiusque nationis animalcula deuorantur ab inſectis reliquarum nationum, minora nempe a maioribus; et minimorum animalculorum, quae reliquarum nationum eſca ſunt, in ſingulis guttis ingens turba eſt, quo maiora autem ſunt reliqua animalcula, eo minor ipſorum multitudo obſeruatur. Maxima pertinent ad ſpeciem animalculorum, quibus nonnulli Auctores nomen *animalculorum rotis armatorum* indiderunt, p. 296. quia caput eorum inſtructum eſt apparatu ad venandum, quo dum utuntur torrentem in aqua efficiunt (ſic fere ut fit in fluuio a rotis molendini), cuius impetu minora inſecta verſus os illius animalculi immoti abripiuntur. Hunc apparatum (qui tamen nullam omnino cum rotis ſimilitudinem habet) aeque ac reliquorum inſectorum membra et venandi rationem Auctor verbis ad viuum pingit.

Caput decimum quartum ſiſtit inſectum, quod parte corporis ſui antica infixum eſt ramis plantae marinae, quae ab Anglis *the Sea Ragged-ſtaff* appellatur, et ſpecies eſt fuci gelatinoſae ſubſtantiae. Ratio, ob quam inſectum ſic infixum plantae degit, haec eſt ſecundum Cl. HILLII obſeruationes, quod ibi eſcam

p. 314. ſemper paratam inuenit, animalcula nempe, quorum ingens copia in gelatinoſae huius plantae ſubſtantia viuit.

Capite decimo quinto Auctor exponit de figura et qualitatibus inſecti habitantis in foliis plantae,
p. 336. quae in Anglia in aquis foſſarum frequentes conſpicitur, et lilii aquatici nomine ibi cognita eſt *, quam tamen Auctor alibi gentium rariorem eſſe ſuſpicatur, certe in Gallia, cum alioquin indefatigabilis REAUMURII oculos inſectum illud, nudis quippe oculis etiam conſpicuum, effugere vix potuiſſe credat. Caput huius inſecti armatum eſt circa os decem brachiis, quae aeque ac ipſum caput teſta ſunt munita, qua de cauſa Auctor hoc inſectum ad cancrorum genus refert; reliqua corporis pars nuda eſt, et corpori lumbrici ſimilis. Veſcitur minutis reptilibus, praeſertim erucis, quae in foliis huius plantae degunt.

Sequentia duo capita verſantur in deſcriptione tum incrementi et fructificationis plantae cuiusdam exiguae marinae, tum animalculi in ea viuentis. Planta haec purpurei coloris in lapidibus vel con-
p. 352. chyliorum ſuperficie ſub aquis creſcit, et in perfecto ſtatu duas tertias pollicis alta eſt. Ex cruſtae lapidis affixae centro ſurgit caulis ſingularis, qui mox in tres ramos finditur planioris figurae, et hi rami alios producunt, non verticaliter poſitos, ſed paullo inclinatos, ex quibus porro aliae ramificationes naſcuntur, ut parui fruticis ſpecies appareat. Auctor hanc plantam ad earum genus pertinere cenſet, quae ve-
p. 365. teribus botanicis alcyonia dicta ſunt. Rami, per microſcopia explorati, caui apparebant, et hae cauitates in extremitatibus ſuis oſtendebant Auctori flores ſtamineos rudimentis fructuum, ſeu capſulis ſeminalibus, ſic intermiſtos, ut plures florum ſtamineorum ſeries, in peripheriis circulorum diſpoſitae, diſtin-

* Morſus ranae ſ. hydrocharis.

distinctae essent seriebus totidem capsularum seminalium circularibus, inter binas series florum semper posita una serie capsularum. Harum serierum omnium numero inito, viginti duae in cauitate unius ramuli deprehendebantur. Capsula quaeuis seminalis in tribus punctis pertusa videbatur. Stamen est breue cylindricum, et ex apice eius exeunt octodecim filamenta minutissima, quorum quodque suam antheram sustinet, quae disrupta pollinem suum spargit, quem Auctor ex granulis minimis constare vidit. Semina ex capsulis disruptis prosilientia vidit plana et cordata, quae in aqua fundum petebant, et mox horae sexagesima parte nondum elapsa gelatinosas crustas ex se producebant, quibus fundo adhaererent. Ramulorum huius plantae cauitates domicilia etiam sunt animalculorum, quae seminibus eius inhiant, et quorum formas Auctor capite decimo septimo exponit. p. 370. p. 373.

Octauo et decimo capite describitur minutum vegetabile peculiare, quod Auctor ignoti adhuc ait esse generis, in superficie mali granati, ubi illud leuem contusionem passum erat, enatum. Constabat illud ex permultis plantulis similibus, quarum quaeque ab Auctore tanquam arbusculum describitur, cuius caudex ornatus esset ramificationibus sic dispositis, ut simul effingerent conum truncatum, qui basin suam ampliorem sursum versam haberet. Color plantulae est albus subcoeruleus. Caudex et rami consiti quasi sunt fructibus plantae, qui illis per infinite paruos petiolos adhaerent. Capsulae seminales sese aperiunt, et seminum rudimenta (haud consueta naturae via) exponunt antherarum pollini, quod illa mox est foecundaturum. Stamina octo collocata sunt in cauernula quadam, quam in superiori parte capsulae seminalis efficit iunctura quatuor valuarum, ex quibus capsula efformata est. p. 390. p. 395.

Vltimi capitis argumentum est descriptio animalculi, quod in aquis subterraneis ab Auctore repertum est, et tam ob singularem corporis conformationem, quam ob miram methodum, alia animalcula minora, in eodem fluido natantia, venandi dignum ipsi visum est peculiari commemoratione.

XI.

Philosophiae naturalis primae lineae, editio auctior et emendatior. Auctore SAM. CHRISTIANO HOLLMANNO, Log. Met. et Theol. Nat. P. P. O. Societatum Regg. Londin. et Goetting. Membro. Gottingae apud Abraham. Vandenhoeckii viduam 1753. 8. pl. 19.

In usum auditorum editum est compendium, igitur palmaria physices capita breuiter, et si fieri potest, conclusiones tantum continet, principiis lectionibus ipsis seruatis. Ita saltim primam libelli editionem comparatam fuisse monet Cl. Auctor, hanc paulo prolixiorem esse. Vberius vero omnia in noua operis sui maioris editione persequetur. Nos pauca delibabimus. Experientia constare fatetur (§. 18) corpus *nullum moueri*, nisi ab alio, sed qui hinc inferant *non moueri posse*, nisi ab alio, esseque mere passiuum quid, plus habere in conclusione, quam in praemissis. Etsi (§. 19) rationem quoque nullam adhuc noscamus, vim, nisum aut conatum ad alia vel ad semet ipsum mouendum corpori tribuendi. Certum vero est corpora resistere motui (§. 20). Sed qui hinc actiuam vim aliquam, et *reactionem* exsculpunt, in vocibus ludunt (§. 22). Frigus num in solo caloris defectu consistat, an positiui quid sit, in dubio relinquit (§. 145) monet tamen stupendos illos frigoris effectus, de quibus experimenta florentina,

tina, parisina et russica testantur, vix a solo caloris defectu pendere posse.

Minimam distantiam, in qua constitutum esse possit corpus, sonum reflectens, ut echo inde formetur, sic definit (§. 159): *si uno minuto secundo sex soni distincti formari possint, a quorum ultimo solum, quinque prioribus finitis, echo aliqua immediate post percipiatur; quoniam sonus eodem temporis interuallo per 173 hexapedas gallicas mouetur, pro quolibet sono reflexo 173 pedes paris. relinquentur, quorum dimidium 86½ pedes paris. distantiam corporis minimam dabit, a quo sonus reflexus siue echo aliqua oriri possit; id, quod experientia ipsa quoque non parum confirmatur. De illo tamen casu hoc solum valet, quo corpus sonorum cum aure audientis in eodem loco constituta sint. Quod si auris audientis, inter corpus sonorum et obicem reflectentem, sit posita, siue in eadem recta ceterum constituta fuerint, siue angulum quemcunque acutum aut obtusum interceperint, obex reflectens multo propius distare ab aure audientis potest.* Attractionem, etsi phaenomenon esse non diffiteatur (§. 190 seqq.) tamen, cum eius origo penitus nos lateat, non idoneam esse ad causam reddendam contendit, ut quae effectus saltem nomen sit. Nobis, si addere sententiam nostram licet, *attractio* videtur nomen proprietatis alicuius corporum generalis, et pluribus in locis manifestae. Vt, qui phaenomenon quoddam ex attractione explicat, nihil aliud dicat, quam esse illud casum aliquem particularem, sub lege generali contentum.

Aquae et aeris grauitatem (§. 241) comparauit inter se, reperitque martii die 3. 1752 aquae Goettingensis, tophi subtilioris aliquantum continentis, gradu 44 thermometri Fahrenheitiani calentis, grauitatem, ad grauitatem aeris gr. 48 calentis relatam, ut 818⅓ : 1 existente barometri altitudine 29″ 98‴ ped. lond. D. 25 martii aqua calente gr. 45, aere

gr. 53.

gr. 53 et altitudine barometri = 28″ 89‴ ratio grauitatum erat, ut 882 $\frac{2}{3}$: 1 et d. 22. iulii aere gr. 71, aqua gr. 56 calente, barometri altitudine exſiſtente 29″ 55‴ erat = 848 $\frac{3}{4}$: 1. Ergo quam proxime aeris gradibus circiter 60 calentis ad aquae, gr. 40—45 calorem habentis, tempore mediae circiter altitudinis barometricae, quae Goettingae 29″ 42‴ eſt, grauitatum ratio ſumi poteſt 850 : 1.

In lacte carpionis, quod 1084 granorum pondus habet, ſi dimidia eius ſubſtantia pro fluido habeatur, in quo animalia, ſpermatica degant, eorum 253, 986, 250, 000 minimum exſiſtere computat (§. 392).

In funiculo umbilicali abortus feminini, 7 circiter menſium, Vitebergae 1728 vrachum ad 4 circiter pollices patere conſpexit (§. 473). Sed haec ſufficiant, ut oſtendatur, libellum, etſi tironibus ſcriptum, tamen vel a prouectioribus etiam non ſine omni fructu percurri poſſe. Nihil ignorare Cl. Auctorem eorum, quae ab aliis in naturalium rerum cognitione eruta ſunt, horumque obſeruatis ſua complura addere, adeo quidem iam notum eſt eruditis, ut illud hic monere ſuperuacaneum ſit. Durius de LEIBNITIO iudicium legitur (§. 254) occaſione explicationis eius phaenomenorum barometricorum, quatenus cum tempeſtatibus vagis connectuntur, eam *leue et ad veri ſolum ſpeciem excogitandis rebus aptum viri ingenium vel ſolam ſatis* oſtendere. Equidem facile veniam reperiet apud aequiores LEIBNITIVS, ſi non recte explicauit, quae ne noſtra quidem aetate euidenter ſatis explicantur, tot obſeruationibus et experimentis poſt LEIBNITIVM inſtitutis, parumque decedere, facile quiuis exiſtimet gloriae eius, qui cauſam Dei egregie ruitus eſt, infinitique calculum aperuit, ſi de venti aut pluuiae praeſagiis non accurate ſatis pronunciauit. Illud autem de ingenio LEIBNITII iudicium, diuerſum profecto ab eo, quod initio huius ſeculi Hanoueranis in terris de viro

viro latum est, vellemus reliquisset Noster ignobilioribus LEIBNITII aduersariis, qui contemnendo decus Germaniae gloriolam captant. HOLLMANNVS, vel in iis, quae contra LEIBNITII sententias scripsit, iunctam insigni acumini modestiam, summum veri philosophi ornamentum semper ostendit.

XII.

Primitiae physico medicae ab iis, qui in Polonia et extra eam, medicinam faciunt, collectae. Volumen I, Lesnae 1750. 8. pl. 15. volumen II, Zullichouiae 1750. 8. pl. 16. volumen III, Zullichouiae 1753. 8. pl. 19½.

Magnam sane utilitatem magnumque scientiae medicae augmentum, exinde accessurum esse speramus, si attenti et eruditi unius prouinciae medici in colligendis et conscribendis historiis morborum, qui in hoc vel illo climate, hoc vel illo tempore, grassari solent, ad antiquorum medicorum exempla operam suam atque studium diligentius adhibere vellent. Tot enim morbi, tot tantasque vicissitudines et mutationes subeunt, ut medicum multoties fallant, quae ideo nunquam satis atque sufficienter notari poterunt. Et ex repetitis obseruationibus aut regulae constantes formari, aut ad similes saltim casus concludendum erit. De stabilienda quadam societate medica, quae in obseruationibus physicis et medicis, in Polonia instituendis, colligendis et in lucem edendis occupata esset, ante harum primitiarum editionem meditatus est GOTTLOB EPHRAIM HERRMANNVS, medicus et physicus Boianouiensis, fama et meritis clarissimus. Ad hoc autem institutum, eo felicius expediendum anno 1749 omnes Poloniae poliatros per schediasma quoddam emissum inuitauit iisque instituti rationem et normam palam fecit

fecit ſequentem: ut nempe meteorologicas obſeruationes et tranſitum unius morbi in alium, ex aeris mutatione factum, deſcribere; obſeruationes et caſus clinicos referre; in complicatis malis theoreticam conſiderationem addere; hiſtorias morborum indigenorum, in primis plicae eiusque curationes accuratius tradere; botanica, chymica et omnia, quae medicinae ſcientiam, augent, immiſcere et remedia incognita, in hoc vero, vel illo morbo magnam certamque vim exſerentia, detegere, omniaque ſpecimina lingua latina conſcripta vel ſibi, vel ERNESTO IEREMIAE NEIFELD, medico Leſnenſi celeberrimo transmittere velint, ut quouis anno harum obſeruationum duo volumina in lucem prodire poſſint. Verum hi duo viri doctiſſimi, cum Poloniae medici huic laudabili propoſito, deſiderio et precibus ſatisfacere et reſpondere non viderentur, ad hos ipſos labores utiles in ſe ſimul ſuſcipiendos, vicinae Sileſiae medicos excitare anniſi ſunt, cum bono hoc propoſito, ſe impoſterum *acta medica Poloniae* edituros eſſe. Cum autem praeter IOH. CHRIST. HEFFTERVM, medicum Zittauienſem, LAVR. MIZLERVM medicum Warſouienſem et CAROL. FRANCISC. BAVERVM, medicum Bregenſem, alios laborum ſocios nullos ſibi adiungere potuerint, tria tantum volumina hactenus nobis communicarunt, quae etiam varia argumenta medica ſatis erudite pertractata continent. Deberemus quidem rerum pertractatarum quaedam ſpecimina lectoribus exhibere, ſed, cum huic commentariorum noſtrorum parti alii adhuc labores inſerendi ſunt, veniam nos impetraturos eſſe confidimus, quod ſi tantum primarias tractationes nominauerimus. In *primo* ergo *volumine* leguntur commentatio, *de poſitione et diuaricatione arteriarum ut cauſa antecedente ſecretionis humorum:* obſeruatio *de ictero cum febre octaua: de morte ſubitanea ex uteri ruptura: de plica polonica* etc.

In

In *secundo volumine* obſeruationes, quae exſtant, agunt *de noxio carbonum foſſilium fumo: de velocitate ſanguinis ut cauſa antecedente ſecretionis humorum: de lapillis inter cutem et membranam adipoſam repertis: de excretione aluina per uterum: de mola in virginis utero reperta: de purpura chronica cortice peruuiano curata: de colica ſpaſmodica pertinaci cortice peruuiano curata.* *Tertium* tandem *volumen* tractationes *de uſu et praeſtantia medicamentorum chemicorum: de memoriae debilitate cum paralytica linguae affectione ex ſuppreſſo haemorrhoidum fluxu: de viribus olei momordicae internis in dyſenteria: de venaeſectione genuino grauidas a morbis praeſeruandi praeſidio* etc. exhibet. Optandum omnino eſſet, ut hoc laudabile inſtitutum ad ſcientiam medicam, in Polonia in primis augendam, a variis aliis Poloniae medicis ſuffulciretur; ſed cum hi ipſi adhuc ſtudia ſua ad hoc opus perficiendum conferre noluerint, et Cl. NEIFELD, qui has primitias cura ſua digeſſit et in ordinem redegit, propter valetudinem infirmam hisce laboribus impar eſſe videatur, continuationem huius ipſius operis futuram certo polliceri non poſſumus.

XIII.

Hiſtoria cholerae atrociſſimae, quam ſuſtinuit ipſe, perſanauit aegerrime, atque in uſus publicos adiectis animaduerſionibus theoretico practicis, quam accuratiſſime deſcripſit D. BALTHASAR LVDOVICVS TRALLES, Medic. Vratislau. Vratisl. 1753. Sumtib. Carol. Godofr. Meyeri alph. 1. plagul. 2. 8.

Experientiſſimos omni iure tunc dici poſſe medicos illasque deſcriptas morborum hiſtorias, quos ipſi in proprio corpore perpeſſi ſunt, optimas, accuratiſſimas omnique fide dignas eſſe habendas, cum

RAMA-

RAMAZINI Cl. Auctor pronunciat. Quo itaque ipse illius morbi atrociſſimi, quem pertulit, etiam accuratam deſcriptionem traderet, nihil omiſit, quod ad eam illuſtrandam pertinere ipſi viſum fuit. Candide corporis ſui conſtitutionem depinxit, quam a parentibus debilem et per magnam grauium morborum ſtragem, per moleſtum et taedioſum vitae genus magis debilitatam acceperat. Nec animi, quem nobiliorem Deus ipſi finxit, indolem reticuit, et diaetae regimen, quod ſeruare ſemper conſueuit, ſedulo
p. 22. annotauit. Morbum deinde ipſum, eius ſymptomata, mutationes varias, nocentia et iuuantia fuſius de-
p. 34. ſcripſit. Hanc autem ſcenam luſit morbus. Aeger primo die tormina ventris, ſibi alioquin familiaria, diarrhoeam doloroſam cum debilitate ſumma, appetitu proſtrato, nauſea, vomituritionibus, frigore et aeſtu, cephalalgia, ſiti, inteſtinorum dolore lancinante aucto expertus eſt; durantibus tormentis dolorum diriſſimis et deiectionibus, et vomituritionibus perpetuis, amara, ardens, rodens, putrida et tenax bilis, ex imis viſceribus quaſi expreſſa, cum nauſea abominabili eiiciebatur, quae omnia ſatis edocebant, chole-
p. 43. ram eſſe morbum. In diſquirendis morbi cauſis Auctor ipſe aeger, anni tempus, aeſtatem et autumnum intercedens, acrimoniam perſpiratione ſuppreſſa et motu curſuque corporis nimio ſub aeſtiuis caloribus alcaleſcentem factam, et in hepate deinde depoſitam, iram ſuppreſſam, variasque animi aegritudines praegreſſas accuſat. Bilis omnino in ductibus biliariis corrupta haerens, et in duodeni flexura collecta, acrimoniam rancidam et rodentem maiorem induit, qua ipſa inteſtina etiam in aegroto noſtro ſenſilia, ita irritata fuerunt, ut ſtricturas, conuulſiones, torſiones morſusque acutiſſimos paterentur, quaeque ſymptomata eo acerbiora reddebantur, quoniam viſcidum illud naturale, inteſtinorum parietibus adhaerens, ſtimulis continuis abraſum erat et bilis

bilis ſuccusque pancreaticus, copioſius expreſſi, inteſtinorum latera denudata magis magisque vellicabant et frequentiores deiectiones excitabant. In ſummis hiſce malis, quae inteſtina tenera et a longo tempore debilia facta excruciabant, et in magna febre ſimul aeſtuante gangraenam et ſphacelum, tandem fatalem vitae terminum ipſe ſibi praenunciabat Noſter. Do- p. 51.
lores illi atroces, in duodeno quaſi orti, in ieiunum et ileum propagati, die morbi ſecundo continuabant; in alui tamen deiectionibus nullum ſanguinis ſinceri aut atri veſtigium cognoſcebatur, hypochondria libera erant, nullus ſentiebatur teneſmus, nulla cardialgia; a bile tantum corrupta, in duodeno latitante et per vomituritionem et molimina vehementia in ventriculum regurgitata, conuulſiuae ventriculi, diaphragmatis et muſculorum abdominalium agitationes ſemper excitabantur. Ad morbum hunc tollendum indicationibus hiſce inſiſtendum eſſe aeger, ipſe valde afflictus, animo conſtanti diiudicauit, nempe ut conuulſiuae fibrarum tenſiones et dolores obtunderentur et coercerentur, ut acrimonia urens elueretur et educeretur et inflammatio gangraenaque imminens auerterentur. Ante omnia hinc in balneum, emolliens ex aqua fluuiatili, furfuribus lacteque largiter admixto, paratum ſeſe immiſit magnumque ſymptomatum leuamen inde percepit Noſter. Sed incompleta erat medela; tormina enim, deiectiones copioſae et vomitus bilioſi, denuo redibant, ad quae compeſcenda laudanum liquidum SYDENHAMII et magneſiam nitri albam aſſumſit ſanguinisque miſſionem inſtituendam iuſſit, qui ſub febre adeo intenſa tenuem cruſtam inflammatoriam oſtendebat. Ab his vero quoque parum leuatus emulſionem amyg- p. 68.
dalinam et lac, aqua tepida confuſum, elegit ſeduloque aſſumſit; nitri grana quinque, largo vehiculo diluta, ad acrimoniam bilis corrigendam et febrem infringendam, ſuaſu amicorum aliquoties data, nauſeam

ſeam et vomitus denuo produxerunt, et doloribus iterum urgentibus, iterum in balneum feceſſit aeger, a quo et laudano liquido SYDENHAMII et iuſculis
p. 76. blandis aſſumtis, paululum leuabatur. Subito vero et vehementer abdominis muſculis conuulſis, omnia antea aſſumta eiiciebantur, quibus cruciatibus aeger ſyncopticus factus ſolo aceto rubi idaei, naribus admoto, et facie vino rhenano generoſo lauata, mirum in modum refectus eſt. Sed ab unico tantum cochleari vini hungarici hauſto, immanes dolores, anxietates, aeſtus, ſitis et deiectiones oriebantur. His omnibus ſymptomatibus, die tertio ſaeuientibus, ex multis medicamentis propoſitis, nihil praeter iuſcu-
p. 89. lum ex aqua, vini hungarici ſexta parte, ſaccharo, vitello oui et cortice citri adiectis paratum, cum aliquo fructu elegit. A vino canarienſi, lente deſorpto et larga aquae quantitate ſuper pota, urentes inteſtinorum flammas, una cum vomitu continuo ſtatim expertus eſt, quas infuſo thee, aqua, balneo et clyſmate emollienti aliquo modo exſtinxit. Die
p. 118. morbi quarto, conuulſionibus ſuperuenientibus, opium laudanumque SYDENHAMII cum quiete ſine ſomno, leuamine tamen ſubſequente, adhibuit. Poſt haec, cum Noſter iuſculis nutrientibus tenuibus vires refocillare tentaret, aquamque Selteranam pro ſiti ſedanda biberet, priſtina mala mox recrudeſcebant. Aduenientis amici conſilio, qui fomitem mali nondum exhauſtum eſſe iudicabat, rhabarbari drachmam dimidiam deglutiebat, a quo vero non ſtatim expectatum leuamen, ſed die morbi quinto ſymptomata omnia auctiora proueniebant, quae vero, dum dimidio extracti opii aquoſi grano aſſumto ſomnolentiam ſibi induxerat, non adeo ſentiebat, ad ſe vero rediens ſudore frigido perfuſus adeoque languidus factus erat, ut mortis articulum metueret. Ex quo languore abluitione vini rhenani euocatus, iuſculo panis deinde nutritus et aqua Selterana ſatiatus, denuo

nuo bilem tenaciſſimam, amariſſimam, putridiſſimam, acerrimamque per vomitum reiecit, a qua bile rhabarbaro, antea invite aſſumto, mota, nunc vero expulſa, ſe leuatum fuiſſe fatetur. Vti vero a vino non ſemel ſuas moleſtias percepit, ſic etiam nunc, cum rhenanum, aqua Selterana dilutum, ad viſciditatem diluendam et corrigendam biberet, nouos ſpaſmos doloresque inteſtinorum cum febre aucta recuperauit, quos etiam iterum diluentibus aquoſis tepidis et clyſmate coercuit. Cum hactenus febris remiſiſſet et tempus, quo inteſtinorum inflammatio in gangraenam tranſire potuiſſet, praeterlapſum eſſet, ad aegritudinem doloroſam, in viſceribus ſaeuientem, compeſcendam, liquorem mineralem anodynum HOFFMANNI aſſumſit, a quo vero maiora dolorum mala reſuſcitabantur. Ad inteſtina eroſa et ambuſta illinienda et inungenda, demulcentia, e. g. oua ſorbilia, cum butyro inſulſo mixta, deglutiuit. Sed poſt hanc eſcam infuſum thee cum ſuperbibiſſet, priſtina malorum tragoedia prodiit, quae etiam ad diem morbi ſextum durauit. Die morbi ſeptima vomitus imminuebantur, deiectiones vero alui liquidiſſimae ſequebantur, quas, ne omnibus plane ſuccis corpus exhauriretur, incraſſantibus et gelatinoſis cohibere putauit. Poſt vomitus nidoroſos, hactenus perpeſſos, die octauo nunc acidi corroſiui cum magno angore ſequebantur, qui in ſolatium aegri de ſuperata putredine et alcaleſcentia, in ſal ſalſum conuerſa, teſtabantur. Die morbi nona ſymptomatibus remittentibus, ad tonum inteſtinis reſtaurandum, ignesque febriles reſtinguendos, decoctum corticis peruuiani eiusque extractum exhibitum fuit, a quo tamen, cum ventriculi neruos ſenſiles nimium vellicaret et ad vomitum et deiectiones ſtimularet, abſtinendum erat. Et die decima, cum nec diaſcordium FRACASTOREI, nec epithema ſpirituoſum ferri poſſet, tinctura martis, cum ſucco cydoniorum parata,

p. 140.

rata, iuſculis demulcentibus interpoſitis, magno cum effectu propinata fuit. Diebus poſt ea undecimo, duodecimo et ſequentibus aeger melius ſe ſe habere incepit. Cum autem vinum et aromata nouos ſemper cruciatus afferrent, tantum cibis ex ouis, gelatina, lacte, et aquis ſpadanis lacte mixtis corpus leniter nutriuit, et ſic ſenſim ſenſimque, dolorum leuamine ſubſequente, deiectionibus alui naturalibus factis, virium incrementum cum magna ſanitatis ſpe magnoque gaudio et ſolatio rediit.

Abſoluta ſic diri huius morbi deſcriptione Auctor Cl. animaduerſiones theoretico practicas de hoc ipſo morbo ſatis erudite et fideliter inſtitutas anne-
p. 182. ctit. Inter cauſas, quae morbum hunc faciunt, referuntur variae: Aer, quatenus ille partim miaſma malignum neruoſis partibus corporis humani inimicum, continet, partim corpori, a calore antea aeſtuanti, ſubitaneum refrigerium adfert, et acre in ſuccis genitum ad viſcera interiora pellit: alimenta varia, viſcida, tenacia, dulcia, acida, ſalſa, aromatica, pinguia, potus fermentans varius et vinum glacie refrigeratum, intemperanter ingurgitata et in primis viis quieſcentia eam aſſumunt acrimoniam, quae inteſtina
p. 187. quam maxime afficit. Etſi quidem humores corporis humani proprii, ſaliua, liquor gaſtricus et pancreaticus eam acrimoniam concipere non poſſunt, quae ventriculum et inteſtina tantopere ſtimulet, bilis tamen, quae in putredinem et alcaleſcentem acrimoniam citius vergit, quando copioſius ſecreta et violenta quadam actione in duodenum pulſa haeret et quieſcit, corrumpitur, acris fit, rodit teneras duodeni tunicas, motum periſtalticum ſurſum deorſumque exagitat et vomitus et deiectiones frequen-
p. 213. tiores excitat. Purgantia draſtica et venena, quae ſtimulo ſuo vehementi ventriculum et inteſtina irritant, eadem ratione, ac ira choleram producere poſſunt, et binae hae cauſae, licet diuerſae, tamen eadem

ſym-

ſymptomata excitant. Sedes cholerae propria in ventriculo et duodeno eſt quaerenda, a quibus vicinae partes ſimul in conſenſum ducuntur et irritantur, ex quo conſenſu etiam adeo copioſae hae excretiones intelligi poterunt. Febris ipſa choleram, maxime ſi ea paulo grauior exiſtat, propter vehementes motus ſemper comitatur, licet et plures auctores choleram ſine febre obſeruatam deſcripſerint. Ex omni autem cholera nulla magis attendi meretur, quam quae aeſtiuo tempore, menſe in primis auguſto, inuadit homines. Et cum ea ipſa intra primas horas paucosque dies aegros interimere ſoleat, ſubito aptis auxiliis ſuccurrendum eſt. Suadet ipſe Noſter ad inflammationem, gangraenam et ſphacelum inteſtinorum auertendum, tempeſtiuam venaeſectionem inſtituendam. Ad eliminandam vero acrimoniam vomitorium medicamentum, etiamſi ex ipecacuanha et tartaro emetico conſtet, periculoſum, vomitum ipſum contra potius diluentibus, quae nullum nouum ſtimulum addunt, prouocandum eſſe arbitratur. Purgantia medicamenta, quae aluum blande ducunt et in inteſtina magis titillando, quam irritando agunt, ad ſaburram in cholera euacuandam, valere poſſunt. In rariori purgantium uſu ad diuerſas cauſas et tempora morbi diuerſa reſpiciendum eſt, et ipſa laxantia danda, indoli acrimoniae cognitae accommodanda ſunt. Cum maiori ſecuritate clyſmata blanda, emollientia, oleoſa, lactea, ad eluenda, fouenda et inungenda inteſtina applicantur; quae vero in hoc morbo et in dyſenteria commendantur clyſmata terebinthinacea, nullo alio in caſu conueniunt, quam ubi, febre iam ceſſante, ulcus in inteſtinis ortum purgandum et abſtergendum eſt. Acida in hoc morbo propinari debent, quando ſola nidoroſa alcalica et putrida materia peccat; alias enim neruos ſenſiles magis vellicant, pungunt nouosque dolores excitant. Terrea abſorbentia, in ea cholera curanda, quae a cauſa acida

p. 224.
p. 239.
p. 254.
p. 273.
p. 280.
p. 296.
p. 301.

acida, uti in infantibus, a lacte acido cum bile remixto oritur, forte aliquid praeſtabunt. Demulcentia omnia, quae blandiſſimo et mucilaginoſo principio
p. 308. gaudent et acrimoniam inuoluunt, utilia ſunt. Salia, quae pro ſcopo abſtergendi febremque mitigandi commendantur, caute dari debent, ne ſtimulo ſuo ventriculum et inteſtina irritando, nouos tumultus excitent. Aromatica volatilia et calida medicamenta, quoniam facile nouos dolores et febrem auctiorem
p. 314. efficiunt, hic nocent. Tonica et adſtringentia criſpaturas fibrarum faciunt debilium, ideoque ex eis blandiora, e. g. tincturae martiales, demulcentibus
p. 340. mixtae, conueniunt. Ad motus nimios compeſcendos anodyna ſic dicta non ſemper ſufficiunt, ideoque vera opiata, ſuſpenſa tamen manu, in ſummis malis tentanda ſunt, quorum exhibendi regulas certas praeſcripſit Auctor. Potus, in cholera bibendus, eligatur demulcens, non fermentatus, aqua tepida, ſerum lactis etc. ſemper acrimoniae peccanti, vel acidae, vel
p. 368. alcalinae opponendus. Vini uſus in cholera concedi poteſt, ubi febris aeſtus internus, tempus aeſtiuum et laeſio, ab exceſſu vomitus orta, non contradicunt. Externe prae ſpirituoſis fomenta et cataplaſmata emollientia calida, maxime vero balnea ſimilia, magnum huic morbo leuamen adferunt. Fidimus nos Auctori experto et de morbo in ſuo ipſius corpore cognito, obſeruato et ſuperato gratulamur ipſique ſanitatem ſtabilem firmamque, ut praemium laborum, apprecamur.

XIIII.

Enumerationis Foſſilium, quae in omnibus Galliae prouinciis reperiuntur, tentamina, Auctore A. I. D. DARGENVILLE, e Reg. Sc. Soc. Lond. et Montepeſ. Pariſiis apud Ioh. de Bure 1751. 8. mai. pl. 9.

Cum naturalem regionum ſuarum hiſtoriam varii deſcripſerint naturae indagatores, mirandum omnino erat, cur, praeter aquarum mineralium, a variis Galliae eruditis ſuſceptam conſiderationem, foſſilia, in ampliſſimo hoc regno reperiunda, nondum in uno opere tradita, ſed ſparſim tantum indicata fuerint. Cl. Auctor itaque, quo apparatum colligeret, ad deſignationem foſſilium patriae ſuae tradendam aptum, non tantum itinera per varias prouincias ipſe inſtituit, ſed etiam per alios rerum naturalium indagatores, magnam foſſilium copiam, prouinciis et locis, ubi inueniuntur, accurate indicatis, obtinuit. Indicem itaque tantum exhibet, fuſius forte de his in altero conchyliologiae volumine, quod promittit, acturus *, in quo ſimul defendet, victrices diluuii uniuerſalis undas conchylia e mari extraxiſſe, et in altiſſimos ſaepius montes eleuaſſe. In praeſenti tentamine ordinem prouinciarum Galliae ſecutus eſt, et ab inſula Franciae incipiendo viginti tres reliquas prouincias et ſex tractus Galliae adiectos, Ducatum Lotharingiae, Burgundiae, Ruſcinenſam et Arteſiae comitatus, nec non Alſatiam et Belgium gallicum, conſiderauit, locaque accurate indicauit, in quibus varia foſſilia reperiuntur. Ex inſtituti itaque ratione nec genera definire, nec ſpecies ad ſua genera reducere, voluit. Maximam etiam partem petre-

* Primum volumen prodiit Pariſiis 1742 ſub titulo: L'hiſtoire naturelle eclaircie dans deux de ſes parties principales la lithologie & la conchyliologie &c. par M. * * * de la Soc. Roy. des Sc. de Montpellier.

facta indicantur, in quibus non nunquam et terrarum, et lapidum ſtrata, quae haec corpora continent, nominantur, ſaepius vero ſpecies conchyliorum, ſiue aliorum corporum petrefactorum, in locis quibusdam collectae, matrice non indicata, recenſentur. Haec quidem foſſilia ſaepius in terrae ſuperficie deprehenduntur, et facilius, quam reliqua mineralia, metalla et ſemimetalla, dereguntur, quae maiori ſtudio et labore ex terrae viſceribus eruenda ſunt. In his itaque enumerandis parcus eſt Cl. Auctor, nec matricis, nec ſpeciei, mentionem iniicit. Licet enim haud dubitandum ſit, Galliam in ſinu ſuo omnis generis metalla abſcondita fouere, rarius tamen ita diſquiſita fuerunt, ut ad venas optimas penetrauerint rerum naturalium ſtudioſi; inde tantum paſſim indicara veſtigia venarum metallicarum, vel minerarum, caſu erutarum, nomina deprehendimus. Rerum etiam foſſilium diuitias in Lotharingiae Ducatu, vicinisque prouinciis, collocatas, quarum copiam ex mineris in Germaniae muſeis viſis colligere poſſumus, haud ſufficienter indicatas eſſe intelligimus. Haec vero foſſilium enumeratio iis forte utilis eſſe poterit, qui itinera per Galliam inſtituunt, et ſimul ad hiſtoriam naturalem foſſilium reſpiciunt.

XV.

Commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Gottingenſis Tomus II. ad annum 1752, Gottingae apud viduam Abrami Vandenhoeckii, 1753. 4. Alph. 2. pl. 8. Tab. aen.

Praefatio ſecundo huic commentariorum tomo praemiſſa, ea, quae in ſocietate huc uſque acta fuerunt, recenſet: nomina eorum, qui, ut noui collegae, vel ut familiarès exteri, ſociis praeſentibus adſcripti, vel ut auditores ordinarii, ad conuentus admiſſi fuerunt, praecipue leguntur; porro, quo uſque vel

vel relationes de nouis libris, vel diarium eruditorum germanice conſcriptum, ad ſociorum labores pertineat, oſtenditur; tandem et quaeſtiones enumerantur, quarum ſolutio praemiis poſitis ornata fuit, vel quae in poſterum eruditorum diligentiam exercere poterunt. Cum vero ex his, quae ad noſtrum inſtitutum pertinent, iam varia in nouis noſtris annotata occurrunt, his indicandis longius non inhaeremus, ſed rerum medico-phyſicarum, in his commentariis paſſim occurrentium, breuem ſubnectimus recenſionem.

4) ALBERTVS de HALLER *de partibus corporis humani ſenſilibus et irritabilibus* *. Experimenta de corporis animalis proprietatibus, ſenſibilitate et irritabilitate, accuratius cognoſcendis, a ſe ipſo, Cl. ZIMMERMANNO ** et ZINNIO, repetita et multiplicata vice coram teſtibus oculatis inſtituta, induxerunt Ill. HALLERVM, ut ea, quae in obſeruationibus communia et perpetua fuerunt, in hoc commentario proponeret. Aliae partes corporis irritabiles et ſenſiles, aliae vero tales non ſunt. Cur autem irritabilitas et ſenſilitas in aliis partibus nulla, et in aliis corporis humani particulis aliqua deprehendatur, ex poteſtate in intima fabrica latente, non vero ſcalpello nec microſcopio unquam detegi poſſe videtur. *Irritabilis corporis humani pars* Ill. Auctori *ea* dicitur, *quae ab externo aliquo contactu breuior fit; valde irritabilis, quae a leui contactu, et parum irritabilis, quae a valente cauſa abbreuiatur. Senſilis corporis humani pars ea appellatur, cuius contactus animae repraeſentatur. Senſilis animalium brutorum pars ea eſt, qua irritata, animal manifeſta doloris et incommodi ſigna oſtendit; inſenſilis contra, quae uſta, ſciſſa, puncta, ad deſtructionem uſque caeſa nullum doloris ſignum* p. 114. p. 116.

 nullam-

* Lecta d. 22 April. 1752.

** Vid. comment. noſtr. Vol. II. Part. II. p. 323.

nullamque conuulſionem et in totius corporis ſitu mutationem excitat. Hae partium proprietates per ſola experimenta definiri poterunt.

Senſibilitatem ergo nunc primum diſquirit Auctor. Viuorum animalium varii generis, variaeque aetatis partes denudauit, et dum illa ſilerent et tranquille quieſcerent, has flatu, calore, ſpiritu vini, ſcalpello, lapide infernali, oleo vitrioli, butyro antimonii irritauit, et ipſorum animalium mutationes et motus inde ortos et viſos annotauit. En ipſam ex-
p. 118. perimentorum enarrationem! Epidermis, cum ſine incommodi perceptione ſpiritu nitri fumante ita uri poſſit, ut flauedinem diu durantem induat, ſenſibilis non eſt. Cutis inter partes corporis humani eximie ſenſilis eſt; ea enim irritata clamat animal, ſe ſe concutit et doloris ſigna edit. Adeps et celluloſa tela non dolent. Caro muſculoſa dolet, qui dolor vero a neruis prouenit; neruo enim eiusque truncis praecipuis ligatis, membrum fit inſenſile. Hanc ſenſibilitatis dotem etiam habent caui lateque expanſi muſculi, inteſtina, veſica, ureteres, uterus eiusque vagina. Tendo rectorum tibiae extenſorum aut tendo Achillis nudatus, punctus, ex parte, ad dimidium, immo totus inciſus et diſſectus, nec dolet, nec ſentit. Tendine lacerato et irritato, nullus in muſculo motus, et muſculo contracto, nulla in tendine contractio, in muſculoſa carne irritata motus, in
p. 120. tendine vero nullus obſeruantur. Illa animalia, in quibus tendo quidam, e. g. Achillis laceratus, uſtus, punctus, perforatus, ad medium diſſectus fuit, nulla ſymptomata paſſa ſunt et facile absque moleſtia inceſſerunt. Vulnera etiam tendinibus inflicta facili et ſola naturae ope ſanata ſunt. Nudi tendines in homine laceſſiti, et oleo terebinthinae calente inuncti, nullum ſenſum exhibuerunt. Horum euentuum cauſa in neruis, qui omnem in corpore humano ſenſum exercent, quaerenda et repetenda eſt. Cum enim

enim nerui in muſculos, non vero in tendines, abeant, facile intelligitur, cur muſculi, tendines vero non ſentiant. Nihil ergo valet in vulneribus tendinum metus, ſed omnia ſymptomata concomitantia a neruis laeſis proueniunt. Cum ligamentis articu- p. 122.
lationum capſularibus experimenta ſequentia ab Auctore facta fuerunt. In ipſas animalium articulationes femoris et genu oleum vitrioli infudit, bacillum oleo vitrioli et butyro antimonii imbutum introduxit, ligamenta lateralia, capſulas et earum glandulas ambuſſit; in articulatione genu nudauit, capſulam et patellam, et ligamentum patellae, et laterale externum et internum, cultro raſit acuque punxit. Sed ex his omnibus nullus dolor nullusque ſenſus in animalibus obſeruatus fuit. Ipſa haec vulnera, quae vulgo a chirurgis pro peſſimis habentur, ſolo animalium ſaliuae balſamo applicato feliciter ſaneſcunt; difficultas vero eadem ſanandi affluenti rancido et putreſcenti glutini, quod conſolidationem impedit, tribuitur. Ex his quoque concludit Auctor, arthriticos et podagricos dolores non in capſula articulorum, ubi nerui nulli ſunt, ſed in ipſa cute et neruis ipſi ſubiectis ſedem habere. Perioſteum centies laceratum, inciſum et uſtum, tamen inſenſile ſemper deprehenſum fuit, neque id mirum, quoniam in hoc nerui quoque non demonſtrati ſunt. Oſſium ſen- p. 124.
ſum, etſi de hoc ipſo Ill. Auctor propria experimenta adducere nequeat, non concedit; neque dentium ſenſus, qui notus eſt, repugnat, cum ille a neruulis in foramen dentis intrantibus dependeat. Nullum vero neruum in aliis maioribus oſſibus, qui una cum arteria venaque coniunctus, os tranſiret, reperiri, et cranium in hominibus ſanis absque dolore perforari aſſerit, indeque euincit, oſſa non ſentire. Interior oſſium medulla dolere non poteſt, quoniam ipſa adeps eſt, et neruos in illa nemo unquam vidit. Dura membrana, quae ex celluloſa tela ſtipata cerebri

tantum

tantum inuolucrum, non vero muſculus eſt, ſecundum ipſius Auctoris, Cl. ZIMMERMANNI et ZINNII experimenta, oleo vitrioli, butyro antimonii, ſpiritu nitri uſta, cultro inciſa, forcipe laceſſita, in animalibus nullam ſenſus notam oſtendit, et in homine ob carioſum cranium nuda, inſenſibilis eſt reperta. Quae cum ita ſint, ea membrana cephalaeae, phrenitidis et maniae ſedes eſſe nequit, rectequeagunt chirurgi Galli, qui illam, quod ſi ſub eadem pus aut ſanguis latet, docta temeritate incidunt.

p. 127. In tranſitu hic Auctor contra IO. DANIEL. SCHLICHTINGIVM *, qui cerebrum alternis vicibus moueri et in exſpiratione adſcendere, et in inſpiratione deſcendere affirmat, quasdam animaduerſiones interſpergit. Vidit omnino in animalibus, cranio euulſo, durae matris et cerebri motum plus quam vigeſies, nullamque rationem in reſpirationis et cerebri motus coniunctione inueniri poſſe, doluit. Sed, repetita obſeruatione, cognouit, nullum in cerebro motum apparere, niſi dura mater a cohaeſione cum cranio, quae ipſi immobilitatem conciliat, ſeparata fuerit. Si ergo dura mater et cerebrum tunc ſolum in exſpiratione mouentur et eleuantur, quando dura mater a cranio ſoluta eſt, non vero in cohaeſione, ad viuum hominis ſtatum explicandum, hoc experimentum SCHLICHTINGII nihil valet, cuius ſententiam aliis adhuc argumentis fractam et refutatam legimus.

p. 129. His relictis, Auctorem porro ſequamur. A pia matre, quae a dura ſeparata et cauſticis ſupra iam dictis ambuſta erat, nullus in animalibus eiulatus, nullus motus nullaque conuulſio ſucceſſerunt; a cerebro autem pertuſo acerrimae contorſiones et conuulſiones conſecutae ſunt. Si haec vera ſunt, Stahlianae ſcholae medicorum theoria, qua membranae neruorum pro ſenſus organo habentur, perculſa decidere

* Vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. I. p. 8 ſeqq.

cidere videtur. Alias porro membranas, peritonaeum, pleuram, mediaſtinum, immo omnes, quae neruis carent, et celluloſae texturae ſunt, dolore et ſenſu deſtitui, reperita experimenta docuerunt. Hinc et pleuritidis dolor acris, non in pleura, ſed in maximis neruis, qui inter coſtas ſunt, quaerendus eſt. Arterias venasque iis in locis, ubi neruos annexos habent, ſentire, credibile eſt. Cum vero ab arteria comprehenſa et ligata nullus ſenſus animaduertatur, arteriae venaeque non dolere videntur. Cor, cum muſculus ſit, et neruos habeat, ſentit. Viſcera, pulmones nempe, hepar, lienem aut obſcuro, propter neruos adcurrentes paucos, aut nullo ſenſu eſſe praedita, experimenta docent. Hinc etiam pulmones ab ulcere, et renes a calculo latente, non dolent. Glandulae a neruis percurrentibus ſenſum habent obtuſum. Quare ſcirrhi cyſticique tumores non dolent. Adeſt praeter ea ſenſilitas in pene, lingua, in oculo, eiusque in primis retina; cornea tamen et iris absque ſenſu eſſe videntur. A neruo irritato vinctoque magna animalibus anxietas oritur; neruis maioribus ligatis, canes poſt aliquot dies perierunt. Neruus ſectus, et ſub loco ſectionis irritatus, nullum doloris ſenſum exhibuit. Sic ergo ex his omnibus patet, ſolos neruos, eorumque ſolam fabricam medullarem, et partes, quae his abundant, ſenſibilitate eſſe donatos. p. 131.

Ab his nunc in ſectione ſecunda ad *irritabilitatem** Ill. Auctor progreditur, eiusque a ſenſibilitate differentiam oſtendit. Dantur enim partes ſumme ſenſiles, absque irritabilitate, et dantur irritabiles absque ſenſu. En experimentorum ſummam! Neruo irritato, muſculi, quos adit, conuelluntur. Si fibra muſcularis irritata contrahitur, et muſculus conuellitur, in neruis hoc aeque non euenit. Neruus ergo non eſt irritabilis et neruoſis fibris vis oſcillans p. 134.

* Lecta d. 6 mai. 1752.

lans ſine fundamento tribuitur. A cauſticis adhibitis, cutis, nerui diſſecti, aliaeque membranae, mortuo etiam corpore, ita conſtringuntur, ut inſtar vermium repant, id, quod vero ad viuum corporis ſtatum neutiquam eſt applicandum. Cutis ergo, et nerueae membranae ventriculi, inteſtinorum, urethrae irritabiles non ſunt. Etſi ventriculus ſumme ſenſilis et inteſtina nimis ſenſilia ſint, haec tamen magis irritabilia cognita fuerunt. Cor mediocriter
p. 136. ſentit et ſummam irritabilitatem habet. Repetiit Auctor ſaepe BELLINI experimentum, iuxta quod a neruo phrenico viui animalis aut recens mortui prehenſo, compreſſo, irritato, ligato, reſecto, diaphragma non ſentit, tamen conuellitur. A neruo crurali reſecto ſenſus cani perit, ab eo tamen irritato crus tremit. Non ea igitur corporis pars, quae irritabilis eſt, quoque ſentit. In animalium membris nerueos truncos Auctor ligauit, ut ſtupor et paralyſis inde eueniret, muſculos deinde nudatos ſcalpello irritauit, quorum tamen fibrae eodem modo, ut ante tremiebant et palpitabant, licet anima in hunc artum agere non amplius poſſet. Similia in partibus corporis auulſis accidunt phaenomena; ſic inteſtina, e corpore exemta, motu periſtaltico repunt et in partes diſciſſa mouentur. Cor reſectum et eius fruſta diſ-
p. 138. ſecta pariter repunt. Non ergo ea pars corporis, quae a neruorum commercio cum cerebro intercluſa et de corpore remota eſt, ſentit: ſic digitus a homine reſectus nullam in homine cogitationem nullumque dolorem excitat, nec ab anima eiusque particula habitatur, ſed totus remotus eſt. Voluntas enim poſt digitum reſectum integra manet, nec in digitum agere poreſt, nullasque anima vires perdit, et tamen digitus irritabilis manet. Quare irritabilitas neque ab anima, neque a voluntate, dependet. Quare porro deduci inde poteſt, non omnem vim muſculorum a neruis oriri. Neruorum interim utili-

tas

tas forte eo redibit, ut partim animae imperium ad eam partem transducant, quae mouenda eſt, partim naturalem vim, qua fibra in breuius nititur, augeant et excitent. Poſtquam et haec pertractauit Noſter, p. 139. ad alia experimenta referenda ſe vertit, quae oſtendunt, quaenam corporis humani partes, et quo gradu, irritabiles inueniantur? Pulmo, hepar, lien, renes, quae viſcera ex tela celluloſa et vaſis facta ſunt, irritabilitatem habent. Celluloſa enim tela, cauſticis deuorata et vaſa nulla irritabilitatis ſigna praebent. Et in hoc etiam fibra cellularis et muſcularis differunt, quod illa non, haec vero irritabilis exiſtat. Tendo, ligamentum, perioſteum, dura piaque cere- p. 140. bri membranae irritabilitate nulla inſtructae ſunt. Muſcularis membrana et vis contractilis, cordis motui reſpondens, arteriae, irritabilitatem ipſi ineſſe, aliquo modo ſuadere videntur; ſed experimenta, quibus aorta aliaeque arteriae in animalibus irritatae fuerunt, nullam irritabilitatem in iis adhuc confirmarunt. Venae, quas neque culter anatomicus, ne- p. 142. que leniora cauſtica iniecta, ſed tantum fortiora conſtringunt, irritabilitatem aut languidam, aut plane nullam exhibent, ſi quidem in viuo corpore illas nullus adeo ſtimulans liquor perfluit. Vaſa lactea, quae oleo vitrioli conſtringuntur, et a morte chyli pleniſſima conſtrictione quadam inaniuntur, irritabili vi aliquali praedita eſſe conſtat. Veſicula fellea, ductus choledochus, ureteres, urethra acri ſtimulo tacta, conſtringuntur; leni vero ſtimulo, aut cultro irritata, non ſentire videntur, hinc et irritabilitatem aliqualem ſaltim habere videntur. Veſica tamen urinaria, cultro vel acu laceſſita, non ſemper, ſaepius tamen ſe conſtringit. Lacrimatio ab acri chemico aut mechanico ſtimulante, et muci urethrae ploratio, ab iniectione aſperiori prouenientes, glandulas ſinusque mucoſos irritabiles eſſe docent. Vterus in ani- p. 143. malibus quadrupedibus motu manifeſto, vel intra,

vel

vel extra corpus reptat, adeo is aeque ac humanus, qui in partu valde conſtringitur, irritabilem naturam habet. Genitalium partium indoles irritabilis adeo ſingularis eſt, ut voluptuoſis ideis, tanquam ſtimulo, anima in motum excitetur. Ex erectionibus vero, quae copiam urinae, abundantiam ſeminis, uſum cantharidum et gonorrhoeae effluxum acrem, ſequuntur, communis harum cum aliis partibus na-
p. 144. tura cognoſcitur. Omnes muſculi irritabiles ſunt. Diaphragma eo tempore poſt mortem, quo alii muſculi iam quieſcunt, adhuc diu mouetur et irritabile manet. Oeſophagus ſupra diaphragma irritatus contrahitur et absque irritatione motum periſtalticum
p. 146. exercet. Ventriculus veneno tactus et ſcalpello vulneratus contrahitur, ſpumamque edit, eiusque motus per diaphragma pellucens et per peritonaeum denudatum viſus eſt; hic itaque ſatis irritabilis eſt. Prae hoc vero maiorem irritabilitatem exhibent inteſtina et craſſa, et tenuia in interna in primis facie, quippe quae ipſo corde diutius repere obſervata ſunt, licet horum motus periſtalticus obſeruatu difficilis eſt, ita, ut explicari poſſit. Omnium maxime irritabile organon eſt cor, quod in frigidis et calidis animalibus poſt mortem diutiſſime mouetur et quieſcens irritatione externa, acu, cultro, ſale, veneno, calore, de-
p. 150. nuo in motum reducitur. Interna praecipue eius ſuperficies liquido, flatu, aere laceſſita et a partibus ſibi adhaerentibus ſtimulatis facillime mobilis redditur. Inſignis vero huius in corde irritabilitatis ratio non in neruis copioſioribus, ſed in nuditate ipſorum quaerenda eſſe videtur.

Ex omnibus his experimentis hactenus inſtitutis et recenſitis nunc tandem colligitur, nihil praeter fibram muſcularem in corpore hanc facultatem, qua tacta breuior fieri nitatur, obtinere, et in vitalibus
p. 152. partibus maximam eſſe irritabilitatem. Haec autem poteſtas irritabilitatis, quae ab omni alia corporum proprie-

proprietate aliena est, num in glutine, an in elementis fibrae muscularis, sedeat, nunc disquiritur, et in glutine positam esse ab Ill. Auctore asseritur. Illius vero glutinis in animali irritabilis facti causam, quae in intima fabrica latet et per experimenta inuenitur, quaeque etiam siccatione, congelatione et in viuo animali opio dato, destrui potest, non in animae imperio sitam, sed physicam esse, euincitur. In fine p. 154. tandem huius tractationis, ut Ill. Auctor vanam nouae quasi huius proprietatis inuentae gloriam, falso sibi delatam, modeste auertat, quaedam momenta, irritabilitatis historiam illustrantia, appposuit monstratque FRANCISC. GLISSONIVM, LAVR. BELLINVM, BOERHAAVIVM, IO. WOODWARDVM, ALEX. STVARTVM, IO. GORTERVM, FRIDERIC. WINTERVM, ROB. WHYTT de eadem facultate, licet non adeo accurate et distincte, iam cogitasse et egisse. Mira sane et curiosa sunt, quae in hisce experimentis obseruantur, phaenomena, quae omnia, uti nulli dubitamus, si vera sunt et perpetua, quid imposterum nos edocere queant, nescimus adhuc, anxie tamen et auide expectamus.

8. *Ossium fossilium insolitae magnitudinis, in praefectura vicina Herzbergensi An. 1751 e marga erutorum, descriptio* SAM. CHRIST. HOLLMANNI *. Parum est, quod de his ossibus fossilibus, adduci a nobis possit, cum studiosa eorum descriptio, nec non cum iis, quae in philosophicis transactionibus Anglicanis ** exponuntur, facta comparatio, et notata cum his conuenientia et discrepantia. nec breuiter referri, nec sine iconibus, quas tabula *tertia*, *quarta* et *quinta*, hisce commentariis adiunctae, sistunt, sufficienter intelligi queant. Ob ingentem magnitudinem ex elephante p. 215.

* Lecta d. 8 ianuar.

** No. 326 et 327.

elephante esse creditum fuit, sed accuratior contemplatio mixta eadem esse et ad diuersi generis animalia pertinere demonstrauit. Secundum illum Cl. Auctor ea ordinem describit, ut a capite ad reliquas partes progrediatur. Quaedam ex his integra sunt et haud aegre, ad quam partem pertineant, ex variis colligitur conditionibus, quaedam vero lacera, corrupta, vel instrumentis in effossione adhibitis, male tractata, disquisitionem reddiderunt molestiorem, quaedam earum pars a BRÜCKMANNO iam enumerata fuit *. Si omnis eorum apparatus, quem ex parte dispersum fuisse cum Cl. Auctore dolemus, ad manus eius deuenisset, certiora forte non nunquam stabiliri potuissent monumenta. De iis autem primum differitur, de quibus parum adhuc dubitationis supereſt. Huc pertinet ossis occipitis pars et vertebrae quaedam colli, quarum alteram Cl. BRÜCKMANNVS possidet, quas tamen elephantinas non esse, ex mensura, forma, crassitie aliisque apparuit. Inter
p. 232. artuum ossa, humerus anterior quidem, sed nec hic quidem integer occurrit, qui etiam ad elephantem non pertinuit, plus enim materiae aut massae sub minori comprehendit volumine. Eadem ratione rudimenta ossium innominatorum, femoris, tibiaeque diiudicantur, quippe quae cuncta elephantinis crassiora robustioraque deprehendebantur, hinc, cum ad aliud animal terrestre et quadrupes pertinere debeant, facta, quantum licuit, ratione ad rhinocerotem, huic non sine veri specie ea adscribenda esse concludit Cl. Auctor.

p. 242. 9. Pergit idem in *altera dissertatione de ossibus fossilibus, in praefectura Herzbergensi repertis* **, et, cum Ill. DE REAUMUR elephantis parisini mensuras

* In Braunschweigischen Anzeigen 1752. No. 64. p. 1289 sqq.

** Lecta d. 1 iul.

ras curatiores ceperit et ſocietati communicauerit, oſſa haec, de quibus diſſeritur, ad ſimile animal non pertinere eo clarius probatum eſt. Prius minora quaedam oſſicula, et earum partes, quae ad maxillam, tibiam, humerumque, non ſatis determinandorum animalium pertinent, graphice deſcripta et delineata extant: porro, nouo quodam ex eodem aliisque locis, ut ſpecu Scharzfeldenſi, accedente apparatu, nouis animaduerſionibus occaſio data eſt. Inter haec p. 251.
oſſa eſt vetebra pro epiſtrophaeo habita, quae tamen atlas magis incogniti animalis eſſe videtur. Deinde et alia plura memorantur, quae vel rhinoceroti etiam adiudicari debent, vel cum equinis quodam modo conueniunt, vel aliquam cum elephantinis conuenientiam monſtrant. Prioris tamen generis permulta ſunt, ut non ſine ratione Cl. HOLLMANNVS putet, vel frequentiora haec animalia ibidem fuiſſe, vel eorum cadauera huc delata, quod alibi ſibi diſquirendum ſumet. Dentium tandem, inter haec oſſa obuenientium, aliquos deſcribit, et rhinoceroti eam ob cauſam eos pariter tribuit, quod Cel. MECKEL, Pariſiis viuum adhuc rhinocerotem offendens, ſummam omnino eſſe cum eius dentibus conuenientiam, inſtituta comparatione intellexerit. Ipſa autem loci, ex quo eruta ea omnia fuerint, perueſtigatio, per aquarum quendam vorticem, olim haec oſſa hic, inundatione facta, congeſta et in marga, ceu tumulo, recondita fuiſſe ſuſpicionem mouit. p. 256.

10. *Marmoris Caſſellani, quo Aeſculapius, Hygea, Teleſphorus celebrantur, explicatio* 10. MATTHIAE GESNERI. Valetudinis hominum curandae partes olim mandauerant graeci Aeſculapio, Hygeae et Teleſphoro. Hos tres deos celebrauit Athenienſium aut publica, uti Cl. Auctori veri ſimilius eſſe videtur, aut priuata alicuius pietas tribus hymnis, marmori inſculptis, quod indicata commentatione Cl. p. 281.

Auctor prosequitur, et, uti solet, doctissime explicat. Praeclara quidem admodum sunt, quae commentatus est, sed nimia, quam ut breuibus enarrari queant. Monemus itaque saltem, Cassellis illud asseruari marmor, sub exitum superioris saeculi eo delatum, cum legiones redirent, quas Sereniſſimus Hassorum Princeps, Venetorum in subsidium, miserat in Peloponnesum. Praeter illud simul etiam aliud apportatum fuit, cuius explicationem alia occasione cum eruditis se communicaturum esse, promittit Cl. Auctor. Longinquitate quidem temporis, eiusque iniuriis, valde illud adfectum fuit; hymnos tamen inscriptos, quantum demum modo fieri potuit, Noster restituit, et, ut scripturae illius antiquae specimen daret, ultimam monimenti partem, corruptissimam quidem, sed ea ipsa de causa facultati coniectrici aptiorem, in adiecta tabula, exprimi curauit. De Telesphoro adhuc addere liceat, ex libris antiquis, inscriptionibus atque additis, quos explicat, aeri simul incisis nummis atque gemmis probare Cl. Auctorem, ANTONINORVM aetate hunc deum celebrari demum coepisse, eumque inde inferre, vix saeculo secundo antiquius hoc marmor poni posse, nihil autem obstare, quo minus tertio, vel quarto adeo saeculo assignetur. In primis dei huius historiam, si quid iudicare valemus, rectius et firmius, ac ab aliis huc usque factum esse, inuenimus, eruisse nobis videtur Cl. Auctor.

P. 337. 12. ALBERTI DE HALLER *Obseruationes botanicae* *. Vt in primo tomo sic et in hoc Ill. Auctor aliquot stirpes, aut nouas, aut minus notas curiosius descripsit, et non nullas iconibus illustrauit. Occur-
Tab. IX. rit primo *Allium umbellatum, foliis fistulosis compressis, radice reticulo obducta:* Radix ouata, reticulatis reliquiis vetustorum foliorum obducta, plurimas fibras albas dimittit, folia iuncea, intus caua, ab una parte depressa

* Lect. d. XI Nou. 1752.

depreſſa ab altera conuexa, ad radicem multa, ad caulem aliqua. Radix et folia odore *allii*. Caulis cubitalis teres; vaginae breues ſub umbella absque cornubus; florum petioli unciales, flores magni, ſuaueolentes, petala lactea cum macula purpurea, exteriora tria acutiora interiora ouata obtuſa, ſtamina inter ſe et cum petiolis connata, filamenta lata, alterna, anguſtiora, fructus tricapſularis, tuba recta truncata. Alia Tab.X.
non nulla adduntur, quae *allii* hiſtoriam in libro ſingulari ab Cel. Auctore traditam, concernunt, et in primis *allium radice ſimplici, foliis gramineis umbella ſphaerica bicolore exhibetur.*

Deſcribit poſt ea et iconibus aptis delineatis ſiſtit Tab.XI.
duas *aſtragali* ſpecies, ſcilicet *aſtragalum ſiliquis recuruis, depreſſis, hirſutis.* Huic annua radix, caulis breuis aliquot ſcapos floriferos producit, in quorum ſingulo octo circiter flores minores trium linearum longitudine conſpiciuntur. Calix tubuloſus, ſegmenta quinque, anguſta infimo longiſſimo. Vexillo corollae unguis breuis, bractea oualis, reflexa, emarginata; alae carina breuiores, carina maior obtuſa. Legumen villoſum ſeptem circiter linearum, per maturitatem incuruum. *Aſtragalus caule erecto ex alis* Tab.XII.
ſpicifero, ſiliquis teretibus hirſutis, praecedenti additur. Radix perennis caulis pedalis hirſutus ramoſus. Folia parium ſeptem ad decem extremo impari, foliola elliptica lineis parallelis percurſa; ſcapi floriferi ex alis foliorum, flores in ſpica denſe congeſti. Calix albus hirſutus quinque dentatus, dentibus ſuperioribus ad ſe inuicem conuerſis, tribus inferioribus rectioribus. Flos ochroleucus; vexilli unguis a reliquis petalis diſtans, alae carina longiores, carina fiſſilis auriculata fine rotundo, ſub quo ariſta emittitur, a qua ſola haec ſtirps dignoſci poteſt. Legumen hirſutum, teres. His ſubiungitur deſcriptio *lathyri folio-* p. 341.
rum paribus quinque floribus racemoſis, ſiliquis incuruis, et meliloti foliis hirſutis rariter dentatis ſcapo pauciflo-ro.

Tab.XIII. Ex monopetalis irregularibus additur *Teucrium foliis cordatis, petiolatis, ſpicis oblongis denſiſſimis*, ex Hircania. Caulis pedalis ramoſus ſpicis ramos terminantibus, folia *betonicae* ſimilia, iuniora obtuſa, veruſta acutiora, margine obtuſis dentibus ſerrata. Odor *ſcordii*. Spicae ramos terminantes ab uncia ad ſemipedem longa, nullis foliolis ornata, praeter ligulas ad ſingulos flores. Calix hirſutus, tubuloſus, deorſum gibbus, quinquifidus, ſegmento uno ſurſum verſo, cordiformi, mucronato, duobus lateralibus obtuſis, imis acutis. Flos recta ex calice prorumpens et inflexus deſcendens, ut cum calice angulum rectum faciat *. Galea multa, barba quinquifida, ſegmentis binis poſterioribus recta productis, proximis deorſum verſis, medio cauo cochleari ſimile margine ſerrato, ſemina quatuor rotunda reticulata **. Addit porro

p. 344. *Nepetam corymbis geminis, pedunculatis, axillaribus, foliis cordato acuminatis, ſerratis* LINNAEI H. Vpſ. p. 164 nomine *moldauicae foliis cordato triangularibus, ſerratis* deſcribit, et ob tubum petali gracilem in faucem amplam extenſum, nec non ob ſegmentum medium labii inferioris, villis albis in medio hirſutum, bipartitum, portionibus ſerratis, reflexis non cauis, ad *moldauicas* retulit, et a *catariis* ſiue *nepetis*

* Tubus floris ex calice productus, cum declinato labio inferiori angulum rectum intercipit.

** Hybridam hanc plantam ſuſpicamur, plurima cum *ſcorodonia*, ſiue *teucrio foliis cordatis, crenatis, petiolatis ſpicis laxis ſecundis* LINNAEI H. Cliff. 301. non nulla cum *betonica off.* alia cum utrisque communia habens. Radix perennis, caules et in umbroſo loco rubent, folia ad *ſcorodoniam* magis accedunt, rami diffuſi, calix et flos *ſcorodoniae* ſimiles, ſpica longe denſior, non homomalla, foliola ad florum pediculos tenuiſſima non adeo magna, ut in *ſcorodonia*, color floris ruber ut in *betonica*, ſemen reticulatum. An ergo *ſcorodonia* mater et pater *betonica* dici poſſit, aliis diiudicandum relinquimus.

nepetis ſeparauit Cl. Autor, ſubiungit deſcriptionem et iconem *catariae floribus inuerſis*, quae ex ſolo petali ſitu cognoſcitur, corolla enim obliqua eſt et pene inuerſa tribus ſenſim et conice lateſcit, fauces ſuperius in id labium continuantur, quod inferius eſſe ſolet, tranſuerſim latum emarginatum et profunde crenatum, alae laterales, ouales, labium, quod ſuperius eſſe deberet, in duas partes fere ouales inciſum hic inferius eſt. Tab. XIV.

Axyris nouum LINNAEI genus et icone, et deſcriptione declaratur. Eſt *Blitoides caule erecto, floribus maſculinis caulem et ramos terminantibus* Cl. MARTINI. Radix annua, caules teretes pedales, ramoſi, folia ouato lanceolata obtuſa, margine integro. Flores feminini inferius in ramis poſiti, calix ex binis foliolis conſtat, inuolucrum, corollae ſimile, tenerum, plumoſum, lacerum, quadrifidum, ſemen lata baſi conſpicuum, ſuperius contactum ad tubarum ſedem depreſſum, tubae duae filiformes, flores maſculini ſuperius collocati denſiſſimi, gluma una, caua, hirſuta, ſtamen magnum et firmum continet, anthera bilocularis. Tab. XV. Fig. 1.

Simili modo plantula, quam *pharnaceum* dixerat LINNAEVS et deſcripta, et depicta hic ſiſtitur, cum vero Cl. Auctor ſtaminum numerum in hoc genere *amaranthi* et *alſines* exemplo non attendendum eſſe credat, ad *triclidem* retulit, eamque *foliis verticillatis*, *pentaſtemonem* dixit. Radix exigua folia radicalia, roſulam formantia, decem et plura, linearia, vel obtuſa lanceolata longiſſima, intra unciam ſunt, ex ea roſula cauliculi ſimili roſula ornati, et ex his roſulis ſecundis noui cauliculi roſulis ſed minoribus conſpicui prodeunt, petioli tandem floriferi ſemunciales florem clauſum, ex quinque foliis conſtantem, emittunt, ſtamina quinque antheris gemellis, tubae tres, fructus trilocularis, ſemina nitida rotunda. A *cherleria* ſtaminibus liberis, ab *alſine* defectu petalorum Fig. 2.

Fig. 3. distinguitur. In eadem tabula additur *chenopodium caule brachiato ramosissimo floribus spinulis insidentibus.* Radix annua caulis in laetiori solo pedalis, ramosissimus, folia elliptica, parua, flores sessiles inter setas quasi spinosas, sed innocuas, vel in ramorum alis, flores exigui, bina stigmata ex una tuba, vel tubae binae, semen inter quinque foliola deprehenditur.

p. 347. *Seseli foliis glaucis, radice praelonga, seminibus subhirsutis* post ea describitur, et in synonymis adden-
Tab. XVI. dis dubius est Ill. Auctor. Addit tandem *Rhamnum non spinosum foliis glabris crenatis,* in Heluetia copiose crescentem. Arbor in horto ad decem fere pedes ascendit valde ramosa, lignum durum ex albo flauum, cuticula corticis fusca fissuris albis, liber aurantius rubro mixtus. Folia elegantia, glabra, oualia cum medio acumine folia ex ipsis ramis in muscaria conferti, aliae arbores foemininos, aliae, ut Ill. Auctori videtur flores androgynos, proferunt, ex analogia *rhamni spinosi,* cuius floris iconem a Cl. RAMSPECKIO communicatam addit; calix campaniformis quadrifidus segmentis triangularibus, petala minima angusta quatuor ex calice nata, tuba crassa in quatuor, vel tria stigmata incurua diuisa, bacca rotunda, viridis.

Tab. XV. Fig. 4. Additur tandem obseruatio de Peloriae nouo specimine a Cl. RAMSPECKIO communicata, qua ostenditur, non tantum in *linaria* vulgari officinarum, quod exemplum LINNAEVS profert *, sed et in *antirrhino foliis oualibus imis coniugatis superioribus alternis* siue *elatine* mutationem monstrosam interdum conspici, ita, ut calcaria quintuplo et sextuplo numero appareant, floris limbus bilabiatus et hians in ambitum uniformem, circulo inscriptum, quinquifidum vel sexfidum abeat, stamina inaequalia in aequalem

* Vid. Diss. de Peloria, Vpsal. 1744, et Amoenitates academicas Vol. I, Holmiae 1749. p. 55.

lem longitudinem excreſcant et non nunquam numero augeantur *.

13. D. IO. GEORGII ROEDERERI *Sermo de Mola* **. In varias de natura molae eiusque ortu ſententias ſemper abiiſſe auctores conſtat, ita, ut de ipſa eius ne definitione quidem inter ſe conuenire potuerint. In ſuis vero, quae ante breue tempus edidit Cl. Auctor ſupra a nobis laudatis, *artis obſtetriciae elementis*, ſuam de mola expoſuerat ſententiam, antiquiſſimam quidem, ſed a multis deinde auctoribus derelictam, ulteriore confirmatione omnino egentem, ex qua nempe molam eſſe ouum deforme, in quo partes embryonis et ſecundarum diſtingui vix poſſint, dixerat; quam vero nunc indicato iam commentario magis adhuc corroborat. KERKRINGII, RVYSCHII atque DENYSII, de mola opiniones inter multos quidem medicos huc uſque inualuerant, ſecundum quas nimirum ſub nomine molae placenta, ab uteri contractione compreſſa, excuſſo ab hinc aliquod tempus embryone, intelligebatur. Embryonem autem molae a vero riteque conformato embryone, tum temporis expulſo, quando abortum feciſſe dicitur femina, differre, eumque potius una cum ſua placenta eodemque tempore excerni, probare Noſter annititur, licet vix deprehendi poſſit, niſi quidem paulo exactius quaeratur: exiſtimans, illud accidere, quando ouum iuſto maiora, ratione ſcilicet habita ad embryonem, capiat incrementa, ouique pars vaſculoſa in deforme eius modi corpus excreſcat, quo fiat, ut obſtructis atque concretis funiculi p. 354.

* *Peloriam* veram degenerationem corollae ringentis *antirrhini* in corollam infundibuliformem quinque vel ſexcornem eſſe oſtendit IO. GESNERVS in Diſſ. de ranunculo bellidifloro et plantis degeneribus, Tiguri 1753. §. 10. et in icone duplex mutatio viuis coloribus expreſſa declaratur.

** Recitatus d. 4 Nou. 1752.

umbilicalis vaſis, embryonis incrementum impediatur; id quod aſſertum variis, a DENYSIO *, atque KERKRINGIO **, enarratis et a ſemet ipſo obſeruatis, exemplis comprobat, ex quibus omnibus appareret, maſſam talem figurae ouatae et ſubſtantiae fibroſae excretam fuiſſe, in qua media corpuſculum aliquod tenue, paruulum, reperire licuit. In ultimis quoque caſibus conſueta praeceſſerunt ſymptomata, primo ſcilicet, a conceptione facta, menſe abdominis et mammarum praeter morem turgeſcentia: prae primis autem in ultimo exemplo notari meretur, feminam hanc, quae excreuerat molam, probatae fuiſſe pudicitiae, nec antea edidiſſe partum, ideoque ſatis forte ſuppeditare argumentum, a placenta, poſt partum olim editum relicta, molam iſtam haud prouenire potuiſſe. Quod humanae vero molae ſaepius, uti decet, examinari, et embryones in iis contenti inueniri nequeant, inde euenire dicit Cl. Auctor, quod vel ipſe embryo, isque minimus, cauitate, qua haeſit, ſub ipſo excretionis actu diſrupta, cum ſanguine effluat, ideoque ſe oculis indagatoris eiusque examini ſubducat; vel quod ille a compreſſione ita vitiatus ſit, ut partes eius oculis adhuc amplius diſtingui nequeant. Omni tandem, quod is pertractat, argumento multum omnino lucis affunditur obſeruatione, ab eo in grauida cane facta, in qua quinque rite conformatos embryones cum ſuis ouis atque duas ſimul inuenit molas, quarum etiam unam cum embryone canino vero, figura adiecta, repraeſentat.

p. 360. Vt res igitur clarior fieret, verumque molae diſcrimen appareret, perfectae placentae caninae deſcriptionem praemiſit. Ouum nempe talis embryonis extra uterum longius, magis autem compreſſum eſt, cum in eo adhuc latet. Extremae eius partes transparen-

* Verhandel. Cap. VIII. p. 169.
** Spicileg. anatom. obſ. XCV.

parentes uteroque contiguae ſunt, media vero cum eo eſt continua, quam occupat placenta, zonae in modum integrum ouum complectens. Vna placentae pars, firmiſſime cum utero connata, cineritii coloris, *medullaris ſubſtantia*, altera vero cum ouo eiusque tunica extima mucoſa cohaerens, *corticalis ſubſtantia* Cl. Auctori dicitur, ab exteriore facie fuſci, ab interiore pallidi et eleganter rubelli coloris. Vtraque haec ſubſtantia mediantibus eminentiis atque foueis, ſibi reſpondentibus, leuiter inter ſe cohaeret. Illius porro *corticalis* utrumque marginem faſciae inſtar cingit alia quaedam ſubſtantia e viridi fuſca, verſus ouum velut iugum, ſuis colliculis atque valleculis diſtinctum, prominens, perpetua forte glandularum ſeries habenda. In medio ouo veſica elegantiſſime pellucens foetumque continens collocatur. Poſt haec Cl. Auctor ea deſcribit, quae in ouis deformibus, ſiue molis, inuenit. Cellula, cui inhaeſerat tale ouulum, reliquis erat minor. Placentarum latitudo dimidiam ſaltem reliquarum placentarum latitudinem aequabat. *Medullaris* ſubſtantia compactior erat duploque craſſior, ac in reliquis; margo eius, propter ſanguinea vaſcula copioſiſſima, pulcherrime rubens; illa vero *corticalis* minus erat craſſa, tenerrimi habitus, ſine ullo monticulo viridi. Ipſum denique ouulum, ſub primo intuitu, liquori cuidam turbido ſimile eſſe videbatur. Hoc, in aquam immiſſum, membranas, uti verum ouum, oſtendebat, integrum vero minoris molis, vixque duodecima veri oui pars erat, craſſum et e fuſco cinereum liquorem, inque eo medio veſicam, pellucido liquore plenam, cum minimo embryone continens. Embryones, in veris ouis contenti, duos pollices cum duabus lineis; hic vero imperfectus tres cum dimidia lineas pariſinas longi erant. A minimo funiculo is dependebat; caput, eiusque partes, ac extremitates anteriores diſtingui poterant, reliquae autem magis confuſae

confuſae erant. Alteram in dextro uteri cornu repertam molam inueſtigaturus, ouum cum ſubſtantia corticali, liquori fuſco prorſus ſimili, amiſerat quidem Cl. Auctor: eadem vero phaenomena apparitura fuiſſe exiſtimat, cum in reliquis, quae adhuc ſupererant, eadem fuerint obſeruata.

p. 362. Ex hac iam deſcripta hiſtoria ſequentia deinde colligit conſectaria; tenellus iſte embryo ex ſuperfoetatione originem trahere non poterat. Inter eum enim atque vaginam verum aderat ouum, cum utero cohaerens, ſemini ad tubam dextram iter incipiens: idem embryo cum placentae ſuae *corticali* ſubſtantia minimam ad reliquos foetus, maiorem vero illa *medullaris* habebat rationem; ergo haec ſolito maius, ipſa autem embryo minus cepit incrementum: haec cum ſupra dictis collata ſimilem humanae molae rationem indicant atque docent, quam facile ipſe molae embryo perire atque indaginem medici effugere queat, ut is nullum adfuiſſe ſuſpicetur: viridium colliculorum defectus, cum embryonis minima mole comparatus, ſuſpicionem mouet, eosdem vel nutrimentum foetui praeparare, vel quendam, incremento eius noxium, liquorem ſecernere.

p. 365. 14. IO. GOTTFR. ZINNII, *Sod. Extraord. Obſeruationes ex corporibus morboſis.* Obſeruationum quinque ſunt perbreues, quarum ſummam indicaſſe ſufficiet.

α) *Oedema pedis ex preſſa vena crurali* ſiſtit, quod a cohibitis poſt partum imprudenter lochiis originem ſumſerat. Praeter alia, incaſſum tentata, ſcarificatione etiam cutis pedis dilacerabatur, non effluente tamen, quod tumorem fecerat, nunc autem in tremulam quaſi gelatinam conuerſum fuerat, ſubtus ſtagnante liquido. Poſt mortem cauſam in glandulis inguinalibus, tumefactis et ſcirrhoſis, venam cruralem comprimentibus, quaerendum fuiſſe apparuit.

β) *Sar-*

β) *Sarcoma utero adhaerens.* Poſt amputatam, quae cancro afficiebatur, mammam, femina praeter dolorem in lumbis, vomitus habuit, nec non diarrhoeam enormem. In aperto eius cadauere ad uteri ceruicem tumor carnoſus, duorum pugnorum magnitudine, repertus eſt.

γ) *Suturae oſſium cranii in puella undecim annorum plurimae deletae* obſeruatae ſunt, quae paralyſi uniuerſali diem ſuum obierat.

δ) *Portio membranae villoſae inteſtini recti per anum excreta* fuit, mucoſis nimirum ſaeuientibus haemorrhoidibus, ſub forma membranae mollis, ſpongioſae, craſſae et ſinubus exſculptae.

ε) Glandularum axillarium tumorem mammae cancroſae amputationem prohibere putatur, vidit tamen Cl. Auctor, illum feliciter ſectione ablata mamma, ſuppuratione ſubſequente omnem euanuiſſe.

15. IOH. PHILIPP. LAVRENT. WITHOFII p. 368. *Anatome pili humani.* Duas iam diſſertationes de pilo humano edidit Cl. Auctor * et integrum de hac re opuſculum edere promittit, hic vero ſummam et quaſi primas lineas eiusdem exhibet, nos itaque, qui cuncta et conciſe hic propoſita repetere vix poſſumus, ſi non omnia, praecipua tamen momenta conſiderationis anatomicae pili tradere ſtudebimus. Loca, ex quibus pili in corporis ſuperficie eminent, et non nunquam in internis corporis partibus praeter naturam inueniuntur, primum indicantur. Progerminant vero pili ex matrice oleoſo viſcida, hoc eſt, ex folliculis pinguiferis, qui in capite, ſub axillae ſpecu, circa pubem, potiſſimum abundant, concedit tamen Cl. Auctor minorem lanuginem ex ipſa cute emergere, et nerueas papillas tertiam eorum ſedem faceret, niſi folliculos cutaneos pro papillis interdum aſſumſiſſet Cl. RVYSCHIVS.

Nudus

* Prior prodiit Duisburgi 1750, altera ibidem 1752. 4.

Nudus oculus in quolibet pilo et corpus, hoc eſt, longum et tenue filamentum, et radicem ſiue craſſius quoddam tuberculum, diſtinguit. Maiores pili toram radicem et aliquam corporis partem peculiari cuidam ampullae infixum habent, quae eſt folliculus, quem tenera extenſilis et conglobata membrana facit, quae laxe admodum, intermedio haud exiguo ſpatio, radicem cingit. Folliculus hic flauo, vel albo colore praeditus cum colore pili nihil commune habet, vaſa arterioſa et venoſa in eo diſſeminata iniectio oſtendit, neruos inflammatio comprobat, quae poſt vellicatam, tracto uno pilo, cutem ſequitur. Ab his vaſis liquor tenuis, non nihil tamen in filamenta ductilis, in ſpatium inter radicem et folliculum exhalat. Radix in pilis vegetis ſubmollis eſt, aliqua tamen elaſticitate conſpicua, licet facile comprimatur et applanetur. Pili longiſſimi, v. c. in capite, bulbos ouales et anguloſos, ciliorum et ſuperciliorum globoſos, teneriores reliqui oblongos habent. Magnitudo bulbi longitudini pili ferme proportionata eſt, a longo tamen iam tempore cani pili minimam obtinent radicem.

Bulbus exterius ex membrana, interius ex ſucco, viſcido conſtat. Exterior membrana ex plurimis lamellis componitur, quae pellucent, alba tamen ſparſim conſpiciuntur puncta, quae lucis tranſitum impediunt, haec arterias, venas et neruos ad hanc membranam ductos oſtendunt. Deſcripta nunc membrana radicis ampullulam facit, ex qua diſſecta, ſubſtantia interna propullulat, quae partim ex ſucco viſcido, partim ex febris in diſſecto bulbo ſe criſpantibus compoſita eſt, his addit appendices quinque, vel ſex recta, vel ſpiraliter, ex ſuperiori et infima radicis parte progredientes, quae globulum non nunquam in fine adhaerentem habent.

Ex imo radicis fundamento pili corpus enaſcitur, capitulo ſubrotundo, valde molli, totum quoque

pili

pili corpus, quo usque sub epidermide est, mollius deprehenditur. Pili corpus nunc examinandum ex inuolucro extremo, fistulis interioribus et medulla intima constat. Pilus ex bulbo emergens, bulbi membrana, in breuissimum tubum ad lineae circiter longitudinem producta, cingitur, ab epidermide quoque thecam sibi parat non ultra duas lineas longam. Haec proxime ad bulbum obseruantur, reliquus cortex caudicis suae indolis est, pellucidus, maxime in apice; in iuniore crine cortex mollis, in adulto adeo durus, ut cum crepante quodam resultu sectioni refragetur, elasticus tamen existens se in pilo transuersim sciſſo retrahit et internam substantiam protuberare facit. Corneus fere hic cortex pilis ultra centum annos etiam sub dio integritatem seruat, nulla fibrosa eidem circumducta est massa nec ramosae fibrae adsunt; color eius albus est nec proprius pilorum color hic residet.

Proxime sub cortice per totam pili longitudinem fistulae tenuissimae decurrunt, elasticae et minus pellucidae, area tamen earundem in dissecto pilo nunquam caua apparet, numerus in capillo senarius in maiori vibrissa quinarius Cl. Auctori visus est, tantum vero spatii supereſſe videtur, ut sine erroris metu ex decem circiter fistulis, aut in unum circulum, aut in duos concentricos dispositis pilum constare dixeris. Hae fistulae inter se et cum cortice tenuissimis filamentis coniunguntur, et ductum quendam, in media totius pili longitudine exsculptum, formant, qui vero torus medulla impletur. Ergo pili caui sunt, at non vacui.

Medulla vero ex duplici materia humida una, al- p. 376.
tera solida, constat. Humida materia non nihil viscida est, et in quaedam fila se duci patitur, eidem etiam multi teneriores globuli seu guttulae aereae remiscentur. Haec vera colorum in pilo sedes est. Altera solida substantia ex fibris subtilissimis et splendentibus

dentibus contexta est, quae ex ipso bulbi ventre oriuntur, et retis instar se decussant, non tantum vero in medulla subsistunt, sed et fistulas connectentia filamenta constituunt.

Pilorum superficies exterior non nunquam eminentiis exasperatur, quae tamen omnes accessoriae videntur, cum iis detersis glabra et teres appareat; pili vero ad apices ita attenuantur, ut minores isti, palpebrarum fere conici sint. Inter multa millia pilorum microscopio examinatorum Cl. Auctor quatuor tantum nodosos vidit, ergo nodi non ad naturales dotes, sed ad morbos potius referendi sunt. Pauca post modum de crispatura et longitudine pilorum proportionata, nec non de copia eorundem
p. 379. in diuersis corporis partibus annectuntur. Diameter pilorum pro diuersitate loci et coloris differt: crassissimi sunt in pube, hinc sequitur barba et hircus, tum vibrissae longiores et capilli, post hos cilia et supercilia in adultis. Capilli in superficie, uni quartae pollicis parti aequali, arcte se contingentes erant 147 nigerrimi, 162 fusci, 182 ex albo flaui. Nec totus pilus ubique eandem crassitiem habet. Durities a cortice pendet, varia ergo est pro ratione aetatis, subiecti et locorum. Robur ita comparatum est, ut quilibet pilus facile quatuor semiunciarum pondus ferat. De colore varia proponuntur, quae cum breuiter exposita sint, vix repeti possunt. Breuis vero haec delineatio ostendit, quanta cum cura minutissimam hanc corporis particulam examinauerit Cl. Auctor, quare completam pili humani anatomen, iconibus aptis illustratam, exoptamus.

17. IO. GOTTFR. ZINN *obseruationes de scirrhis cerebelli et cerebri*, eo redeunt, ut scirrhos, diuersis in locis utriusque visceris adnotauerit, simul cum tumore conglobatarum glandularum praesentes.

XVI.

XVI.

Noua physico-medica.

Doctores et Professores artem salutarem docentes:

1) in Academia Regiomontana.

MELCH. PHILIPP. HARTMANN, Med. D. et Prof. Ordinar. Ordinis sui Senior.

IOANN. CHRISTOPH. BOHLIVS, M. D. et P. Ord. secundus, Ser. Borussorum Regis Archiater.

CHRISTOPH. THEOPH. BÜTTNER, M. D. et P. O. tertius.

GOTHOFR. THIESEN, M. D. et P. O. quartus.

IOr. HENRIC. VON SANDEN, M. D. et P. O. quintus.

ADAM LVDOVIC. SVCHLAND, M. D. et P. Extraordinar.

IO. GVILIELM. WERNER, M. D. et P. Extr.

IO. FRIDER. SCHROEDER, M. D. et P. Extr.

IO. CHRISTOPH. LAVBMEYER, M. D. et P. Extr.

His ex Philosophorum Ordine annumeramus:

IO. GOTHOFR. TESKE, Prof. Phys. Ord.

CAROL. HENRIC. RAPPOLT, Natur. Pr. Extr.

2) In Academia Duisburgensi:

CHRISTIAN. AREND. SCHERER, M. D. et P. O.

IO. GOTTLOB LEIDENFROST, M. D. et P. O.

IO. ANTON DE BLECOVRT, M. D. et P. Extr.

Holmiae iam inde a quarto die mensis decembris anni praeteriti Vir Cl. ABRAHAM BAEK, M. D. in locum b. RIBE, ut Archiater regius ordinarius, regiique collegii medici praeses, surrogatus atque con-

ſtitutus fuit; quam quidem ipſam relationem ex litteris, Holmia acceptis, nunc depromimus, ideoque nos aliorum relationibus tum temporis ſeductos fuiſſe fatemur, quando hoc praeſidis munus Senatori regni, Lib. Baroni de HOEPKEN, demandatum eſſe, indicauimus *. Verum quidem eſſe inſimul accepimus, voluiſſe ordines regni, cum de morbis in regni prouinciis graſſantibus ſermo inciderit, ut collegii medici ſeſſionibus aliquis adeſſet, qui auctoritate ſua illius decretis valorem conciliaret; huc uſque tamen ea de re nihil amplius ibi notum factum fuiſſe.

In locum viri, dum viueret, clariſſimi, b. BVRCHARD DAVID MAVCHART, Med. Chir. et Anatomiae in academia *Tubingenſi* Profeſſoris ord., cuius vitam olim iam enarrauimus **, ante paucos menſes ſucceſſiſſe legimus ipſius generum, Virum Cl. GEORG. FRIDER. SIGWART, Ph. et M. D. cuius praecedenti anno editum *nouum problema chirurgicum de extractione cataractae ultra perficienda* nuper cum lectoribus noſtris communicauimus ***.

In academia, quae *Traiecti ad Rhenum* floret, Vir Cl. IO. DAVID HAHN, Ph. et Med. D. Socier. Reg. Scient. Gotting. Conſocius, cuius cum laude mentionem faciendi iam olim habuimus occaſionem ****, philoſophiam, phyſicam experimentalem et aſtronomiam publice docendi munus nactus eſt ordinarium, quod die viceſimo primo proxime elapſi menſis iunii auſpicatus fuit, habita oratione *de ſcientia naturali ab obſeruationum et experimentorum*

ſordibus

* Commentar. noſtr. Vol. II. P. I. p. 173.
** l. c. Vol. I. P. III. p. 531.
*** l. c. Vol. II. P. III. p. 453.
**** l. c. Vol. I. P. IV. p. 648.

ſordibus repurganda, quae nunc etiam typis expreſſa publice proſtat.

Berolini ſecundum anatomiae profeſſorem inque regio theatro anatomico proſectorem a Ser. Boruſſorum Rege nominatum eſſe legimus IO. ADRIAN. THEODOR. SPROEGEL, qui optimum dexteritatis et induſtriae ſuae ſpecimen ante paucos menſes Gottingae edidit, eoque tum temporis ab academia ibidem conſtituta Doctoris Medici honores atque iura promeruit, illa nimirum diſſertatione, *experimenta circa varia venena in viuis animalibus inſtituta* ſiſtente, de qua proxime diſſerendi fore nobis locum ſperamus.

Ibidem domus, proxime poſt theatrum anatomicum ſita, nuper eum in finem publico nomine emta fuit, ut ſic dictum laboratorium chymicum omni, quo opus eſſe videbatur, apparatu ibi nunc exſtrui atque conſtitui queat; in quo perficiendo opere iam omni quoque induſtria laborari fertur; inſimulque Viris Clariſſimis, IO. HENRICO POTT et ANDR. SIEGM. MARGGRAF, viris ſcientiae artisque chemicae peritiſſimis, ſummamque in ea laudem huc uſque iam conſecutis, ea data eſt prouincia, ut chemiam in illo publice doceant; attamen de Cl. MARGGRAF dubium adhuc eſſe dicitur, num is ipſe eam praelecturus, an, propter inſignem pectoris ſui infirmitatem, muneris hancce partem alii traditurus ſit?

Porro etiam *illinc* renunciatum habemus, Virum Cl. IO. GOTTLIEB GLEDITSCH, M. D. et Acad. Soc. a collegio chirurgico-medico, ut Profeſſorem Botanices Ordinarium, ante breue tempus fuiſſe receptum, ita, ut in poſterum illam publice doctu-rus ſit.

Hafniae die menſis ſeptembris tertio a Ser. Rege Daniae Virum Cl. HENRIC. FRIDER. PETERSEN, M. D. apud Altenauienſes poliatrum, et adiacentium terrarum ditionis Pinnebergae atque comitatus Ranzouiae phyſicum, mandato eum in finem edito, aulae Danicae medicum nominatum eſſe legimus.

Sine anatomica corporis humani cognitione, nec artis chirurgicae, neque chirurgi, datur idea. Vt igitur, exemplo aliarum in Germania urbium, in Hannoueranae ditionis prouinciis anatomen diſcendi ac excolendi copia fieret iunioribus chirurgis, facultas data eſſe fertur Cl. EBERT, qui omnium primi in exercitu Hannoueranorum chirurgi munere fungitur, *Hannouerae* theatrum anatomicum erigendi atque conſtituendi, inſimulque artis chirurgicae tirones ea, quae ad ipſorum artem pertinent, edocendi.

Ex litteris, ab amico in Hollandia degente acceptis, perſpeximus, *Vianae*, urbe in vicinia Vltraiecti ſita, haud ita pridem detectum fuiſſe fontem medicatum, cuius vires patefacere ac commendare anniſus ſit chirurgus illius urbis, H. VAN DER STEEG peculiari libello, belgice edito ſub hoc titulo: *Heelkundige Ondervindingen, undernomen en beproeft, aangande de Viaanſche Bronwell, door* H. V. D. STEEG, *Stads Chirurgyn te Vianen, Amſteld. 8.* Nec ingratum lectoribus noſtris fore putamus, cum ipſis ſimul narramus, hac praegreſſa aeſtate per Seelandiam, Geldriam atque Hollandiam variolas non ſolum valde graſſatas fuiſſe, ſed extitiſſe etiam exempla, bis hoc morbo correptos fuiſſe multos, medicisque ideo moueri ſuſpicionem, vel apud eorum multos iam potius in confeſſo eſſe, eum, qui variolis confluentibus non laborauerit, iterum eis eſſe obnoxium.

Regia

Regia ſcientiarum ſocietas, quae floret *Gottingae*, die octauo proxime elapſi menſis ſextilis eum in finem conuenit, ut diſſertationes, de optimo ſalis culinaris corrigendi modo, ad ipſam miſſas, publice diiudicaret. Praeter alias enim ſententias, praemio promerendo dicatas, etiam hanc eruditorum diſquiſitioni propoſuerat *: *Qua* nimirum *ratione ſal ex fonte coctus alcalina ſua indole liberetur, et purior atque magis cryſtallinus, et ad ſaliendos etiam maxime putredini obnoxios piſces aptus reddatur.* Finito examine ſchedarum, diſſertationi, quam ex reliquis ſelegerat ſocietas, adiectarum, ſigillis ſolutis, Virum Illuſtrem, IO. CHRISTOPH. DREYHAVPT, Ser. Boruſſorum Regis Conſiliarium intimum, iudiciique ſalarii, quod Halae Magdeburgicae eſt, praeſidem, illum commentarium tranſmiſiſſe patebat, qui prae aliis praemio dignus iudicatus fuerat. Conſtat, illuſtrem hunc virum per viginti iam annos muneribus apud ſalinas functum, atque laudem viri earum rerum peritiſſimi iam diu conſecutum eſſe. Poſt ea denuo aliam, ex oeconomica item ſcientia, ſecundum inſtituti ſui rationem, petitam, ſententiam modo dicta ſocietas propoſuit, ſolito etiam nummi aurei duodecim ducatorum praemio promiſſo. Quaeritur nimirum: qua ratione calx muris ac aedificiis exſtruendis conueniens atque deſtinata, optime ac ita praeparari debeat, ut aeris tempeſtatumque iniuriis, quam diutiſſime reſiſtat. Menſe quidem iulio futuri anni 1754 elaborationes tranſmiſſae publice diſquirentur, ſed, ut ante primum menſis iunii eiusdem anni diem eas tradendas curent eruditi, ſerio hortatur eos ſocietas, qui ſoluendae quaeſtioni ſtudere velint. Quo autem modo diſſertationes conſcribi ac tradi debeant, iam olim a nobis relatum fuit **.

* l. c. Vol. I. P. III. p. 528.

** ibid. p. 529.

Item *Burdegalenſis* ſcientiarum academia praemium illud ſolitum, a defuncto olim Duce DE LA FORCE fundatum, huic, quo iam viuimus, anno praefinitum, et a nobis iam ſuo tempore indicatum *, Viro Cl. FRANC. DE SAUVAGES, M. D. et Prof. in academia, quae floret Monte Peſſulano, tribuit. Mutationes nimirum, quas aer pro ratione diuerſarum conditionum, in corpore humano efficiat, explicandas voluiſſe academiam, conſtat. In eodem etiam, quem ea de cauſa habuit, conuentu nouum argumentum, ad annum huius ſaeculi quinquageſimum quintum referendum, propoſuit: explicari nempe debent illae mutationes, quas vegetabilia ab aeris ambientis vi experiantur. Binorum etiam, anno proxime inſtanti 1754 deſtinatorum, commentariorum materies, iam alio tempore nota facta, et a nobis quoque tradita **, eadem, uti conſcripta ibi legitur, manebit. Eos ſimul eruditos modo dicta rogat academia, qui duas iam elaborationes, unam cum ſymbolo: *Vertitur in cariem viridi ſub cortice*, alteram cum hoc: *Non fingendum aut excogitandum, ſed inueniendum, quid natura faciat aut ferat*, ad ipſam miſerunt, ut iis nouas adhuc iungere velint animaduerſiones.

In academia, *Gieſſae* conſtituta, nuper iam die viceſimo ſecundo menſis aprilis e viuis ereptus eſt primus medicinae profeſſor, LVDOVICVS HENRICVS LEO HILCHEN, Med. D. et Satrapiae Gieſſenſis ac adiacentium aliquot praefecturarum phyſicus.

Inter omnes conſtat, quaenam experimenta electrica, ex duobus inde annis et quod excurrit, primum ab anglo quodam, Cl. FRANCKLIN, Philadelphiae in America, deinde Pariſiis, aliisque Europae urbi-

* l. c. Vol. I. P. I. p. 149.
** Ibidem et l. c. Vol. II. P. I. p. 178.

urbibus, et ex aliquo etiam tempore *Petropoli*, a Cl. RICHMANNO, phyſices in academia, ibidem fundata, profeſſore, capta fuerint cum in finem, ut materiem electricam cum illa, quam in ſinu ſuo fouent nubes, fulgur atque tonitrua apportantes, unius eiusdemque eſſe naturae, non demonſtrarent ſolum, ſed et modum ediſcerent, quo fulmen in determinatum aliquem locum dirigi, ideoque ſuo tempore ab illis loeis, in quibus vis eius maxime metuenda eſt, v. c. officinis atque promtuariis tormentarii pulueris, auerti poſſet. Quam utile autem tale omnino foret inuentum, non nullis tamen eruditis tentamina, eius rei cauſa inſtituenda, ab omni prorſus periculo haud abeſſe viſa fuerunt. Ii nunc quoque ſententiam ſuam confirmari exiſtimabunt triſti iſto fato, quod modo dictus RICHMANNVS, die viceſimo ſexto menſis iulii huius anni, *Petropoli* expertus eſt. Ex relatione enim, quam Petropolitanae debemus academiae, accepimus, virum illum, die nominato medio, tempeſtatem a ſeptentrione ortam, uti huc uſque ſolitus fuerat, obſeruaturum fuiſſe; praeter opinionem vero, cum iſta ſcilicet nubes ſpiſſa ſex circiter gradus ab eius vertice remota eſſe videretur, a fulmine coloris ex albo coerulei, pugni magnitudinem aequante, ex conto ferreo, experimentis iſtis deſtinato, ſine ullo eius attactu, cum fragore verſus ipſum proſiliente, tactum, illico exanimatum concidiſſe. Rem vero ita, uti iam retulimus, accidiſſe, chalcographus academiae, SOKOLOW, qui praeſens fuerat, confirmauit, qui et ipſe quidem a filo iſto ferreo, quod a ſummo domus tecto ad contum iſtum modo dictum uſque exporrectum fuerat, vi fulminis diſrupto, ictus quosdam, veſtem ipſius panneam dilacerantes, in dorſo acceperat. Omnis quidem illico adhibebatur cura, quo vita RICHMANNI, ſi forte ſupereſſet adhuc, reuocari poſſet: ſed frictio, excitans ſpiritus atque venae ſectio, nihil proficiebant; nec redibat anima,

licet pectus, velut in ſuffocatis tentatum ſaepe fuit cum ſucceſſu experimentum, naribus compreſſis, inflato ſpiritu, diſtenderetur. Externa dein corporis ſuperficie oculis colluſtrata, ne ullum quidem praegreſſae conuulſionis ſignum apparebat, in ſuprema vero frontis parte, ubi capilli incipiunt, et verſus latus eius ſiniſtrum, rubra et cruore ſuffuſa macula, figurae ouatis et magnitudinis thaleri imperialis, aliaque eiusdem plane indolis in latere pedis ſiniſtri, calcei ſupra eam immediata parte bis dilacerata; porro in ipſo corporis trunco, a collo ad coxarum uſque regionem octo eiuſmodi ſugillatae maculae, vel liuores potius dicendi, diuerſae magnitudinis conſpiciebantur. Poſt quatuor et viginti horas, a Viris Cll., KRAZENSTEIN et KLEINFELD, academiae iuſſu, cadauer incidebatur; liuoribus iſtis primum inueſtigatis. Cruor ſub iis haerens nunc erat ſiccus atque firmus, cuteque ſeparata, illos omnes nil, niſi cutem, penetraſſe, nec muſculos, aut oſſa, neque ipſam quidem ſubiacentem pinguedinem laeſam eſſe, intelligebant viri adſtantes. Mirum quoque eſt, pilos in iis cutis partibus externis conſpicuos, nullo modo ſimul laeſos fuiſſe. Cerebrum perfecte ſanum, cor ſanguine quidem vacuum, caeteroquin autem illaeſum; anterior pulmonum pars ſine ulla laeſione, ea vero poſterior tota, prae primis in dextro latere, ſubnigra, furua et ſanguine extra vaſa miſſo repleta; in ipſa vero thoracis cauitate dimidia circiter ſanguinis puri effluxi libra, deprehendebantur. Poſterior aſperae arteriae pars membranacea, tenuis, macerata quaſi atque diſciſſa, illius autem bronchia partim ſanguine puro, partim quoque ſpumeſcente, plena erant, ita, ut iam ante corporis inciſionem, dum illud inuertebatur, ſanguis per os prorumperet. Abdomine poſt haec aperto, praeter illam inteſtinorum partem, quae a ſpina dorſi propior erat, atque praeſertim glandulam pancreas dictam, quae nimirum partes ſugillatae

latae et cruore plenae erant, omnia in illo contenta viſcera ſaniſſima apparebant. Notatu inſuper dignum eſt, eodem tempore in domicilio ſuo, haud procul ab illo b. RICHMANNI remoto, Virum Cl. LOMONOSSOW, ſimilia feciſſe experimenta, tumque temporis, cum exitioſum iſtud fulmen emitteretur, in filo ſuo electrico nihil, niſi coruſcantes ſcintillas, obſeruaſſe. Bonum interim quemlibet triſte illud fatum, quod b. RICHMANNVS, ſtudio ſuo atque induſtria longiorem omnino vitam promeritus, expertus eſt, nobiſcum dolere, confidimus.

Facere non poſſumus, quin adhuc varia, quae de vita, ex omnium bonorum teſtimonio bene et laudabiliter acta, viri, dum viueret, celeberrimi, IOANNIS SLOANE, et famigeratiſſima ipſius rerum naturalium collectione, ab amico quodam londinenſi, cum quo et ipſi defuncto olim interceſſerat amicitia, accepimus, aut alibi collegimus, iis nunc hic loci ſubiungamus, quae iam ſupra * enarrauimus. Singularis ſine dubio illuſtris nominati viri modeſtia, animusque ab omni arrogantia remotus, in cauſa fuit, cur is ipſe vitam ſuam haud expoſuerit, deque iis, quae ipſi acciderunt, nihil perſecutus fuerit. Quo factum eſt, ut, cum alii, de ipſius meritis certi, illum in ſe ſuſcipere vellent laborem, pauca ex ipſo reſcire poſſent, quoniam tum temporis iam, ut ſumma ſenectute confectus, parum de iis in memoriam reuocare compos fuit, quae per omnem ipſi vitam euenerant. Eam quoque ob cauſam illa huius vitae deſcriptio, in qua iam ante hos ſex annos Cl. virum, Doctorem HAMPE, elaboraſſe ſcribit Cl. ALBERTI **, nondum huc uſque, quantum nos quidem

* l. c. Vol. II. P. II. p. 366 et ſeq.

** Vid. Ei. *Briefe, betreffend den allerneueſten Zuſtand der Religion und Wiſſenſchaften in Groſsbritannien, zweyter Theil, p. 277.*

compertum habemus, prodiit. Ne de anno quidem, quo natus fuerit, cum aliqua certitudine satis diu constitit: ante breue autem tempus ex litteris amici nostri Londinensis perspeximus, eum anno saeculi ultimum elapsi sexagesimo natum, ideoque aetatem trium et nonaginta annorum adeptum, attamen nihilo minus propter sobriam, quam egerit, vitam perfecta semper sanitate, sensuumque usu ad senium usque, gauisum fuisse. Killelagh dicitur ille locus, in comitatu Dunensi in Irlandia situs, in quo prima vice hanc lucem adspexit. Adolescens adhuc, summo rerum naturalium cognoscendarum amore flagrabat, ideoque botanicam in primis artemque salutarem addiscere, omni studio enitebatur. Valde quidem exiguas possidebat opes: attamen omnem dabat operam, ut in academia, quae Monte Pessulano floret, in litteras posset incumbere. Quo facto, in principatum Arausionensem, qui in Galliae parte, Prouincia proprie sic dicta, situs est, se conferebat, atque in academia, Arausione fundata, honores atque iura doctoris medici adipiscebatur. Ab inopia vero adhuc dum vexatus atque pressus, omnem quidem, quae eum in finem requirebatur, impensam facere non potuisset, nisi generoso aliorum adiumento suffultus fuisset. Interim tamen tantos in arte salutari, omnibusque eo pertinentibus scientiis fecerat progressus, ut Londinum redux factus iam anno 1684 a medicorum ibi constituto collegio, et tribus annis post, a regia scientiarum societate Londinensi, in numerum suorum, ut membrum, reciperetur. Eo ipso etiam ultimo iam dicto anno, 1687, alio, ipsius votis quam maxime conuenienti, felicitatis genere fruebatur. Duci enim d'ALBEMARLE summa rerum in insula Iamaica gerendarum, tradita fuerat. Is, cum iter eo pararet, et medicum, qui ipsum comitaretur, suaeque sanitatis curam haberet, a Cl. Doctore BARWIK poscceret, ut talem sibi commendaret, Nostro hanc,

co

eo viro commendante, prouinciam demandabat. Ampliſſimus nunc ei patebat campus, quo inſtinctui ſuo, naturali vere dicendo, ſatis faceret. Illud itaque iter ſumma alacritate ſuſcipiebat, et, quem modo in locum deueniebat, colligebat omnia, quae pro fine ſuo obſeruatu digna ipſi viſa occurrebant. Verum enim vero hacce ſibi tam exoptata fortuna haud diu gaudere poterat. Proxime enim ſequente anno Dux ille e viuis eripiebatur, et Noſter ideo iam anno 1689 cogebatur Londinum reuerti; locupletiſſimam tamen rerum naturalium, arduis ſaepe laboribus collectarum, aut earum certe delineatorum pictorumue exemplorum copiam, ſecum apportabat, quam deinde maximis ſumtibus ac indefeſſo ſtudio, ad ſuam uſque ſenectutem ſummam ita adaugebat, ut tandem ſplendidiſſimum illud muſeum, de quo per omnem fere Europam percrebuit fama, inde exſurgeret. Quamuis autem hiſtoriae naturalis amplificandae ſtudio totum ſe dediſſe videretur, in alias tamen ſcientias eodem tempore incumbebat, ac in primis artem medicam cum exoptatiſſimo non ſolum ſucceſſu, ſed et tanto cum fructu faciebat, ut ampliſſimam in adaugendum muſeum facere poſſet impenſam, atque inſignem collectarum facultatum vim, nempe circiter centum millia pondo anglicorum, poſt mortem adhuc relinqueret. Inſignem igitur meritorum famam conſecutus, illud eorum inter alia reportabat praemium, ut a Ser. Angliae Rege, GEORGIO, huius nominis primo, eques auratus, et dein ab eo, qui hiſce noſtris temporibus imperio illius regni cum laude utitur, primus medicus, atque porro a medicorum collegio praeſes, idemque a ſcientiarum ſocietate, cuius utriusque iam fuerat membrum, ac in ea ultima quidem in locum ISAACI NEWTON, quem modo nominaſſe plus eſt, quam inſigniter laudaſſe, crearetur. Quid? quod plurimae in Europa conſtitutae academiae, eum ſibi iungere ſocium, honori ducebant. Tandem autem com-

commune hominum fatum die undecimo ianuarii anni, quo nunc viuimus, experiebatur, et die decimo octauo eiusdem menſis cum ſolenni atque ſpectatiſſimo apparatu, plurimis ſocietatis ſcientiarum membris, aliisque illuſtribus viris comitantibus, in villa ſua, Chelſea dicta, eiusque areae ad templum ſitae extremo loco, ſepeliebatur. Ex appendice, teſtamento ipſius iuncta, cuius authenticum ſeu fide dignum in manibus iam habemus exemplum, intelligimus, voluiſſe defunctum atque optaſſe, ut uniuerſum muſeum in toto ſuo ambitu omnibusque eius partibus in modo dicta ſua villa conſeruetur, publicoque uſui, quantum demum modo fieri poſſit, adhibeatur, ideoque Ser. Regi ſuo aut ſupremae regni curiae, iisque renuentibus, Petropolitanae, deinde Pariſinae, tum Berolinenſi, tandemque Madridenſi academiis, pro viginti millibus pondo anglicanorum, quippe vix quartae muſei partis pretio, ab eo ipſo ſic in teſtamento aeſtimato, offeratur; omnibus autem illud recuſantibus, auctione conſtituta, tandem publice vendatur. Cum vero nos adhuc lateat, num Illuſtres muſei adminiſtratores, quos, in teſtamento nominatos, elegit, ultimae ipſius voluntati in omnibus articulis ſatis facere queant, in ulteriore et copioſiore eius recenſione iam haud commorabimur. Interim lubenter fateri haud erubeſcimus, nos, litteris publicis olim fidem habentes retuliſſe, Seren. Angliae Regem illico poſt obitum poſſeſſoris muſeum illud coemiſſe atque dediſſe mandata, ut in nouo, eum in finem exſtruendo, aedificio aſſeruaretur; hanc tamen relationem ſic, uti narrauimus, ſe non habuiſſe. Deinde enim plus ſimplici vice publice relatum legimus, a ſuprema regni curia decretum eſſe atque ſancitum, ut publica conſtituatur ſortitio, et pecunia, inde proueniens, pro muſeo iſto, publico nomine coemendo, ſoluatur. Per amici quoque noſtri litteras ea in re confirmamur, quippe qui nobis refert, ſupremum iſtud regni collegium in uſus publicos illud

iam

iamiam coemiſſe, ita, ut in poſterum rationem, qua communi uſui deſtinata eſſe debeat, nobis iri traditum ſperemus. Vt noſtri tamen cognoſcant lectores, quidnam ſumtuoſum illud muſeum in ſe contineat, indicem aſſeruatarum rerum, qui teſtamenti ultimae partis iam commemoratae exemplo adiectus eſt, quin hic loci noſtris inſeramus commentariis, nulli dubitamus. Librorum, qui adſunt, numerus ad 50000 volumina aſcendit, ad quam claſſem tamen 347 volumina, exemplis rerum naturalium delineatis, aut pictis referta, porro 3516 volumina librorum manu exaratorum, referuntur. Nummorum tum antiquorum, tum recentium, cum talibus aliis, in memoriam rerum ſingularium cuſis, *Medals*, numerus eſt 32000; porro rerum curioſarum, propter vetuſtatem aeſtimatarum, *Antiquities*, v. c. urnarum, et ſic porro 1125; ſigillorum e. ſ. p. 268; ſculptilium atque ſculptorum, *Camea's and Intaglio's*, e. ſ. p. 700; lapidum pretioſorum, v. c. achatarum, iaſpidum, e. ſ. p. 2256; vaſorum ex eius generis lapidibus paratorum, 542; cryſtallorum, ſpatorum, e. ſ. p. 1864; foſſilium, ſilicum, aliorumque lapidum generum, 1275; mineralium, metallorum, e. ſ. p. 2725; terrarum, arenarum, ſalium, e. ſ. p. 1035; bituminis, ſulphuris, ſuccini, ambrae gryſeae, variorum generum 399; talci generum, micarum e. ſ. p. 388; teſtaceorum 5843; coralliorum, ſpongiarum, e. ſ. p. 1421; echinorum, echinitarum, e. ſ. p. 659; aſteriarum, trochorum, entrochorum, e. ſ. p. 241; cruſtaceorum e. ſ. p. 363; ſtellarum marinarum, e. ſ. p. 173; piſcium, variarumque eorum partium, 1555; auium, variarumque earum partium, ouorum atque nidorum variorum generum 1172; viperarum, ſerpentum e. ſ. p. 521; quadrupedum, e. ſ. p. 1886; inſectorum 5439; rerum humanarum, v. c. calculorum, variorumque ſic dictorum praeparatorum anatomicorum 756; vegetabilium, e. g. ſeminum, gummi, lignorum, radicum, e. ſ. p. 12506; horti ſicci ſeu

her-

herbarii viui voluminum 334, variorum, naturalium, e. ſ. p. 2098; picturarum atque delineationum, marginibus incluſarum, 310; inſtrumentorum mathematicorum 55. Omnia, quae hactenus enumerata ſunt, cum adiectis numeris notata, breuibus commentariis deſcripta, et additis auctorum, qui de eius generis rebus commentati ſunt, indicibus, in catalogum relata ſunt, qui triginta octo voluminibus in folio, aliisque octo in forma, quam dicunt quartam, conſtat. Optamus omnino, ut finis, quem ſemper, dum ea omnia collegerat, praefixum ſibi habuiſſe, in teſtamento ſuo aſſerit ipſe b. SLOANE, firmus ſit atque conſtans, eumque ii ſinguli, quibus muſeo iſto uti licebit, conſequantur, ut potentia nimirum, ſapientia, bonitas, prouidentia, aliaeque ſummae Dei virtutes, hominibus inde magis magisque innoteſcant, iique, dum rerum ab eo procreatarum cognitionem amplificant, ſuam quoque ſimul adaugeant felicitatem.

Ad Lectores monitum.

Omne quidem, prout fieri potuit, a nobis in eo huc uſque poſitum fuiſſe ſtudium, ſatis nunc patere confidimus, ut in omnibus, quae lectores noſtri a nobis expectare poterant, debitam induſtriam atque ſedulitatem ipſis comprobaremus. Dantur autem varia, in quibus nullo ſtudio atque labore eum attingere poſſumus finem, quem ſemper nobis praefixum habemus. De librorum indicibus, quos per hos ultimos annos confecimus, iam ante aliquod tempus ad lectores noſtros retulimus *, atque cauſas, ex quibus illi manci forte ac incompleti maneant, aperte tradidimus. Quam ob cauſam tum temporis etiam eos, quibus noſtrum hoc inſtitutum haud diſplicet, rogauimus, ut, ſi quos forte in iis deprehenderint errores, eos beneuole nobiſcum communicare vellent. Huius nunc quidem voti licet haud compotes facti ſimus,

* Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 369.

simus, tantum tamen abest, ut, perfectum istum esse laborem inde inferre, aut modo coniicere velimus, ut aliorum potius monita nobis adhuc et semper cara fore atque accepta denuo asseueremus. Alia vero nos insuper quoque premit difficultas. Omnes sine dubio consentire in eo confidimus, ut aequum esse intelligant, eruditorum, qui bene de re publica meruerunt, cum discesserunt e vita, seruare memoriam, et, dum ipsorum celebrantur merita, in superstitibus nobilem illos imitandi cupidinem excitare. Quantum in nobis positum fuit, suo tempore dataque occasione, huc usque circa hanc rem praestitimus. Facile autem apparet, in nostra semper situm prorsus non esse potestate, quo nostrae voluntati, aliorumque expectationi, satis faciamus. De uno alteroque quidem erudito, tempore nostro vita defuncto, varia collegimus, partim quae ad eorum vitam, partim quae ad librorum, ab ipsis editorum, spectant indicem, nimis tamen, id, quod lubenter fatemur, manca atque mutila, quam ut ea nostris tradere lectoribus audeamus; perpendentes autem, eos, qui demortuis, dum viuerent, familiariter usi sunt, omnium optimam de eorum vita ante acta atque scriptis, ab iis olim editis, habere posse atque debere notitiam: facere non possumus, quin eos omnes publice iam rogatos cupiamus, velint, si qui medici, aut alii eruditi, rerum physicarum studiosi, et de scientia naturali bene meriti, quibuscum, dum viuerent, familiaritas ipsis intercessit, commune nostrum fatum experiantur, atque hanc vitam deserant, pro suo in literas fauore, ea de vitis mortuorum, laboribus atque scriptis ab iis olim editis, quae cognita habent, beneuole nobiscum communicare. Communem inde non solum prouenire utilitatem, per se satis superque patet, sed ad quaeuis etiam humanitatis officia, si qua nobis eorum detur unquam copia atque occasio, nos semper fore paratissimos, ut persuasum sibi habere velint, qua par est, obseruantia oramus.

XVII.

XVII.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1750 prodierunt.

Theſaurus rei herbariae hortenſisque uniuerſalis, exhibens figuras florum, herbarum, arborum, fruticum, aliarumque plantarum prorſus nouas et ad ipſas delineatas depictasque archetypos natiuis coloribus; *d. i. Allgemeines Blumen- und Frucht-Kräuterbuch* etc. Norib. fol. c. figg.

Hiſtoire naturelle de l'Islande, du Grœnland, du Détroit de David, & d'autres Pais du Nord, Voll. 2. à Paris 12. c. f.

Hiſtoire naturelle generale & particuliere, avec la deſcription du Cabinet du Roi, 12. à Paris.

Traité de la culture & de la plantation des arbres, à Paris, 12.

Antidotarium Bononienſe, a collegio medicorum nouiſſime reſtitutum, Bonon. 8.

Medulla medicinae uniuerſae: overo nuova compendioſa Farmacopea compoſta per comodo di S. A. R. il Duca de Cumberland tradotta del Ingleſe, in Venezia, 4.

Pharmacien moderne, ou nouvelle maniére de préparer les drogues, à Paris, 12.

Die wahren Mittel Länder und Staaten glücklich zu machen; oder groſses oeconomiſches und phyſicaliſches Lexicon; *vornehmlich aus des* P. NOEL CHOMELS Dictionnaire oeconomique *genommen und vermehret, I. II. III. Th. Leipz. fol.*

Nouvelles fontaines domeſtiques, approuvées par l'Acad. Royale des Sciences; premiere edition, à Paris, 8.

Diſſertazioni ſ. lettere ſcritte ſopra varie Materie da diverſi illuſtri autori viventi, Tomo ſecondo, in Firenze, 8.

Ouvra-

Ouvrages de Pénelope, ou Machiavel en Médecine, 3 Voll. à Leide, 12.

NICCOLO ARRIGHETTI Ignis theoria, ſolidis obſeruationibus deducta, Seniſ. 4.

ARRIGHI riſpoſta apologetica alle Oſſervazioni del Dottor PIETRO CHORNACHINI ſopra certi effetti morboſi malamente attribuiti all' impedita traſpirazione, Siena, 8.

Diſſertation ſur le rapport qui ſe trouve entre les phénomenes du tonnere & ceux de l'Electricité; qui a remporté le prix au jugement de l'Academie Royale des Belles Lettres, par Mr. BARBERET, à Bourdeaux 4 mai.

BARBIELLINI Diſſertazione fiſico anatomica ſopra l'eſcluſione de fermenti ſtomatici e delle glandole nella villoſa, Roma, 12.

Maniere de bien nourrir et ſoigner les enfans nouveaux nés par MICHEL BERMINGHAM, à Paris, 4 mai.

RVGERII BOSCHOVIK Diſſertatio de lumine, Romae 4. c. f.

Diſſertation ſur les eaux minerales du Bearn par MR. DE BOURDEU, à Paris, 12.

Methode indiqué par Mr. BOYER ſur la maladie epidemique nommée la Suette à Paris, 4 mai.

FRANCISCI ERNESTI BRÜCKMANNI Epiſtolae itinerariae. Centuriae tertiae, epiſt. 1-25. c. figg. 4 mai.

A. CORNEL. CELSVS et Q. SERENVS SAMONICVS de Medicina, alter ut ab ALMELOVEENIO editus eſt anno 1713, alter ut a CONSTANTINO anno 1566. Editio nouiſſima, in qua ad caetera omnia, quae in priore noſtra, epiſtolae ſex accedunt Cel. IO. BAPT. MORGAGNI, nunquam antea vulgatae, Patauii, 8. voll. 2.

Jugement d'après les faits; par le frere COME &c. à Paris (*Inuenitur etiam hoc ſcriptum in collectione illa*

illa, quae habet titulum: Recueil des piéces importantes ſur l'operation de la Taille n. 9).

Anatomia corporum humanorum, 129 tabulis, ad viuum expreſſis atque in aes inciſis, illuſtrata &c. aucta a GVILIELMO COWPER; accedunt eiusdem introductio in oeconomiam animalium &c. curante GVILIELMO DVNTASS, Scoto. Hanc nouam et multo auctiorem editionem promulgare curauit RADOLPHVS SCHOMBERG, Vltraiecti, fol.

IO. HENR. DENCKER Diſſ. inaug. de ſubitanea morte praecauenda, Halae 4.

IOH. PETER EBERHARD *Gedanken von dem Feuer und den damit verwandten Koerpern, dem Lichte und der elektriſchen Materie, nebſt einem Anhange vom alchymiſtiſchen Feuer, worinnen ein rares Sendſchreiben des* PONTANVS *mitgetheilt und erkläret wird, Halle 8. m. K.*

Coniectura phyſica circa propagationem ſoni ac luminis una cum aliis diſſertationibus analyticis. Auctore LEONHARD. EVLERO, Berol. 4. c. figg.

FRID. PHIL. FLORINI oeconomus prudens et legalis; *oder kluger und rechtsverſtändiger Hausvater erſter Theil, Nürnberg, fol. mit Kupfern und rechtlichen Anmerkungen, von* I. C. DONAUERN.

IO. HERM. FÜRSTENAU Diſſ. de S. Viti ſaltu ſiue chorea, vulgo *Vits-Tanz.* Reſp. IVSTVS LVDOVICVS GERCKE, Rinteln, 4.

Eiusd. Progr. de praeiudiciis in artis exercitio ſalutaris vulgaribus ſedulo vitandis, ib. 4.

Rifleſſioni ſopra i vari pareri pubblicati intorno al caſo della GIOVANE Cremoneſe e ſuoi maravigliosi avvenimenti, ſcritte al Sig. D. GIUSEPPE CASATTI dal Dottor CARLO GANDINI, Milano 8.

Chroageneſie ou generation des Couleurs contre le ſyſteme de Mr. NEWTON par Mr. GAUTIER, To. I. à Paris, 12.

IO. GEDDE Apiarium anglicum, *oder vollkommener Bienenmeiſter, welcher die Kunſt und Geheimniſſe der Bienen Pflege darlegt. Aus dem Engliſchen überſetzt, vierte Auflage, Leipzig 8.*

Obſervations de FRANCOIS GRISELINI de l'Academie des Sciences de Boulogne ſur la ſcolopendre marine luiſante & la Baillouviana, Veniſe 8.

Emaſtatica, o ſia ſtatica degli animali viventi o ſia eſperienze idrauliche fatte ſugli animali viventi dal Sig. HALES, dal franceſe nuovamente tranſportata nell' Italico idioma, vol. I, Napoli 8.

LAVRENT. HEISTERI Compendium anatomicum, *ins Deutſche überſetzt, Nürnberg, 8.*

HERINGS *oeconomiſcher Wegweiſer, vermehrt herausgegeben, Jena, 8.*

IALLABERT Experimenta electrica uſibus medicis applicata, Baſil. 8.

Alla diſſertazione publicata col titolo: de falſa hydrophobia; apologia del Dottor FLAMINIO INTERLENGHI, Milano, 4.

GEORG. WOLFG. KNORR *Sammlung von Merkwürdigkeiten der Natur und den Alterthümern des Erdbodens, zum Beweiſe einer allgemeinen Sündfluth aus dem Reiche der Steine bewieſen, und mit Farben ausgedruckt, Nürnberg*, fol. reg. c. figg.

Nützliche und auf die Erfahrung gegründete Einleitung zur Landwirthſchaft, fünfter Theil, durch IO. GEORG LEOPOLD, *Sorau*, 4.

Diſſertationes duae criticae hiſtoricae, una de 25 annis Romanae PETRI Cathedrae; altera de Actis COSMAE et DAMIANI, nec non de monumentis Baſiliae ipſis in urbe exſtructae. Auctore BERNHARDINO MEZZADRI, Romae, 4. c.f. (*Praeter paucas plagulas liber fere totus hos artis medicinae patronos eorumque hiſtoriam concernit*).

Lettera, o ſia diſſertazione ſopra la calata de fulmini dalle nuvole indirizzata al eruditiſſimo Sig. Marcheſe

cheſe SCIPIONE MAFFEI da ANTONIO LAZZARO MORO, Venezia, 12.

CASPAR. NEVMANNI Chymiae medicae dogmatico-experimentalis Tomi primi pars tertia, *herausgegeben von* D. CHRISTOPH HEINRICH KESSEL, Züllich. 4.

Eſſai ſur l'electricité des corps, par Mr. NOLLET, à Paris, 12. c. figg.

PHILIP. THEOPHRAST BOMBAST VON HOHENHEIM PARACELSI *genannt; Geheimniß aller ſeiner Geheimniſſe, welches noch niemals iſt gemein gemacht; nebſt einem Anhang noch mehr anderer unglaublicher Curioſitäten, welche noch niemals offenbar worden, Frankfurt und Leipzig, 8.*

ALUNDIUS ALOYSIUS A PORTA Rifleſſioni critico mediche, e difeſa della diſſertazione de falſa hydrophobia, Coira, 8.

Fons medicatus Hagae Schaumburgicae deſcriptus, auctore IOH. CHRISTOPH. RABE, Lemgo, 8.

GOTTFR. ROTHENS *gründliche Anleitung zur Chymie, herausgegeben von* D. SAMUEL THEODOR QUELMALZ, *ſiebende Auflage, Leipzig, 8.*

ANTON GIACINTHO SANTANGELI opuſculum quartum de morbis infimi ventris, Romae, 4.

C. ST. SCHEFFELI Diſſ. de Pyromania, Part. V. Reſp. L. *Gumaelius*, Gryphſw. 4.

I. A. SEGNERI Progr. computatio formae atque virium machinae hydraulicae nuper deſcriptae, Goetting. 4.

Hortus nitidiſſimus omnem per annum ſuperbiens floribus; ſiue amoeniſſimorum florum imagines, quas magnis ſumptibus collegit D. CHRIST. IACOB TREW, in aes inciſas viuisque coloribus pictas edidit IOH. MICHAEL. SELIGMANN, Noriberg. fol. reg.

Des weitberühmten Eger Sauerbrunnens gründliche Unterſuchung, oder neue und ausführliche Beſchreibung,

bung, in welcher deſſelben wahre Beſtandtheile, mineraliſcher Innhalt und Heilungskräfte, und fürtreffliche Nutzbarkeit &c. ausführlich beſchrieben ſind von IOH. GEORGE STARCKMANN, *Eger, 8.*

Om Näſslors planterande och bärgning. Stockholm, 4. Auctore IACOB STRANG.

Diſſertation ſur la ductilité des metaux & le moyen de l'augmenter; qui a remporté le prix au jugement de l'Academie Royale des Belles Lettres, Sciences & Arts, par Mr. TILLET, à Bourdeaux, 4 mai.

TROWELLS *neue Abhandlung vom Ackerbau, vollſtändig gemacht von* ELLIS, *Leipz. 8.*

Lettere Idrologiche intorno all' uſo, e all'abuſo delle acque minerali, naturali, & particolarmente circa quelle di Recoaro e di Cilla, ſcritte da vari Profeſſori di Medicina publicate da DOMENICO VINCENTI, Venezia, 4.

IO. HEINRICH WACHSMUTHS *kurze, doch hinlängliche Unterſuchung, ob, wie und wodurch das Podagra, und alle übrigen Arten von Gicht, aus dem Grunde zu heilen, nebſt beygefügten Hülfsmitteln, Nordhauſen, 8.*

XVIII.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1751 prodierunt.

Commentarii Academ. Scient. Petropolitanae Tomus XIII. ad annum 1741-43, Petropol. 4. c. figg.

Commentarii Academ. Scient. Petropolit. Tom. XIV ad an. 1744-46, Petrop. 4. c. figg.

Noui Commentarii Academ. Scient. Petropolitanae Tomus II ad an. 1749, Petropol. 4. c. figg.

Memorie & oſſervazione chirurgiche tratte dagli Atti della reale Academia delle Scienze di Parigi re-

cate in Italiana favella, Tomo primo, Venezia, 4.

Saggi ed Osservazioni di Medicina della Societa d'Edimburgo, opera tradotta dall' Inglese nell' Idioma Francese, ed accresciata d' osservazioni intorno alla storia naturale, ed alle malattie degli occhi dal Sig. PIETRO DEMOURS, recata ora novellamente nell' Italiano, Venezia, 8.

Raccolta d' opuscoli scientifici e filologici, Tom. 44, 45, & 46, Venezia, 12 mai.

Die wahren Mittel Länder und Staaten glücklich zu machen, oder grosses oeconomisches und physicalisches Lexicon etc. *vornehmlich aus des* P. NOEL CHOMELS Dictionnaire oeconomique *genommen und vermehret, vierter Theil, Leipzig, fol.*

Oeconomische Nachrichten, zweyter Band, 13-24 Stück, Leipz. 8.

Otia metallica, *oder bergmännische Nebenstunden, darinnen Abhandlungen von Bergsachen &c. zweyter Theil, 8. m. K. Auctor.* ADOLPH. PEYER.

Nouveau voyage de Guinée, à Paris, 12. voll. 2. c. f.

Allgemeine Historie der Reisen zu Wasser und zu Lande, oder Sammlungen aller Reisebeschreibungen, achter und neunter Band, Leipzig, 4. m. K.

Sammlung neuer und merkwürdiger Reisen zu Wasser und zu Lande, aus verschiedenen Sprachen übersetzt, zweyter Band, welcher die Reisen nach Guiana, Peru *und das südliche* America *der Herren* BARRERE, BOUGUER *und* DE LA CONDAMINE *enthält, Goetting. 8. m. K.*

Ebenderselben dritter Theil, welcher die Reisen nach Peru, Acadien *und* Egypten *enthält,* ibid. *8. m. K.*

Ebenderselben vierter Theil, welcher IOH. GEORG GMELINS, *ersten Theil seiner Reise nach Siberien enthält,* ibid. *8. m. K.*

Schauplatz der Natur, oder Unterredung von der Beschaffenheit und den Absichten der natürlichen Dinge,

ge, wodurch die Jugend zu weiterm Nachforſchen aufgemuntert, und auf richtige Begriffe von der Allmacht und Weisheit Gottes geführet wird, zweyter Theil, welcher die Fruchtbarkeit der Erde betrachtet, aus dem Franzöſiſchen überſetzt von T. W. B. *zweyte Auflage, Wien und Nürnberg, 8. mit K.*

Schauplatz der Natur, ſechſter Theil, welcher dasjenige zu betrachten darſtellet, was zum geſellſchaftlichen Leben der Menſchen gehöret, aus dem Franzöſiſchen überſetzt, Wien und Nürnberg, 8. m. K.

Lettres à un Americain ſur l' hiſtoire naturelle generale & particuliere DE BUFFON, à Hambourg, 12, vol. IVme.

Lettre XXIII ſopra la forza dell' immaginazione delle donne incinte, nelle quali s' impugna il pregiudizio, che attribuiſce all immaginazione delle madri la forza d' imprimere ſul corpo de feti, dentro il lor ſeno racchiuſi, la figura degli oggeti, che le hanno colpite correvano in lingua Franzeſe, Venezia, fol. c. figg.

A new treatiſe on britiſh and foreign vegetables, uſed in the practice of phyſick, London, 8.

Nouveau traité ſur les vegetaux d' Angleterre & des païs étrangers qu' on employe dans la pratique de la medecine en Anglois, London, 8.

Pharmacopoeia Leidenſis ampliſſimorum magiſtratuum auctoritate inſtaurata, editio tertia, Lugd. Bat. 8 mai.

Diſſertation en forme de lettre ſur l' effet des topique dans les maladies internes en particulier ſur celui du Sieur ARNOULD contre l' apoplexie, écrit par un medecin de Paris à un medecin de Provence, ſeconde edition augmentée de pluſieurs piéces intereſſantes, à Paris, 12.

Avis du College royal de Medecine publié ici pour prevenir la petite verole, Stockholm, 4.

The cure of the miliary fever, with advice to the apothecaries, London.

Remede pour la fievre miliaire avec un avis aux apoticaires, London, 12.

Nuovo preſidio della ſanita proveniente del cavalcare col mezzo d' una machina, Venezia, 8.

A diſſertation on the origin of the venereal diſeaſes; proving that it was not brought from America, London.

Unterricht wegen der eingeriſſenen Hornviehſeuche, worinne ſie beſtehe, und wie ihr vorzubeugen, auch des kranken Viehes zu pflegen, nebſt einem Anhange von Kornwürmern, Cöthen, 8.

De ratiocinio in medicis programma, Heidelberg.

Auguſta Hygeiae Palatinae corona ad ſcientiae medicae gloriam et naturae laborantis felicitatem nobiliſſimis herbarum floribus ac arborum frondibus exornata, programma, Heidelberg.

La clavicule de la ſcience hermétique, écrite par un habitant du Nord dans ſes heures du loiſir l'an, 1732 en francois & latin, Amſterd. 8.

NICOL. LE ROY DE ST. AIGNAN Quaeſtio medica: an morbos in claſſes reducere expediat? Reſp. *Honorat. Petiot*, Paris, 4 mai.

AMY nouvelles fontaines domeſtiques, à Paris, 8. (*accedunt theſes* a Cl. THIERRY *conſcriptae*).

Eſſai touchant les effets de l'air ſur les corps humains par JEAN ARBUTNOT, London, 12.

Exercitationes binae ſtudii cauſa exaratae, auctore ARISTIDE Philoiſtore, iatro phyſico: alia nempe de Chinae Chinae virtute, an coagulatiua, an diſſolutiua; altera vero de ſalis abſinthii actiuitate aliqualiter purgante, Modena, 8.

Diſcours qui a remporté le prix de phyſique au jugement de l' Academie de Bourdeaux en 1750 par Mr. BARBERET, à Dijon, 4.

Richtig

Richtig angeſtellte und aufrichtig mitgetheilte Obſervationes, *von dem ſeit eines halben Seculi ſich in den meiſten europäiſchen Ländern ſehr merklich zeigenden und bekannt gewordenen* Phaenomeno, *unter dem Namen vom Nordlicht. Dargelegt und herausgegeben von* L. BARHOV, *Frankfurt und Leipzig*, 4. c. figg.

IO. PHIL. BERCHELMANN Diſſ. de liene, Gieſſae.

Storia medica d'una poſtema nel lobo deſtro del cerebello, qui produſſe la paraliſia della membra della parte deſtra con alcune oſſervazioni anatomiche fatte nella ſezione, con una tavola, ſcritta dal GIOVANNI BIANCHI, Rimini, 8.

Storia del Moſtro di due Corpi che nacque ſul Paveſe in Giugno 1748 riferita da GIAM BATTISTA BIANCHI, in Torino, 8 mai. c. f.

BIANCHI an hiſtorical and phyſical diſſertation on the caſe of *Catharina Vizzani*, London, 8.

Electricorum effectuum explicatio, quam ex principiis Newtonianis deduxit, nouisque experimentis ornauit ANDREAS BINA, Patauii, 8. c. figg.

HERMANNI BOERHAAVE opera omnia medica &c. accedit in noua hac editione auctoris vita et effigies, Venetiis, 4.

Eiusd. academical lectures on the practice of phyſick, Lond. 8, vol. 6.

Eiusd. Tractatio medico-practica de lue venerea, Lugd. Bat. 8.

Eiusd. *Abhandlung von Augenkrankheiten und derſelben Cur, überſetzt von* GABRIEL FRIEDRICH CLAUDER, *Nürnberg 8*, c. f.

Eiusd. *Anfangsgründe der Chymie, ins Deutſche überſetzt, Frankfurt und Leipzig, 8, 1-8 Stück.*

Diſſertation ſur les medicamens, qui affectent certaines parties du corps humain plûtot que d'autres, & quelle ſeroit la cauſe de cet effet; qui a rem-

porté le prix, par Mr. BOISSIER (*Franc. de Sauvages*), à Bourdeaux, 4 mai.

Partique generale de medecine par R. BROOKER, 12, voll. 2.

FRIDER. ERNEST. BRÜCKMANNI Epiſtolae itinerariae, XXV uſque L. incl. Centuriae tertiae, Guelpherb. 4. c. figg.

IOHN BURTON. Eſſay toward a new ſyſtem of midwifry with the deſcriptions and methods of relieving the diſorders of pregnant or lying in women and newborn infants, London, 8 mai. c. figg.

The britiſh phyſician by GEORGE AUGUSTINE CLARKE, London.

Del Bagni di Piſa trattato di ANTONIO COCCHI Magellano, Firenze, 4 mai.

The principles of action in Matter, the gravitation of Bodies and the motion of the Planets, explained from thoſe principles by CADWALLADER COLDEN, London, 4. c. figg.

Journal du voyage fait par ordre du Roi à l'Equateur ſervant d'introduction hiſtorique à la meſure des trois premiers degrés du Meridien par Mr. DE LA CONDAMINE, à Paris, 4 mai. voll. 2.

Meſure des trois premiers degrés du Meridien dans l'hemiſphere auſtral tirée des obſervations de Mrs. de l'Academie Royale des Sciences envoyés par le Roi ſous l'Equateur par Mr. DE LA CONDAMINE, à Paris, 4 mai.

Lettere fiſicho mediche dedicat. al Ill. Sign. Abbate GIVLIO FRANCHINI TAVIANI dall Dottor PIETRO CORNACHINI, Siena, 8.

Enumerationes foſſilium, quae in omnibus Galliae prouinciis reperiuntur, tentamina. Auctore A. I. D. DARGENVILLE, Pariſiis, 8.

ANT. LAVR. DERCVM Diſſ. de roſa. Reſp. *Philip. Joſeph. Valent. Dercum*, Wirceburg. 4.

IOAN.

IOAN. BAPT. DUBOIS quaeſtio medica: an colicis figulis venae ſectio? Reſp. *Paulus le Roy*, Paris, 4 mai.

IOH. PETER EBERHARD *Abhandlung von dem Urſprunge der Perle, worinnen deren Zeugung, Wachsthum und Beſchaffenheit erkläret, und eine Nachricht von verſchiedenen Perlenfiſchereyen gegeben wird, Halle, 8. m. K.*

Journal de M. P. ELVIUS qu'il à tenu de ſon voyage de Trollheattun en 1748, Stockh. 8.

Der über die 12 Monate des Jahres verſtändige Gartenmeiſter &c. anfangs in holländiſcher Sprache beſchrieben von P. V. ENGELN, *und überſetzt durch Herr* LE GENDRE, *Leipzig und Wolfenbüttel, 8.*

IO. PHIL. ERPEL *Nachricht von einer Frau, welche zugleich 5 Kinder und ein Mondkalb gehohren. Mit einer Vorrede Herrn* D. I. G. KRÜGERS, *Halle, 8.*

A new and complet ſyſtem of midwifry in four parts by BRUDENELL EXTON, London, 8 mai.

Appendice al trattato dell'uſo del Mercurio ſemper temerario in medicina in giuſtificazione di LORENZO GAETANO FABRI, Lucca, 4.

FAHRENHOLZ. Epiſtola gratulat. de praecipuis cauſis, cur morbi arthritici Goslariae incolis ſint tam familiares? Helmſtad.

IO. FANTONI commentariolum de quibusdam aquis medicatis, et hiſtorica diſſertatio de febribus miliariis, Auguſtae Taurinor. 8.

BENITO GERONIMO FEIIO expoſition of the uncertainties in the practice of phyſic, London, 8.

NICOL. FLAMELLI *chymiſche Werke, als 1) das güldene Kleinod der hieroglyphiſchen Figuren, 2) das Kleinod der* Philoſophiae, *3)* ſummarium philoſophicum etc. *Wien, 8.* c. figg.

FRID. PHIL. FLORINI oeconomus prudens, *oder groſſer Herren Standes und adlicher Hausvater, zweyter Theil, Nürnberg, fol. mit K. und rechtlichen Anmerkungen von* I. C. DONAUERN.

P. D.

P. D. PAULI FRISII disquisitio mathematica in causam physicam figurae et magnitudinis telluris nostrae, Mediolani, 4.

IO. HERM. FÜRSTENAU Diss. de medicamentorum viribus rite aestimandis. Resp. *Gabr. Riemer*, Rinteln, 4.

Eiusd. Diss. de scorbuto. Resp. *Io. Bened. Gerh. de Wischmann*, Rinteln, 4.

G. M. GATTENHOFF Diss. de paraphrenitidis ratione et curatione. Resp. *Io. Bez*, Heidelberg. 4.

MICHAEL GENORINI de sanguificatione theses, Pisis, 4.

Che la natura nell' ingeneramento de Mostri non sia ne attonita, ne disadatta: ne i Poeti gli finsero per calda ed alterata fantasia, ma per uso d' artefiçiose allegorie, Ragionamento di GIOCHIMO, Neapolis, 4.

Jemtlands oeconomissae beskrifning i akt tagen po en resa om sommar 1749. af. IO. OTTO HAGSTRÖM, Stockholm, 8.

MICHAEL CHRISTOPH HANOVS *erörterte Ursachen der meisten Versuche mit dem gläsernen Springkölbgen, Danzig*, 4.

DAVID HARTLEY Epistola ad virum Cl. MEAD varias lithontripticum *Io. Stephens* exhibendi methodos indicans, Bath. 8.

HENRIC. HASSEL Diss. om lands hus hollningars förbät trande i Finland. Resp. *Io. Welin*, Abo, 4. (ad Finlandiae historiam natural. et oeconom. pertinet).

CARL HERLEMANN *Reisen durch einige schwedische Provinzen &c. Leipzig, 8.* c. figg.

RODER. HESS. Diss. de vomitu grauidarum, Basil. 4.

CLAVDIVS CAROL. DE JEAN quaestio medica: an affectibus soporosis emeticum? Resp. *Mich. Chartier*, Paris, 4 mai.

CAROL.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED Pr. de intermissa funiculi umbilicalis post partum deligatione non absolute lethali, Ienae, 4.

GEORG WOLFG. KNORR Deliciae naturae selectae, *oder auserlesenes Naturaliencabinet, welches aus den 3 Reichen der Natur zeiget, was aufbehalten und gesammlet zu werden verdienet, Nürnb.* fol. reg. c. figg.

Nouveaux Essais de physique, par Mr. LE RATZ DE LANTHENEE, à Paris, 12.

NICOLO LEMMERY Dizionario delle Droghe, Venezia, fol. c. figg.

Teologia degl' Insetti overo dimonstrazione delle divine Perfezioni in tutto ciò che riguarda gl' insetti, del Sig. LESSER colle osservazioni del Signor LYONNET, tradotta dal Tedesco nel Francese ed ora dal Francese nell' Italiano, To. I, Venezia, 8.

Treatise on chalybeat waters by DIEDERICH WESSEL LINDEN, London, 8.

LOKE's Elements of Natural Philosophy to which is added some thoughts concerning reading and study for a Gentleman, Glasgow, 8.

Propylaeum Curiae Regnitianae subterraneae, celeberrimae Altorfensium Hygeae destinatum, d. XVII Martii 1751 in Albertino Fridericiano a curiae proceribus ciuibusque beneuole audiendum reclusum ab eiusdem Rectore, PAVL. DAN. LONGOLIO, Curiae, 4.

TIT. LVCRETIVS CARVS de rerum natura, edit. secunda cum SCIP. CAPICIO de principiis rerum et AONIO PALEARIO de immortalitate animorum, Patauii, 8.

PROSP. MARTIANI annotationum in coacas praenotiones synopsis, accurante R. SCHOMBERG, London.

Essais sur la construction et comparaison des thermometres sur la communication de la chaleur & sur

ſur les differens degrés de la chaleur des corps: traduit de l'anglois de Mr. le Dr. MARTINE dedié à l'Academie des belles lettres, ſciences & arts de Bourdeaux, par le traducteur, à Paris, 12. (*Idem liber quidem catalogo iam inſertus eſt, ſed haec eſt alia translatio*).

Medical precepts and cautions: translated from the latin of R. MEAD, by THO. STACK, London, 8.

CAROL. FRID. MENANDER Diſſ. Anmärkningar om aeng och okerskötſel i Oſterborn. Reſp. *Mathias Pazelius*, Abo, 4, (*ad hiſtoriam naturalem et oeconomicam Oſtrobothniae pertinet*).

FRANC. MERY Quaeſtio medica: an bubo venereus skirrhodes absque cauterio curandus? Reſp. *Claudius Ioſeph. Gentil*, Paris, 4 mai.

RVP. FRID. MOERIKOFER Diſſ. de rheumatiſmo, Baſil. 4.

Neue Unterſuchung des Erdbodens nach Anleitung der Spuren von Meerthieren und Meerpflanzen, die auf Bergen und in trockner Erde gefunden werden, angeſtellt von ANTON LAZZARI MORO, *aus dem Italiäniſchen überſetzt, Leipzig*, 8 mai. c. figg.

IOH. MÜNICKS Chirurgia, Venetiis, 4.

LA MURE Diſſ. ſiſtens conſpectum phyſiologicum. Reſp. *Ludou. Honorat. Soulier*, Montpellier, 4.

Eſſais de phyſique par P. VAN MUSSCHENBROECK, av. figg. voll. 2. nouvelle edition, à Leyde, 4.

Diſſertazioni chirurgiche D'ANGELO NANNONI; 1) della fiſtola lachrymale; 2) della cataratta; 3) de medicamentis exſiccantibus; 4) de medicamentis cauſticis; all Ill. Sign. ANTONIO COCCHI, Firenze, 8.

I. A. NOLLET *Vorleſungen über die Naturlehre, aus dem Franzöſiſchen überſetzt, dritter Theil, Erfurt, 8.*

FR. IOH. OBERKAMP Conſideratio anatomico-phyſiologica venae portae viſcerumque ſecretioni bilis

lis famulantium. Resp. *Leonh. Obermayer*, Heidelb. 4.

IOH. AUG. OEHMENS *medicinische* Fama *von der Schwindsucht, Scorbut, befleckten Venus &c. vierter Theil, Dresden, 8.*

Discorso medico chirurgico di ANDREA PASTA intorno al flusso di sangue del utero nelle donne gravide; aggiuntavi sopra gli sgravi sanguigni del parto & sopra il rattenimento e l'estrazione della secundina, Bergamo, 8 mai.

Riflessioni ful vitto Pitagorico di GIUSEPPE ANTONIO PUIATI, Feltre, 4.

De febribus ab chyli cruditate productis, opus JOSEPHI ROCCA, Feltriae, 4.

NICOL. ROSEN Diss. de variolis praecauendis. Resp. R. MARTIN, Vpsal. 4.

FREDERIC. RUYSCH's observations in surgery and midwifry translated from the latin by a physician, London.

Methodus foliorum seu plantae florae Monspelienfis iuxta foliorum ordinem, ad iuuandam specierum cognitionem, digestae. Auctore FR. B. DE SAUVAGES, à la Haye, 8.

Bibliotheca scriptorum historiae naturali omnium terrae regionum inservientium, historiae naturalis Heluetiae prodromus; accessit JACOB LE LONG de scriptoribus historiae naturalis Galliae. Collegit IOH. IACOB SCHEVCHZER, Tiguri, 8.

IOHANN MICHAEL SEELIGMANN *Sammlung verschiedener auslandischer und seltener Vögel, worinnen ein ieder derselben beschrieben und in einer richtigen illuminirten Abbildung vorgestellet wird, zweyter Theil, Nürnberg*, fol. regal. c. figg.

SAM. SEELMATTER de morbis circa Tobinium familiaribus, Basil. 4.

ANDREAS IOSEPH SERON Quaestio medica: an medicorum Parisiensium frequentes phlebotomiae iure

iure vel iniuria accuſantur. Reſp. *Io. Baptiſt. de Barjollet*, Paris, 4 mai.

ABEL. SOCIN Diſſ. de foetu hydropico, Baſil. 4.

AVG. HERM. SPORLEDER Diſſ. de polypo narium, Halae, 4.

G. E. STAHLII collegium caſuale, cum praefatione I. G. BVDAEI de utilitate medicinae caſualis. Edit. ſecunda, Dresdae. (*Titulus ſaltem eſt nouus, liber idem, qui Suidnitii 1734 prodiit*).

Lettera di CRISITEO STILITA Friulano ad un amico overo Rifleſſioni ſeconde in riſpoſta alla lettera di GERUNZIO MALADUCCI ſopra alcuni ſonniferi, 8.

IO. CHRIST. STOCKII Diſſ. de lue venerea. Reſp. *Wolffg. Mich. Becker*, Ienae, 4.

Eiusd. de uſu et abuſu venaeſectionis in febribus exanthematicis. Reſp. *Wolffg. Arn. Arends*, Ienae, 4.

CAIETANI TACCONI de non nullis cranii oſſiumque fracturis, eorumque coniunctione itemque de oſteocolla, de raris herniis quibusdam, de partu monſtroſo, naeuis et maculis, quae in foetibus imprimuntur, diſſertationes; quibus accedit alterius monſtri hiſtoria a Clariſſ. MATTHAEO BAZZANI deſcripta, Bononiae, 4. c. figg.

IOH. IAC. THURNEYSEN de cauſis haemorrhagiarum uteri in grauidis, Baſil. 4.

Scienza della natura del P. D. GIOV. MARIA DELLA TORRE, Tom. II, Neapol. 4.

A treatiſe on the diſeaſes moſt frequent in the Weſt Indies by RICHARD. TOWNE, Lond.

Relazioni d' alcuni viaggi fatte in diverſe parti della Toſcana &c. dal GIOV. TARGIONI TOZZETTI, To. I. II, Florenz, 8.

Kongl. Collegii medici Beraettelſe om ſidſta boskaps Siuektan i Oeſter Föthland, och Chriſtianſtads.

Lähn

Lähn i anledning af det, ſom ERLAND TURSEN, deroni i Collegio upgifwit, Stockholm.

DAVID VASSE Quaeſtio medica: an ulceribus pulmonum ſuffimigium a balſamicis? Reſp. *Petrus Abraham Paion de Moncets*, Paris, 4 mai.

Tableau de l'amour conjugal, conſideré dans l'état du mariage par VENETTE, nouvelle edition, 12. voll. 2.

Lettres de Mr. RAIMON DE VERMALE à Mr. DE CHICOYNEAU, ſur l'extraction de la cataracte hors de la chambre poſtérieure de l'oeil: nouvelle operation imaginée & perfectionnée par le célébre Mr. DAVIEL.

Anatomie du corps humain par Mr. DU VERNEY, à Paris, 12.

IOH. VOGELMANN Diſſ. de ictero. Reſp. *Ioh. Caſp. Trey*, Wirceburg.

IO. GOTTSCHALCK WALLERIVS Diſſ. de nexu chemiae cum utilitate rei publicae. Reſp. *Lorentz Hiortzberg*, Stockholm, 4.

Eiusd. Diſſ. de ſalibus alcalinis eorumque uſu medico. Reſp. *Iacob Hideen*, Vpſal. 4.

CAROL. WEINHART medicus officioſus, Patauii, 8.

PAVL. ZACCHIAE Quaeſtiones medico legales, Venet. fol.

Contenta in hac Parte:

1. Hiſt. & mem. de l'academie royale des Sciences de Paris, an. 1748. p. 577
2. Recueil ſur l'electricité medicale Tom. I & II. p. 629
3. SCHAEFFER *Kraft und Wirkung der Electricitæt in dem menſchlichen Kœrper* etc. p. 635
4. QVELMALZ Pr. de viribus electricis medicis p. 636
5. *Geſellſchaftliche Erzæhlungen* p. 638
6. *Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt, und Wiſſenſchaften 1 und 2 Theil* p. 642
7. ROEDERER elementa artis obſtetriciae p. 644
8. DE HALLER Iconum anatomicarum Faſciculus VI. p. 654
9. LVDWIGII Pr. de cortice dentium p. 662
10. HILL Eſſays in natural hiſtory and philoſophy etc. p. 664
11. HOLLMANNI Philoſophiae naturalis primae lineae p. 680
12. Primitiae phyſico medicae vol. I. II. III. p. 683
13. TRALLES Hiſtoria cholerae atrociſſimae p. 685
14. DARGENVILLE Enumerationis foſſilium Galliae tentamina p. 693
15. Commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Goettingenſis Tom. II. p. 694
16. Noua medico-phyſica p. 719
17. Supplementum alterum indicis ſcriptorum 1750 p. 734
18. Supplementum indicis ſcriptorum 1751. p. 739

INDEX.

INDEX.

A.

Abdominis hydropici detumeſcentia ſubito lethalis 402
Acer foliis oblongis cordatis, inaequaliter ſerratis 509
Acida mineralia putredini non reſiſtunt 407. Acidum uniuerſale ſoluens 429
Acontia fungus 126
Acta academiae naturae curioſorum, vol. IX. 32
Aecidium fungus 129
Aeris temperiei mediae definiendae modus 503. 504. effectus 525. humidi effectus 518. tranſitus in corp. human. 525. in eodem externi et interni uſus 220. in ſanguine latentis effectus morboſi 408. poſt aeris mutationem morbi varii 221. eius in noſocomiis correctio 580. 581. per fumaria ibid. atmoſphaerici condenſatio 503
Aethiopis mineralis praeparatio 58
Agaricus fungus 125. natura 272
Alcyonium planta marina 123
Alga planta ſubmarina 124. ſaccharifera 348
Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchaften, erſter und zweyter Theil 642
Allium umbellatum foliis fiſtuloſis compreſſis, radice reticulo obducta 706. 707
Aloes natura 271. bonitas ibid. uſus 272
Altorfini doctores et profeſſores medicinae 361
Alui euacuatio quo modo promouenda 532
Amauroſis electricitate curata 637
Amethyſtina plantae genus 15
Amoris deſcriptio 538
Amphetretia fungus 125
Anacampſerotis plantae uſus 98
Anatomes neceſſitas in medicina 294
Anatomicae icones 21
Andre, diſſertation ſur les maladies de l'urethre, qui ont beſoin de bougies 107
Angina acuta 618. 624. ſymptomata 618. cum haemorrhagia narium 625. infantum ſtrangulatoria et peſtilentialis 223. angina demortuorum diſſectio 618
Anglicanae ſocietatis inſtitutum 174
Animae deſcriptio 10. conſenſus intimus cum corpore 414. 415. ſedes ubi 416. in muſculos actio 464. 465. influxus in corpus a medico conſiderandus 291. Animae Hippocratis et Heracliti 9 ſeqq. animarum transmutatio 11. repraeſentatio ſub imagine papilionis ibid.
Animalculum in ſeminum ſtramonii infuſione viuens 669. animalculorum minimorum procreatio a fermentatione et putrefactione 444. ſpermaticorum formatio 164. ipſa negantur 256. in feminis viuiparis viſa 598 ſeq.
Animalium propagatio 295. declarata 441. 442. de hac et vegetabilium opinione

439. 440. analogia 443 ſeq. utraque quando creata ſint 441. Animalium nutritio ex vegetabilibus 527. in illis organicorum rudimentorum reparatio 447. illorum oſſa in terra reperta 489. partium incrementum 504. in has putredinis effectus 403 ſeq. eandem quid moderetur 406
Antimonii reguli ſtella 38. 39. ſulphuris aurati principia 478. virtus 67. 478.
Apodis piſciformis deſcriptio 350. 351
Apoplexiae obnoxia corpora 523. letiferae 618
Aquae vis ſoluens unde 428. ipſa plura ſalia ſimul ſoluit 430. ſale ſaturata volumine non augetur ibid. continet aerem 427. ignem ibid. euaporatio diuerſa 503. communis natura et mixtio 427. 430. eius potus utilitas 528
Arcyria fungus 127
Arena circa minorem Balearidum reperta 669
Argali, ouium genus 98
Arnicae infuſum 284
Arſenici diſquiſitio 582 ſeq.
Artemiſiae ſpecies 284
Arteriae irritabiles ſunt 326. earum ſenſus nullus 699. motus in toto corpore nullus obſeruatus 579. arteriae manus 659. 660 earum nexus 661. humeraria 657. iliacae externae ramificationes 21 ſeq. mammaria interna 655. radialis 658. ſcapularis 6.5. ſubclauia dextra ibid. thoracicae ramificationes 656. thyroidea 655. ulnaris 658
Arthritis excretione urinae cretaceae ſublata 195. vagae ſignum diagnoſticum certum 401
Arthriticorum dolorum ſedes 697
Artuum rigor 423
Asbeſti mons 500
Aſparagus copioſus creſcens 498
Aſteraea, planta marina 122
Aſteris ſpecies 285
Aſtragali ſpecies 707
Atmometrum deſcriptum 502
Atmoſphaera ſicca, tamen craſſa 521
Auenae morbus 215
Aues diſponendi methodus 410 ſeq. ipſarum genus rarum 498. 499. capitis motus facilis unde 613. roſtri motus 612. maxillae mobiles et earum conformatio 613
Aurantia marina, inſectorum nidus 674
Auri fulminantis natura et uſus 274

B.

Bacillorum cereorum uſus in in urethrae morbis 110
Baek, Abrah. archiater factus 719
Belemnitarum origo 237. electrinus ibid.
Berkley, Georg. obitus 369
Berolinenſis collegii medico chirurgici directores, doctores et demonſtratores 172
Berolini laboratorium chemicum exſtructum 721
Beſtiae marinae 509 ſeq.
Bilis atrae geneſis 116. corrupta, cholerae cauſa 686. 690
Bituminis tenacis nigri uſus 495

Black-

Blackwellſches Kræuterbuch erſtes Hundert 73. 74. eius emendatio 75. ſeq.
Blitoides caule erecto, floribus maſculinis caulem et ramos terminantibus 709
Boehmer, Philipp Adolph, Berolinenſis ſcientiarum academiae ſocius electus 179. eiusd. obſeruationes anatomicae circa uterum humanum 247
Bohadſch, Ioh. Baptiſt. profeſſor hiſtoriae naturalis 179
Boiſſier, diſſertation ſur les medicamens, qui affectent certaines parties du corps plutot que d'autres 167
Bourdelin, Ludouic. Claud. an tuſſi puerorum clangoſae, Coqueluche, emeſis 53
Boum pulſus naturalis 593. lues 592. eius ſymptomata 593. 595. in hac remedia adhibita 595. 596. progreſſus et ſtrages 594. ea extinctorum ſectio 593. illorum morbi contagium per corium non communicatur 608. exanthemata ibid. de his communicandis tentamina 609 ſeq.
Bouinae luis cauſae 47. obſerſeruationes ibid.
Braſſicae diuerſum incrementum 486
Brückmanni, Franciſc. Erneſti, vita et obitus 548. 549
Bryoniae virtus 273
Bryum muſcus 132
Budaei, Auguſt. mors 366
Buffon, Pariſienſis academiae, linguae gallicae perpoliendae conſtitutae, ſocius factus 548
Burdigalenſis academiae theſes propoſitae 178 724
Burggrauius, Ioh. Philipp. de aere, aquis et locis urbis Francofurtanae 158
Burgundiae ferri minerae variae 213. 214
Butini, Traité de la petite verole communiquée par l'inoculation 58
Byſſus muſcus 130

C.

Caeſarea ſectio feliciter inſtituta 474. 475
Calcis et gypſi differentia 231. viuae diuerſa praeparatio 205. eius ſal 206. experimenta chemica 204 ſeq. aqua in acido ventriculi remedium 406. acida 207
Caloris et frigoris experimenta 319
Camphorae exhalantes particulae viſibiles 479
Campylium planta marina 123
Cardui ſpecies 282
Carpobolum fungus 127
Caſſelani marmoris explicatio 705. 706
le Cat, ab academia Berolinenſi praemium accepit 545
Cataractae deſcriptio 453. genera 453. 454. extractio 453. huius operatio expoſita 456 ſeq. nouum inuentum 454. 455. ad eandem inſtrumenta neceſſaria deſcripta 455. inſtrumenta noua 353. 354. cataractae deprimendae alia methodus 357. in ea curanda capſulam inferne et poſtice ſecandi methodus 357. 358

Cedriae praeparatae examen chemicum 37. eius aquae praeparatio 36
Celluloſus contextus non eſt irritabilis 325
Centaurea calycibus membranaceis 283. ſquamis ouatis, uſus ibid.
Centaurii minoris natura 274
Ceparum in aere libero germinatio 506
Ceratoſpermum fungus 129
Cerae materia et origo 481
Cerebri motus alternus 698. actio et utilitas 470. 471. oſſefacti hiſtoria 472. 473. proceſſus mammillares 321. 322. ipſorum uſus ibid. non ſunt olfactus organon 321
Cerei americani maioris articulati fructus deſcriptio 48. cerei ſerpentis deſcriptio ibid.
Cerui pullus monſtroſus 201
Cheiritis corallii ſpecies 335
Chenopodium caule brachiato ramoſiſſimo floribus ſpinulis inſidentibus 710
Chevalier, Ioan. Damian. an per ſuffitum felicior et tutior, quam per inunctionem mercurialem morbi venerei curatio 57
Choccolatae uſus 529
Cholerae cauſae 686. 690. ſedes 691. ſigna et ſymptomata 686. 687. in illa vomitus acidi 689. febris 691. cura ibid. ad eam inſtituendam indicatio 687. variorum remediorum uſus 692. opii 688. tincturae martis 690. remedia ad tormina compeſcenda 687. balneum ibid. in hac non conuenit Chinae decoctum 691. vinum 688. 689. cholera grauis ibid.
Chriſtel, Godofr. de partu gemellorum coalitorum 28
Cirſii ſpecies 282. cirſium elatius polycephalum, foliis imis integris, ſuperioribus latis, profunde laciniatis 14. inerme, in lue venerea adhibitum 282
Cladonia muſcus 131
Clauaria fungus 128
Clethria fungus 127
Coffee potus uſus 529
Coitus maris et feminae 440
Colica pictonum 241 ſeq. eius cauſa maxima 242. ſymptomata 242. 243. cura 243. 244
Collema muſcus 130
Colocynthidis pulpae natura et uſus 272
Commentariorum horum vindiciae contra Heiſterum 135 ſeq.
Conceptio varia 28. eius diuiſio 250. ouaria 249. eius cauſae 250. ſigna 251. ſymptomata 249
Conchylia in montibus reperta 488. in his unde 693. petrefactorum ſedes 239. 240
Conferua muſcus 130
Coqueluche 54
Cor ſemicartilagineum 41. ſentit 699. irritabile eſt 328. 700. eius actio 332. motus 148. 149. idem a ſtimulo 19. 20. mirificus unde 414. a morte ſuperſtes unde 329. 330. cordis ab aorta anguſtata dilatati et vicinarum partium diſquiſitio anatomica 436. cum hac ſymptomata

mata coniuncta ibid. a corde magno incommoda 437. ab eius ventriculorum exinanitione mors subitanea 402
Corallia insectorum domicilia 123. 335. in mari immutata manent 335. corallii species descripta 334. 335
Corallina, planta vera 668. descriptio 667. insectorum domicilium 668. 669
Corallum 122
Corporis humani natura 167. principia 147. machina vegetans 288. eius sustentacula quid 40. horum usus ibid. exercitii necessitas 531. partium varietates 248. corporum motus causa 680
Costarum cartilaginum actio 604. cum his experimenta facta 603. 604
Creilingius, Io. Conr. obiit 179
Crorser, Ioh. Henric. obiit 368
Cucumeres Kalmuckienses 96
Culex organum auditus habet 265. niger 96
Cupri officina 500. fodinae Polewaienses 95
Cuticulae sensus nullus datur 697
Cutis non est irritabilis 700
Cyanus calycis plumulis reflexis, foliis pinnatis 13. foliis lingulatis subhirsutis 12. foliis glabris radicalibus integris et pinnatis, bracteis calycis siccis, splendentibus 14. foliis tomentosis petiolatis integris et pinnatis 13. foliis pinnatis, tomentosis, pinnis subrotundis flore heluulo ibid.
Cyathia fungus 127

D.

Dargenville, A. I. D. enumerationis fossilium, quae in omnibus Galliae prouinciis reperiuntur, tentamina 693
Dauci radicis succi praeparatio 71. eius usus ibid.
Dentium stamina 662. cum illis experimenta facta 662. 663. corticis genesis ibid. mutatio ibid. dentes rarae magnitudinis 348. hos fabri ferrarii euellunt 500
Diaphragma irritabile est 702
Dissoluentium classes 428. 429
Diuionensis scientiarum academiae thesis proposita 177
Diuresis a mercurio dato 103
Dolor partium unde 696
Dreyhaupt, Io. Christoph. a societate scientiarum Goettingensi praemium accepit 723
Duisburgenses doctores et professores medicinae 719
Dura mater non sentit 698. quorum morborum sedes non sit ibid.
Dyctyaria, fungus 126
Dysenteriae causae 639. 640. a putridis effluuiis 402. in illa remedium ibid.

E.

Eberhard, Ioann. Petr. philosophiae professor factus 547
Ebullitionis liquorum causae 585 seq.
Echo causa 681
Ehretia, plantae genus 50
Eisenberger, Nicol. Frid. variorum animalium imagines 85
Eisenmanni, Georg. Henric. uteri duplicis obseruatio 24

Elaterii ſuccus 273
Electricitatis effectus in animalia 596. 597. in corpus humanum 635. 636. in plantas 596. in aquam ibid. illa cur oculorum morbis medeatur 638. per eandem medicamenta applicanda 634. vires medicatae communicatae 629. 630. hemiplegia ipſa curata 637. loquela reſtituta 349
Electricorum corporum differentia 206. electrici fluidi varii colores 629. ictus ſucceſſiuus progreſſus 637. electrica materia in corpore electrico non augetur 65. 66. vis non in omnibus corporis humani partibus ſenſationem excitat 637. medetur rheumatiſmis 633. 637. doloribus podagricis 633. eius impedimenta 209. 210. electrici cylindri medicamentoſi 630. 634. ſcintillae plantarum 629
Embryo molae 711. ipſorum ſtructura 164. pectoris diſpoſitio 167
Emplaſtrorum ad variolas maturandas uſus 343
Encaelia fungus 127
Epilepſia infantum Argunenſium 100
Equorum lues 497
Erfordienſis academiae doctores et profeſſores medicinae 171
Ergot, morbus diriſſimus 619
Erinaceorum terreſtrium anatome 316. 317
Erythronii radicis uſus culinaris 491
Euphorbiae varietas 285
Exhalationum in noſocomiis noxa 580
Experimenta cum apparenter mortuis facta 422

F.

Faciei color mortis ſignum 423. figuris notata 126
Falconet, Camillus, an legitime vulnerum ſuppurationi promouendae cortex peruuianus 55
Febres irregulares cum doloribus 225. catarrhales malignae 622. ipſarum cura 623. epidemica putrida ibid. continuae putridae 216. eas curandi methodus ibid. nautica peſtilentialis 521. cura 522. ſudorifera 223. cura 225. inflammatoria mixta 399. meſenterica 524. a variolarum ſero acri retrogrediente orta 344. contra hanc remedia ibid. intermittentium tertianarum duplicatarum cura 216
Felleae veſicae duae 41, 42
Femoris articulatio praeternaturalis 35, 36
Fermentationem vegetabilium quid compeſcit et auget 405
Ferrariae officinae Siſertienſes 95
Ferrum Sibiriae 95. natiui notae 65. arte parati notae ibid.
Fibra muſcularis irritabilis 699. 701. 702. cellularis non irritabilis 701
Fibris corporis hum. muſcularibus vis innata 414

Fiſtula ani ſine ſectione curata 43
Florae regnum 80
Flores e fructibus nati 64. laxantes 274. in illis colorum cauſae 263
Florentina ſocietas agri hortique culturam docens 544. 545
Fodinarum exhalationum cauſa 233
Foecundationis ſeminum artificia immerſiua varia 416
Foetus in ſemine viſus 257. eius formatio 256. in ouo delineatio 442. negatur 256. in foetu ſecretionis et nutritionis ratio 446. 447. cur creſcere deſinat 443. eius membrana filamentoſa 650. in ouario reperti ſitus 250. tubarii corrupti hiſtoria 473 ſeq. diu in utero latentis ſigna 592. per triginta et unum annum in utero latentis hiſtoria 589. 590. inuolucra oſſea et cartilaginea 590. cur in utero indureſcat 591. in utero diu ſine corruptione retinetur ibid.
Foliorum in plantis ſuperficies ſuperior plus perſpirat, quam inferior 628
Fons medicatus in Hollandia detectus 722. fontes ſalini 94. 103. 490. 493. ipſorum indicia 501. ſulphurei 495. martialis 499. minerales Galliae vallis Baredgianae 211
Foſſilium diſquiſitio 119
Francofurtanae urbis ſitus 159. ager ibid. aquae ibid. aer 160. incolarum corpora 160. 161. morbi 162. 163
Frigoris cauſa 680. de eo et calore experimenta 319. magnum 98. 488
Frumenti grana bis germinantia 215
Fucus, planta marina 123
Fungorum ordines 124 ſq.

G.

Gallii radicis oſſa foetus tingendi vis 169
Gandiſapora perſarum academia medica 313 ſeq. eius noſocomium 315
Gangraena cortice chinae cohibita 579. eadem extremitatibus corruptis homines viuentes 619
Gaſtricus liquor digeſtionis cauſa 527
Gautier, obſeruationes ex hiſtoria naturali 255
Gemellorum coalitorum diuiſio 29. deſcriptio 31. cauſa 30. partus quomodo promouendus 31
Generatio 256
Genitalium partium natura irritabilis 702
Geodes origo 234
Geranium foliis quinquelobis ſerratis petiolis unifloris 19
Geſellſchaftliche Erzehlungen fur die Liebhaber der Naturlehre, der Haushaltungswiſſenſchaft, der Arzneykunſt und der Sitten I und II Theil 638
Geſneri, Conrad, ſtudium in rem herbariam 386. opera botanica 385. operum botanicorum fata & hiſtoria 386.

386. 387 seq. eiusdem obitus 386
Gesnerus, Joannes, diss. de petrificatorum differentiis et varia origine 251
Gianella, Carlo, Trattato di medicina preseruatiua 524
Glacies mariae 103
Glandularum sensus 699. supra renalium descriptio 310. in plantis differentiae 218. 226. 227
Gleditsch, Joh. Gottlieb, professor botanices Berolinensis factus 721
Gmelini, Joh. G. *Reise durch Sibirien I und II Theil* 93. *III und IV Theil* 485. Flora Sibirica 276. de rhabarbaro officinarum 450
Goettingensis societatis Scientiarum, conuentus publicus 723. praemium constitutum 363. thesis proposita et praemium constitutum 176. 177. 723. Commentariorum Tom. I. 3. II. 694
Granatorum genesis 239
Graptolithi quid. 252
Grashuis, Joh. de colica pictonum 241
Grauiditatis signa 653. 654
Grauidarum animi affectus in foetum agunt 480
Gulonis descriptio 495
Guttae Gummi usus 272
Gunther, Frid. Gottlob obiit 180
Gypsum artificiale 231

H.

Haemoptyseos curatio non timide instituenda 44. in hac adstringentium noxa ibid.
Haemorrhoidum caecarum dolorum leniendorum remedium externum 482
Hafniae hortus botanicus exstructus 173
Hafniensis uniuersitatis facultas medica 543. collegium medicum ibid. professores medicinae ibid. actorum medicorum renouatio 544
Hahn, Joh. Dauid professor factus 720
de Hahn, Joh. Gothofred. Morbilli variolarum vindices 301. obiit 548
Halenses doctores et professores medicinae 361. 362
Hales, Stephan, academiae scientiarum Parisiensis membrum extraordinarium 366
Halleri, Alberti, Iconum anatomicarum fasciculus V. 21. VI. 654. Bernam vocatus 546
Hamburgisches Magazin VIII. Band 61. *IX. Band* 473
Hannouerae theatrum anatomicum erigendum 722
Hay animal 264
Hebenstreit, Ioh. Ernst, anthropologia forensis, editio altera 418. de homine sano et aegroto carmen 533
Heerkens, Ger. Nicol. de officio medici poema 539
Heisteri, Laurent. progr. quo iniquum Lipsiensium iudicium de noua institutionum, chirurgicarum editione refundit 134
Hellebori nigri extractum 274
Helleborine bifolia, radice bulbosa, cucullo sparso 17

Hemiplegia electricitate curata 637
Hepatis ligamenti ſuſpenſorii nexus 42
Hepatitidis in icterum exitus 624
Hermaphroditi an dentur 5. veri non dantur 262. illorum claſſes 6. ſigna 7. 8. obſeruatio 257. 258. anatome 262
Herniae inguinalis incarceratae ſectio 33. in umbilicali remedium 642
Hieracii ſpecies 281. 282
Hieracioides 18
Hilchen, Ludou. Henr. Leo. 724
Hill, John, Hiſtory of plants 118. Eſſays in natural hiſtory and philoſophy containing a ſeries of diſcoveries by the aſſiſtance of microſcopes 664
Hiſtoire de l'academie royale des ſciences & belles lettres a Berlin année 1750. 426 ſq.
Hiſtoire de l'academie royale des ſciences a Paris, année 1747. 193. année 1748 577 ſq.
Hoepken collegii medici Holmienſis praeſes conſtitutus 173
Hollmanni, Samuel Chriſt, philoſophiae naturalis primae lineae 680
Horaeorum fructuum uſus morbi putridi cauſa 399
Horror poſt paſtum unde 469
Hortus nitidiſſimus florum 79. 80
de Hugo, Aug. Ludou. obiit 369
Huxham, Ioannes, obſeruationes de aere et morbis epidemicis Plymuthi factae 517
Hyetometri deſcriptio 320
Hyoſcyami uſus culinaris et medicus 487
Hypericum pulchrum Tragi 19
Hypochondriacorum ſymptomata explicata 70

I.

Iacobi, Frider. Gottlob, vita et obitus 549. 550
Ianke, Ioann. Godofr. profeſſor medicinae extraordinarius factus 547
Ignauus, animal 264
Infantes varii coloris ab una matre editi 346. bicipitis anatome. 579. in recens nato pectoris diſpoſitio 467
Inſecta in aqua pluuia putreſcente reperta 677. illorum in plantis generatio 504. facilis necandi modus 63. inſectum in lilii aquatici foliis habitans 678. plantae marinae gelatinae inhaerens 677 cimici aurantiorum ſimilis hiſtoria 665. 666
Inſenſilis animalium pars 695
Inteſtina irritabilia ſunt 702. 327. recti tunica villoſa per anum excreta 715
Intybum nouum plantarum genus 18
Ipecacuanhae radicis natura et uſus 275
Irae deſcriptio 538
Irritabilitas corporis partium quid 324. eius ſedes et cauſa 703. eandem quaenam partes habeant 325. 327. fibrae

fibrae muſcularis 325. arteriarum dubia 701. venarum dubia ibid. perioſtii nulla 325. tendinum nulla ibid. vaſorum aliqualis 701. in animalium partibus a morte ſuperſtes 329. 330. neque ab anima neque a voluntate pendet 700
Irritabiles corporis hum. partes 695. quaenam ſint 700 ſq. irritabilia ſunt inteſtina 700. 702. 327. muſculi 702. cor 700. oeſophagus ibid. ventriculus ibid. diaphragma 702 fibra muſcularis 699. 701 uterus 651. partes genitales 702. non irritabiles ſunt cutis 700. membranae 325. fibra cellularis 701. neruus 699
Iſaria fungus 129
de Juſſieu, Ant. an in cataracta potior lentis cryſtallinae extractio per inciſionem in cornea, quam depreſſio per acum 352

K.

Knorr, Georg. Wolffg. lapides diluuii uniuerſalis teſtes coloribus expreſſi 92. eiusdem deliciae naturae ſelectae ibid.
Koenig, Emanuel, obiit 179
Krakatizae hiſtoria naturalis 40
Kriebelkranckheit 620

L.

Languedociae hiſtoria naturalis 232 ſq. fontes minerales 235
Lapathi orientalis deſcriptio 313
Lapidis bezoardici de Goa virtutes 596. gypſei natura 238. calcarei et gypſei differentia 230. examen chemicum 229. lapidum cochleatorum deſcriptio 477. pretioſorum colores 259. 260. illorum et gemmarum phoſphoreſcentia 43. cum illis experimenta chemica facta 434. poſt calcinationem lucentium disquiſitio chemica ibid. eorum artificialis formatio 435. pretioſi igne mutati 194. magneticus 499. philoſophorum eſt impoſſibilis 289. 290
Laryngis pituita 317. huius ſedes 318. analyſis chemica ibid. in illius inflammatione remedia 520
Leo marinus 515
Leontodon rara plantae ſpecies 281
Leotia fungus 126
Lerchiae ſpecies 19
Lepiota fungus 126
Lichenoides pulmoneum reticulatum ad cereuiſiam condiendam adhibetur 493
Ligamentorum ciliarium deſcriptio 459. 460. uſus ibid. articulationum vulnera facile ſaneſcunt 697
Limacis anatome 260. nutritio 261. ſexus 266
Lithantraces 106
Longaeuitatis auxilium 288
Loquela recuperata per electricitatem 349
Louis, lettres ſur la certitude des ſignes de la mort 420
Lucius piſcis 578

Ludwig, Christ. Gottlieb, institutiones physiologiae 141. academiae scientiarum Berolinensis socius factus 547. de cortice dentium 662
Ludolf, Hieronym. archiater Moguntinus nominatus 546
Lundinenses doctores & professores medicinae 362
Lupuli descriptio 72
Lutrae descriptio 515. 516
Lycoperdon fungus 127

M.

Macclesfield, anglicanae societatis praeses 174
Madrepora, planta marina 122
Magnesiae albae natura 273
de Magny, Guilielm. an a vasorum aucta et imminuta irritabilitate omnis morbus 331
Mamma cancrosa sub axillaribus tumoribus amputata 715
Manati descriptio 510. 511. structura interna 512
Mangold, Christoph. Andr. academiae Montepessulanae socius factus 548
Martine, dissertations sur la chaleur et sur la construction et la comparaison des thermometres 52
Martis tincturae in cholera usus 690
Martyn, Joannes, historia plantarum rariorum 81
Mataliſta radix 273
Matris durae propagatio ad corporis partes 463. ab hac partium corporis humani consensus 463. 464. eadem non sentit 698. quorum morborum sedes non sit 698
de Maupertuis, lettres 286
Meckelii, Ioh. Frid. munera noua 365
Medicamentum quid 267. 268. partes varie ibid. virtus ibid. vis varia 269. effectus varius 268. medicamentorum disquisitio 269. classes 268. actio 167 seq. 269. purgantium actio 270. per electricitatem applicanda 634
Medicatae vires per electricitatem communicatae 629. 630
Medicinae definitio 142. tabula synoptica 143. incrementum 536. hoc negatur 290. illam amplificandi methodus per experimenta 298. 299. 300
Medicus mature consulendus 540. empiricus rationalis 292. medicorum ignorantia in morbis curandis 291. officium 540. 541. 542
Melancholiae ab atra bile curatio 117
Melancholici morbi historia 113. 114
Membranae corporis non sunt irritabiles 325
Membranosarum partium fibrae 153
Membrorum flexilitas mortis signum 423 424
Mentis impetuosa proprietas 414. eius morbi ab atra bile 115. 116
Merisma fungus 128
Mercurialis inunctionis methodus 57. suffitus usus 57. 58
Mercurii in barometris diuersis diuersa altitudo 19

Me-

Metallicae officinae 96. 97. Argunenſis 99. Catharinenburgenſis 94
Metallifodinae 487. 490
Metalla non ebulliunt 588. ipſorum phlogiſton 322. tinctura ibid. eadem unde 323. mixtorum denſitas 319. 320. illorum et ſemimetallorum denſitas 312
Meyer, Joh. Dan. *Vorſtellung allerhand Thiere mit ihren Gerippen* 83
Minerarum in terra ſitus 490. eae ad irritabilitatem ineptae 331
Miſum braſſicae ſuccus inſpiſſatus 486
Moehringii, Paul. Henric. Gerard, avium genera 409
Mola quid 711. eius embryo difficile cognoſcendus 714. in humana cur embryo nullus detegatur 712. caninarum deſcriptio 713
Moldauica foliis cordato triangularibus ſerratis 708
Monelia fungus 129
Montanus, Joann. Sigism. ad lectiones in collegio medico chirurgico Dresdenſi habendas conſtitutus 547
Montes magnetici 499. columnas repraeſentantes 104. ex lapide fiſſili aluminoſo concreti 493. igniuomus 97. iaſpidis 101
Monſtri ſingularis deſcriptio 41
Morand, Saluator, munera 365
Morbillorum deſcriptio 301. euolutio 302, 303. benignorum ſtatus 303. ſymptomata 302. malignorum ſtatus 305
Morborum obſeruationes 222. caſtrenſium differentiae 397. frequentia 399. cauſae 397 ſeq. cura ibid. inflammatoriorum cura 400. morbi ab atra bile 116. catarrhalium natura ſingularis 222. epidemicorum cauſa 621. medendi methodus in Sibiria 101, 102. morbus niger Hippocratis 116. ex ſecali cornuto ortus 619, 620. contagioſus 496. ſingularis mutatio 623. putridi cauſa fructuum horaeorum uſus 399
Mortis ſigna 420, 421
Mortuorum ſepultura in templis noxia 425. erga illos veterum cura 422
Motus principium in animalibus ubi 326. motus muſculorum cauſa 327
Muci naturalis deterſio morbos parit 242
Mucor in infuſione plantae creſcens 670, 671
Muli cur non gignant 444
Mus alpinus 105. marſupialis 264
Muſcorum ordines 130 ſeq. ſingularis deſcriptio 675, 676
Muſcularium fibrarum in canalibus antagoniſmus nullus 154. in pectore diſcrepans directio 507. 508
Muſculorum relaxatio 462. dilatatio ibid. motus declaratus 462, 463. ab imaginatione 466. rectorum inſertio in pectore praeternaturalis 506, 507. ſphincterum ſtatus diſtincti 462. ſine dolore agunt 463. muſculi deſcriptio ibid. elaſticitas 464.

reductio quid 465. in pectore novus 507
Mutinensis ducis institutum 364
Mycedium, planta marina 122
Mylius, Christlob. Societatis scientiarum Goettingensis correspondens factus 178

N.

Nasturtii seminum in aqua vegetatio 484
Nautilus fossilis 347
Neruei fluidi natura 631. secretio 151. motus 152. electricitas 631, 632. ab hac sensationes dependent 632. Neruearum fibrarum tremor 152
Neruorum distributio 151. fines 153. actio et utilitas 470, 471. 701. irritabilitas 326. membranae non sunt sensus organon 699. olfactoriorum in animalibus et hominibus differentia 320. Nerui sensibiles sunt 699. sed non irritabiles ibid. motuum differentia 153
Nicholls, Francisc. Archiater factus 366
Nicolai, Ernst. Ant. Systema materiae medicae ad praxin applicatae 267
Nitrariae plantae descriptio 286
Nollet, Parisiis physicae experimentalis docendae munus accepit 545
Nutrimentum corporis indolem mutat 526
Nutritionis ratio 150, 151
Nutrix infantum qualis eligenda 526

O.

Obseruationes anatomicae 34, 35. botanicae ex horto et agro Goettingensi 12 seq. botanico meteorologicae 214. meteorologicae 308. has instituendi ratio 519. Canadenses 217. morborum 222
Obseruations sur l'histoire naturelle sur la physique et sur la peinture 254
Obstetriciorum forcipum differentiae 46, 47
Oculi et camerae obscurae comparatio 69. 476. pupilla 309. tunicae choroideae usus 472. iridis descriptio 309. varia mutatio 309, 310. retinae usus 472. lentem opacam per incisam corneam educendi methodus 353. huius utilitas 354, 355. periculum 357. oculi flaccidi mortis signum. 424
Odontia, fungus 125
Oeconomisch-Physicalische Abhandlungen IIIter Theil 71
Oedema pedum a lochiis suppressis 714
Oleum templinum 38
Omul piscis 102
Onagra folio leui flore carneo 19
Opassum animal 264
Ophthalmia infantum 216. in ea sanguisugarum applicatio et vsus 400
Opii actio 530. usus in cholera 688
Ormus Hillii 122
Ossium sensus non datur 697. fossilia ex quibus animalibus 705. in terra margacea inuenta 703, 704. in eam unde delata 705. in illorum carie

rie foetoris cauſa 408. Os coccygis in partu naturali non cedit 647
Ouarii, in quo conceptio facta eſt, ſectio anatomica 249
Ouium degeneratio 492
Ouorum et ſeminum differentia 505
Ouuli cum utero nexus 649

P.

Paralyſis poſt venaeſectionem in febre continua 625
Pariſienſis chirurgorum academiae theſes propoſitae et praemia conſtituta 178
Parſons, James, Philoſophical obſeruations on the Analogy between the propagation of animals and that of vegetables 438
Partus naturalis 29. praeternaturalis difficilis ibid. ex ſarcomate 45. iam editi ſigna 653
de Payua, Gaſpar. Rodrigues, de affectu atrabilario, mirachiali 113
Pectoris morbi ſingulares 622
Peloria 710
Peluis femineae axis 645. aperturae 646. oſſa in partu naturali non ſecedunt 646. 647
Perceptionis modus 287
Perioſteum non eſt irritabile 325. non ſentit 697
Peripneumoniae ſigna mala 523. illa poſt morbillos orta unde 520. in ea quando vena ſecanda 522
Peruuiani corticis uſus in vulnerum ſuppuratione 56
Perſpirario, quomodo fiat 470. in illa imminuta auxilia 526. plantarum diuerſa 627. de eadem inſenſibili experimenta 626, 627
Peterſen, Heinric. Friedr. aulae danicae medicus factus 722
Petrefactorum animalium et vegetabilium ſedes 239
Petrificationis cauſa 236. 239
Petrificatorum origo 252. differentia ibid. claſſes 253
Petropolitanae academiae ſcientiarum imperialis commentarii Tom. XIII. XIV. 307. noui commentarii Tom. II. 501
de la Peyronie. Franciſc. elogium 197 ſeq.
Phlomis foliis cordiformibus, galea lacera 15
Phocae, animalis dentes reperti 489
Phoſphoreſcentia lapidum et gemmarum 43
Phrenitidi pediluuium 400
Phthiſis ex aere humido orta 519. in pulmonali venaeſectio quando inſtituenda 401
Phyllona muſcus 130
Phyſarum fungus 129
Phyſiologiae diuiſio 145, 146
Pilorum humanorum ſedes 715. radix 717. cortex ibid. corpus ibid. fiſtulae ibid. robur 718. craſſities, nodi ſuperficies ibid. medulla, filamenta 717. color 718
Pini foliis quinis fructuum uſus 500
Piſcis carpioni ſimilis 194
Placentae caninae deſcriptio 713
Placodium muſcus 131
Plantarum hiſtoria 118 ſeq. genera varia correcta 279, 280. ex glandulis conſtituta 615. ex his methodus perficien-

cienda 197. numerus 120. vegetatio varia 504: eius cauſae 416. in ſemine delineatio 442, 443. incrementi ſpecies 505. diuerſum incrementum 446. partium incrementum, 607. ubinam optimum 491, 492. ſuccus nutritius varius 505. eorum ſecretio 446. aqua nutrimentum 505 in illa creſcunt 605. easdem partes exhibent ac illae in terra natae 606. ſemina creſcunt in muſco 607. in ſpongia ibid. parum in ſolutionibus ſalinis 606. Plantae in ſole plus perſpirant 627. in umbra minus 627, 628. ſuccolentae pariter minus ibid. de ipſarum perſpiratione inſenſibili experimenta 626, 627. liquor perſpirans qualis 628. infuſiones animalcula producunt 670. vires animales 505 ſcintillae electricae, 629. plantae ſelectae 49, 50, 51. minuta deſcripta 679. marinae deſcriptio 673, 674. 678. marinarum ordines 122 ſeq. rariorum hiſtoria 81, 82. cadaueroſa 675
Platyſma muſcus 131
Pleuritis vera ſine ſanguinis ſputo 622. eius dolor unde 699
Pleuroperipneumonia quando venaeſectionem poſtulat 523
Polyporum anima 449. propagatio declarata 448, 449. ipſorum & ſalicis propagatio ibid.
Poria fungus 125
Porium fungus 126
Pouſſe, Franciſc. utrum in deprimenda cataracta ipſius capſula inferne et poſtice ſit primum ſecanda 357
Primitiae phyſico medicae ab iis, qui in Polonia et extra eam medicinam faciunt, collectae. Vol. I. II. III. 683
Pringle, Joh. Obſeruations on the diſeaſes of the Army in camp and garriſon 393. idem nummum memorialem reportauit 363
Pſittaci vita longa 196
Pulmonum venae arteriis cur anguſtiores 437, 438. morbi per puſtulas in pectore leuati 520. glandulae durae ibid.
Pulſus celeritas in homine electrico 632. 635
Punch, potus genus 106
Purgatio aluina 270
Purgantium agendi modus in inteſtinis 328. draſtica cholerae cauſa 690
Putredo corporum mortis ſignum 424. ipſi reſiſtit ſaccharum 403 ſalia non 407. eam terrea accelerant 403
Putrefactionem animalium quid moderetur 406
Pyxidium muſcus 131
Pyxis magnetica 489

Q.

Quas, potus genus 94
Quelmalz, Sam. Theod. de viribus electricis medicis 636
Quercus per octo annos in aqua creſcens 606

R.

Radicum medicinalium vſus culinaris 106

Ranarum hiſtoria naturalis 85 ſeqq. arborea 89, 90. huius coitus 90, 91. terreſtris fuſcae mutatio 88. huius incrementum et vita, ibid. ſexus 86, 87. generatio ibid. coitus ibid.
Raphani ruſticani radicis vſus 482
Recueil ſur l'Electricité medicale, &c. 629
Regiomontani doctores et profeſſores medicinae 719
Regionum calidarum et frigidarum incolae quales 526
Reſpirationis mechaniſmus explicatur 468. ab eadem iuuatur ſanguinis motus ibid. ſeq.
Rhabarbari natura 271. locus natalis varius 450. conſeruatio 451. analyſis chemica 452. bonitas 271. optimi deſcriptio et characteres 451, 452. moſcouiticum optimum ibid. apud nos cultum 452. eius vſus in cholera 688, 689
Rhamnus non ſpinoſus, foliis glabris crenatis 710
Rhaponticum foliis pinnatis, pinnis ſerratis, ſquamis calycis rotundis, 14. calycis ſpinulis mollibus longiſſimis 13
Rheumatiſmo inflammatorio ſanguiſugae conueniunt 401
Ribe, Ewaldus, obiit 179
Richmanni fatalis obitus 725. ipſius cadaueris diſſectio 726.
Riedel, Joh. Chriſtoph. phyſicus Erfordiae factus 546
Roederer, Joh Georg. Elementa artis obſtetriciae 644
Roeſelii A. J. Hiſtoria naturalis ranarum 85

S.

Saccharum putredini reſiſtit 403
Saiga, animal quadrupes 96
Sal putredinem non coercet 403 natiuum plantarum 348. neutrum arſenicale, 583, 584. arſenico ammoniacale 585. acidum quo modo in aqua producatur 416 huius cum arſenico adfinitas 583. anglici natura 273. ſalia refrigerant aquam 429, 430. ad eorum ſolutionem aquae proportio 430. ipſorum fontes 486
Salicis et polyporum propagatio analoga 448. ſalicum roſae fictae 34
Salini fontes 103, 104. lacus 95, 96. 101. eorum mutatio 499
Saliuationis mercurialis noxa 57
Saliuae vſus 404
Saluia caule nudo, ſpica florente pendula 15
Sanguinis origo in ouo 469. mutatio 148. calor 469. hic non ab attritu 470. an a martialibus particulis? ibid. huius in illo effectus ibid. color vnde 469. motus a cordis actione muſculoſa 466, 467. ſputum epidemicum 622. profluuium per infantis recens nati vmbilicum 336. vnde? ibid. contra hoc remedium 337, 339. in paraphrenitide miſſus, tenax 522. cum putrefacto experimenta 406, 407

Sanitas quid? 525. eius signa 154, 155
Sapo ex butyro confectus 498. in terra ortus 641
Sarcoma vtero adhaerens 715
Sauvages, Franc. ab academia Burdigalensi accepit praemium 724
Scabiosa capitulo nudo, globoso, foliis glabris, pinnatis, solidis 19
Scammonei effectus 272
Schaeffer, Iac. Christ. apus pisciformis, insecti aquatici species nouiter detecta et descripta 350
Schaeffer, Joh. Gottlieb, die Kraft und Würkungen der Electricitaet in dem menschlichen Koerper und dessen Kranckheiten, cet. 635
Schisti origo 233, 234. cupri contenta 483. Mansfeldensis argentum volatile 61, 62
Schmidt, Ernst. Gottlob, collegii anatomico-chirurgici Brunsuicensis membrum factus 547
Schomberg, R. aphorismi practici 359
Schraubenstein describitur. 471
Scillae radicis praeparandae methodus 275. indoles et virtus 276
Scindalma fungus 125
Scorbuti symptomata 104, 105
Scorodoniae cum betonica conuenientia 708
Scorzonerae species 281
Scriptorum physico-medicorum index anni 1752. 180. 370. 551. supplementum anni 1750. 734. anni 1751. 739
Secale cornutum morborum caussa 619, 620
Secretionis humorum ratio 149, 150
Seligmann, Joh. Michael, Sammlung auslaendischer Voegel 84
Semen maris duplex 257. de illo in feminis experimenta 597 sq. semina foecundandi modus 672. eorum et ouorum differentia 505. immersio in aqua 417. in spiritu, ibid. in lixiuio nitroso, ibid. in alcalino ibid. in mixtura saponacea ibid. nitroso pingui ibid. maceratio alcalino-oleosa optima 418. eadem crescere cur desinant? 443
Seminalis aura patris mutat colorem ouuli matris 443
Senectutis caussa 332
Senis decrepiti imago 536, 537
Sennae foliorum sapor nauseosus correctus 272
Sensationis initium 153
Sensibilitas corporis partium quid? 324. eius disquisitio 696 sqq. in quibusnam partibus deprehendatur? ibid. in quibus partibus non? ibid.
Sensiles partes corporis humani 695. animalium ibid.
Sensus datur in cute 696. in carne musculosa, ibid. nullus in tendinibus ibid. in ligamentis articulationum 697. in cuticula ibid. in periosteo ibid. in ossibus ibid. in visceribus 699 non a neruis 472. Sensuum integritas vnde? 327
Septica cum opio combinanda 482

Seuberlich, Gunth Frider. anatomicus Francohusae constitutus 364
Sidren, Jonas, societatis scientiarum Gottingensis correspondens factus 179
Sigwart, Georg. Frid. nouum problema chirurgicum de extractione cataractae ultra perficienda 453. medicinae professor Tubingensis factus 720
Simson, Thom. an inquiry how far the vital and animal actions of the more perfect animals can be accounted for independent of the brain 461
Sloane, Io. vita, fata, obitus 367. 727 sqq. eiusdem rerum naturalium thesaurus 368. historia 727
Solenia fungus 126
Solidaginis species 284
Somni causa 530
Sonchus foliis lanceolatis sessilibus etc. 281
Spongia 123
Sproegel, Joh. Adrian. Theodor. professor anatomiae Berolinensis factus 721
Stalacticum concretum repertum 493. eius examen chemicum 493. 494
Stereum fungus 125
Stranguriae causa 110. singularis curatio 246
Strongylium, planta marina 123
Strumae maiores 103
Submersorum pulmones aqua intrat 425
Sudor a piscium usu mutatus 522
Suffusioni medendi ratio singularis 353
Superfoetatio possibilis 27. eadem quando fiat? 28. eius differentia et locus 26. historia curiosa 27. 28. in utero simplici cur nulla? 26
Suturae in puellae ossibus cranii deletae 715
Swieten, Gerhard. rei philosophicae et medicae in academia Vindebonensi praeses constitutus 173

T.

Tabes a diarrhoea diuturna 519
Tabidorum tussis varia quo modo leuanda 401
Talpae historia naturalis 266 anatome 259
Tarasum, cereuisiae genus 485
Tartarorum facies 491
Telae in aere volantes 66
Temperamentum quid? 135. ipsorum differentia ibid.
Tendines irritabilitate carent 325. 696. ipsorum vulnera natura sanantur 697
Terra quo modo in aqua producatur 416. pinguis 641. mollis ibidem, macrae praestantia 68. bonae signa 640. ipsius mutationis causae 240. 241. eius loca deserta, quae fumant 97
Terrea putredinem accelerant 403
Testiculorum structura 165. situs in abdomine 6, femininorum liquor 598. 599. globulis constans 599. 600. in testiculis animalium corpora glandulosa inuenta ibid.

Teſtudinis aures 265
Teucrium foliis cordatis, petiolatis, ſpicis oblongis denſiſſimis 708
Tigridis urinae natura ſingularis 169
Toloſenſis ſocietatis problema propoſitum 177
Tomar urbs, in qua academia ſcientiarum condita 174
Tophi mineralis geneſis 235
Tralles, Balthaſar Ludouic. hiſtoria cholerae atrociſſimae, quam ſuſtinuit ipſe, cet. 685
Tranſpiratio electricitate aucta 209
Trew, Chriſt. Iac. plantæ ſelectæ 49. botanicorum librorum catalogi 78. *vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kraeuterbuch* 73. 74. hortus nitidiſſimus florum 79
Triclis pentaſtemon foliis verticillatis 709
Trigonella, plantae genus 16
Tochiſci alhandal 272
Tſchigitai, animalium ſpecies 101
Tubingenſis academiae laboratorium chemicum exſtructum 174
Tuſſilaginis ſpecies 284
Tuſſis humidae catarrhoſae medela 520. a catarrho ad pulmones tranſgreſſo orta 519. infantum conuulſiua 523. clangoſa 54. huius cauſſae ibid. ſymptomata ibid. cura 55
Typolithi quid? 252

V.

Valerianella tetraſtemon, ſemine foliolo innato 14
Vaporum in corpus humanum influxus 580
Variolarum cauſa 59. 60. febris triplex 342. 343. inſitio 59. huius uſus ibid. bis homines inuadentes 722. ſenum 307. Tartarorum 98. in iisdem ſaliuatio 521. in gangraenoſis remedia, 522. contra urinae difficultatem remedium 345. in earum catarrho ſuffocatiuo adhibenda remedia 345. per contactum excitandae 339. 340. unum tantum urbis locum occupantes 618. 619. ipſarum et morbillorum noui ſyſtematis utilitas 306
Vaſorum corporis humani terminus 153. irritabilitas 332. 333. lymphaticorum in morbillis euolutio 304. lactea aliquam irritabilitatem habent 701. chemicorum fuſoriorum praeparatio 431. 432. haec ex lapidibus variis 433. ad eandem materiae aptae 431. ipſorum poroſitas quo modo corrigenda 432. ad eadem conficienda adhibendarum terrarum examen ibid.
Vegetabilia quando creata 441. ipſorum et animalium analogia 443 ſqq. organicorum rudimentorum genera 444. 445. propagatio declarata 441. 442. irritabilitas 331. fermentationem quid compeſcat 405
Vegetationis plantarum cauſae 416
Venae umbilicalis tractus 42. pulmonum arteriis cur anguſtiores 437. 438. irrita-

biles ſunt 326. earum pulſus periſtalticus ibid.
Venae ſectio quando inſtituenda 526
Venerea lues Argunenſium 100. Irkutzkienſis 103. eius cura 95. virus per contactum non communicatur 342
Ventriculus eſt irritabilis 327. 700
Ventuti, Marſiglius, Berolinenſis academiae ſcientiarum ſocius factus 179
Vermes cucurbitini per aquam in corpus introducti 66
Vindebonenſis uniuerſitatis doctores et profeſſores medicinae 543
Vinum recens 528. vetuſtum ibid. eius uſus ibid. noxa in cholera 688. 689. in infantibus 528. eius dein ſpiritum parandi methodus 97. praeparatio ſingularis 485. 486. ab huius potu flamma ex ore prorumpens 491
Viperae morſui remedium 195
Virginitatis ſigna 652
Viſcerum quorum ſenſus nullus? 699 quorum nulla irritabilitas? 325. quae habent irritabilitatem 327
Vita quid? 331. 332. ſuperſtitis ſignum 423
Vlua muſcus 130
Vmbilicalis funiculus craſſus 651. ſanguineus ibid.
Vomitus quid? 274. eius cauſae 275. cruentus 625
Vredo arborum morbus 672
Vrethrae carunculae 107. 108. ulcera 109
Vrinae excretio mucoſa 196. ſedimentum cretaceum 195. ex umbilico profluuium 346
Vrſi marini deſcriptio 513. ſtructura interna 514
Vſnea muſcus 131
Vteri ſitus 648. ſubſtantia fibroſa ibid. vagina anguſta 578. eius vaginae orificia duo 24. irritabilitas 651. 652. duplex numero 14. virginei orificia 648. grauidi craſſities 650. orificium 649. ſcirrhoſus magnae molis 578. eius cauſa ibid. ſarcomatis obſeruatio 44 ſqq. ſymptomata 45 ex eodem partus difficilis ibid. ipſius in vacca teſticuli 601

W.

Wallerius, Ioh. Gottſch. de artificioſa foecundatione immerſiua ſeminum vegetabilium 426
Willugbeyus, ſocietatis anglicanae praeſes ſecundus 362
Wirceburgenſis academiae profeſſores et doctores medicinae 171. 172
Woertmann, Iac. Gisbert, de proxima ſede, quam anima in corpore humano occupat 414
Woloſſez, abſceſſus dictus 100

X.

Xylaria fungus 128

Z.

Zimmermann, Io. Georg. de irritabilitate 323
Zinn, Ioh. Godofr. academiae Berolinenſis ſcientiarum ſocius electus 179. profeſſor medicinae factus ibid. medicinam docendi munus adiit 365. de ligamentis ciliaribus 459
Zoolithorum ordines 253
Zuruchaitu, caprearum genus 101

Emendanda.

Pag. 38. lin. 7. exſtruiur *lege* exſtruitur. p. 38. l. 21. olco l. oleo. p. 40. l. 33. zaaphyti l. zoophyti. p. 43. l. 9. campharoto l. camphorato. p. 48 l. 26. faſciculus l. faſciculus. p. 83. l. 11. clara l. clare. p. 101. l. 9. habent l. non habent. p. 104. l. 3. facilie l. facile. p. 116. l. 5. adligitas l. adligatas. p. 123. l. 10. Alcyonium l. Alcyonium. p. 124. l. 1. ſturcturae l. ſtructurae. p. 134. l. 19. cognitus. l. cognita. p. 138. l. 30. filins l. filius. p. 147. l. 17. londini l. Londino. p. 167. l. 4. an. l. au. p. 185. l. 13. eigentlichen l. eigentliche. p. 190. l. 25. Dan. l. Dau. p. 261. l. 12. dexto l. dextro. p. 278. l. 36. annorauit l. annotauit. p. 279. l. 37. uncia l. unica. p. 329. l. 17. abhuc l. adhuc. p. 377. l. 23. Caffée l. Coffée. Reſp. add. Ioann. p. 377. l. 25. Ioh. Gottſchalck l. *Chriſt. Friis Rottboell.* ibid. l. 27. Chriſt. Friis Rottböll. l. *Joh. Gottſchalck.* p. 385. l. 7. praefatua l. praefatus. p. 406. l. 27. farctuo l. farcto. p. 440 l. 5. Hemandez l. Hernandez. p. 442. l. 10 foecundarum l. foecundatum. p. 445. l. 15. modis l. nodis. p. 483. l. 24. a l. ac. p. 489. l. 20. Phoua l. Phoca. p. 492. l. 30. Onitholog. l. Ornithologia. p. 547. l. 4. ſuſtinauit l. ſuſtinuit.

In Gleditſchens Buchhandlung ſind unter andern zu haben:

Acta Societatis Regiae Scientiarum Vpſalienſis ad an. 1740. 1741. 1742. 1743. 1744-1750. Stockholmiae, 4 c. fig.

Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchaften, 2 Theile, 8.

de Boetticher, Ioh. Gottl. Morborum malignorum in primis peſtis et peſtilentiae, genuina deſcriptio et explicatio, 4. 1744.

Carl, Ioh. Sam. diaetetica ſacra, 8. 1737.

Eiusd. Hiſtoria medica pathologico-therapeutica, 2 Tom. 8.

Eiusd. Medicina uniuerſalis, *in Waſſer und Mæſsigkeit*, 8. 1741.

Eiusd. Hygiene, 1740.

Heymanni, I. G. Commentaria in Herm. Boerhaave inſtitutiones medicas, Partes VI. 8.

Klein, Iac. Theod. Mantiſſa ichtyologica de ſono et auditu piſcium, med. 4. 1746.

Lanciſii, Ioh. Mar. de mortibus ſubitaneis libri duo, 8. 1709.

Linnaei, Caroli, Fauna Suecica, ſiſtens animalia Sueciae regni, med. 8. Stockh. 1746.

Eiusd. Flora Suecica exhibens plantas per regnum Sueciae creſcentes, med. 8. ibid. 1745.

Eiusd. Flora Zeylanica ſiſtens plantas Indicas Zeylonae Inſulae, med. 8. ibid. 1747.

Eiusd. Hortus Vpſalienſis, med. 8. ibid. 1748.

Eiusd. Materia medica, liber I de plantis, med. 8. ibid. 1749.

Eiusd. Materiae medicae amoenitates, Pars 2 8 1751.

Eiusd. Diſſertatio botan. qua plantae Mart. Burſerianae explicantur, 4. 1745.

Eiusd. Species plantarum exhibens plantas rite cognitas, 8.

Ludwig, D. Chr. Gottl. Inſtitutiones phyſiologiae cum introductione in uniuerſam medicinam, 8 c. figg. 1752.

Eiusd. Definitiones plantarum, 8. 1747.

Eiusd. Terrae Muſei Regii Dresdenſis, accedunt terrarum ſigillatarum figurae, fol. 1749. charta regia.

Medicinal-wie auch Apotheker-Ordnung und Taxe, E. W. E. Raths der Stadt Riga, 4. 1740.

Sendelii, Nath. Succina corpora aliena inuoluentia et naturae opere picta et caelata ex Auguſtorum I et II cimeliis Dresdae conditis aere ſculpta et deſcripta, med. fol. cum fig.

Springsfeld, Gottl. Carl. Iter medicum ad Thermas aquisgranenſes et fontes Spadanos, med. 8. 1748.

Eiusd. *Abhandlung vom Carlsbade, nebſt einem Verſuch einer Carlsbader Kranken-Geſchichte, groſs 8. mit Kupfern, 1749.*

Swammerdamm, Ioh. *Bibel der Natur, worinnen die Inſecten in gewiſſe Claſſen vertheilt, ſorgfæltig beſchrieben, zergliedert, in 53 ſaubern Kupfern vorgeſtellt, mit vielen Anmerkungen über die Seltenheiten der Natur erleutert, und zum Beweis der Allmacht und Weisheit des Schoepfers angewendet werden, nebſt* Herm. Boerhaavens *Vorrede von dem Leben des Verfaſſers, fol.*

BRITISH MUSEUM